UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

urn:nbn:de:hbz:466:1-66103

Visual Library

Ph. 5178

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
LATINE REDDITA
ET NOTIS ILLUSTRATA
A
R. P. BRUNONE PARODE
ORD. S. BEN. IN MONASTERIO ETTALENSI
PROFESSO p. t. SUBPRIORE & BIBLIOTHECARIO.

TOMUS XI.

AB. ANNO CHRISTI 813. USQUE AD ANNUM 859.

Collegii Paderani Soc. Jesu. 1762.




FUNDATRIX ETTALENSIS.

Cum Approbatione & Consensu Superiorum.

AUGUST. VIND. & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



PRÆFATIO.

In ista, quæ modo oculis tuis objicitur, Historiæ Ecclesiasticæ Parte, Lector Benevole, præ ceteris memorabile est, quod Paschasius edito de Evchariſtia Tractatu Doctrinæ Ecclesiæ de reali præsentia Christi in Sanctissimo Sacramento clarissimam lucem affuderit. Ludunt vero Protestantes, qui cum Caveo dicunt: *Fervere cœpit*

pit hoc ævo de mutatione ſupernaturali, in Euchariſtia facta, controverſia. Primus qui carnalem & corporalem Chriſti in Sacramento præſentiam publice proponere & audacter defendere auſus eſt, fuit Paſchaſius Ratbertus Corbejenſis &c. quippe hanc primorum Chriſtianorum fuiſſe Doctrinam evidenter, ut leges, demonſtratur. Plura alia falſa veris miſcet Caveus in ſuo Conſpectu ad Sæculum Photianum; ſed nullus eſt mirandi locus, cum etiam Joannem Octavum Papam ibidem Nonum dicat. Unde putidam de Johanna Papiſſa fabellam, Scriptor alias eruditus, non rejicere deprehenditur. In Oriente S. Methodii Patriarchæ Conſtantinopolitani & Theodoræ Auguſtæ pietas Iconomachorum Hæreſim jugulavit, quæ exinde non prius quam poſt elapſos annos circiter ſexcentos ex orco revocata eſt. In Occidente autem hinc Normanni & inde Saraceni Rem Chriſtianorum non parum afflixerunt.

Es kömmt in den Meſſen zu Leipzig ſchon lange kein Theil der deutſchen Ueber-

Uebersetzung der Fleurischen Kirchengeschichte zum Vorschein. Es ist aber kein Wunder, weil der Herr Uebersetzer sich itzt mit der Uebersetzung andrer Bücher beschäftiget. Ich liese im Neuesten aus der anmuthigen Gelehrsamkeit im Windmonde des Jahres 1759. Wilhelm Hiacynt *Bougeants* Historie des dreyßigjährigen Krieges, und des darauf erfolgten Westphälischen Friedens *III.* Theil, aus dem Französischen mit Anmerkungen von Friedrich Eberhard Rambachen, 1759. in gr. 8. Und wiederum: Schicksal der Protestanten in Franckreich, aus der französischen Sprache übersetzt, und mit einigen Anmerkungen und Vorrede begleitet von Friedrich Eberhard Rambach. Halle bey Gebauern 1759. in gr. 8.

Nun habe ich Nachricht, an dero Wahrheit keine Ursach zu zweiflen ist, daß eben dieser Herr Friedrich Rambach die Kirchengeschichte des Herrn Fleury ins Deutsche übersetzet, von wel-

cher Arbeit bereits 6. Theile in 4. ans Licht getretten. Dieses mache ich darum bekannt, weil es gar nicht zu vermuthen, ja von ihm nicht zu erwarten, daß er diese Bücher, welche die Religion betreffen, mit grösserer Aufrichtigkeit als den Herrn Fleury werde übersetzet haben, oder seine Vorreden und Anmerkungen wider die Katholicken minder schimpflich seyn sollen. Man könnte fragen, warum dieser Mann der Fleurischen Uebersetzung, welche ihm gewiß hätte Ehre machen können, seinen Namen nicht auch voran gesetzet? oder warum er nicht in dieser Arbeit fortfährt? Allein das ist er niemand zu gestehen schuldig. Ich liese auch in eben diesem Stücke des Neuestens N. X. eine artige Kritick über die deutschen Uebersetzer, womit sich die Herren Verfasser ergetzen. Sie lautet also: Unsre Deutschen aber, die so gern übersetzen, lassen nichts aus den Händen, was nur halbigt das Ansehen hat, Liebhaber finden zu können. So haben unsre Buchhandlungen keine Gefahr zu versiegen. Denn

gesetzt,

gesetzt, daß aller eigene Witz, alle eigene Gelehrsamkeit in Deutschland untergienge; O! so werden doch noch allezeit andre Völker gelehrt, und witzig bleiben. Dieser ihre Bücher wird man also übersetzen; und folglich wird der Buchhandel bey uns blühen, gesetzt, daß nur die Lappländer, Samojeden, oder Hottentotten noch witzige Völker blieben. So weit die Herren Verfasser des Neuesten, welche mit ihrer gelehrten Arbeit allerdings so wohl den Katholicken als Protestanten einen nützlichen und angenehmen Dienst erweisen würden, wenn sie nur nicht anzügliche Anmerkungen einstreueten, als vom Verfolgungsgeist, welcher in der Römischen Kirche allein soll geherrschet haben, von der Blödigkeit der Römisch-katholischen Potentaten, welche die Klöster nicht abschaffen, und dergleichen mehr. Denn diese gehören zu ihrer Absicht nicht, und haben für die Katholicken weder hohen noch ge-

meinen Standes einmal nichts anmuthiges an sich.

Jam vero, amice Lector! hanc quoque pervolve Partem Historiæ Fleurii nostri, qui non solum Factorum ad Rem Ecclesiæ pertinentium seriem scripsisse, sed potius Theologiam Dogmaticam, & Jus Canonicum ex SS. Patribus, Epistolis Decretalibus Summorum Pontificum, Conciliis, & Scriptoribus Ecclesiasticis excerptum methodo Historica tradidisse, merito dici potest.

Vale.

CON-

CONSPECTUS
TOMI UNDECIMI.

LIBER XLVI.

§. 1. Tractatus de Baptismo. Pag. 1
§. 2. Concilium Arelatense. 4
§. 3. Concilium Remense. 7
§. 4. Concilium Moguntinum. 9
§. 5. Concilium Cabillonense. 13
§. 6. Concilium Turonense. 20
§. 7. Ludovicus Imperator coronatur. 24
§. 8. Caroli Pietas. 26
§. 9. Caroli Magni obitus. 29
§. 10. Walæ & Adalhardi Exilium. 35
§. 11. Leo Armenus Iconoclasta. 37
§. 12. Nicephorus Patriarcha Imperatori resistit. 41
§. 13. Episcopi Imperatori resistunt. 44

§. 14. Leo dissimulat. 48
§. 15. Nicephorus Patriarcha pellitur. 50
§. 16. Theodotus Patriarcha. 53
§. 17. Concilium Iconoclastarum. 55
§. 18. SS. Episcopi persecutionem patiuntur. 58
§. 19. SS. Abbates persecutionem patientes. 60
§. 20. Leonis III. Papæ obitus. 64
§. 21. Stephanus V. Papa. 67
§. 22. Ebbo Archiepiscopus Remensis. 70
§. 23. Regulæ Canonicorum. 71
§. 24. Regulæ Canonissarum. 78
§. 25. Concilium Celichytense. 80
§. 26. Stephani obitus. Paschalis I. Papa. 82
§. 27. Lotharius ad Imperii consortium assumitur. 85
§. 28. Monachi reformantur. 86
§§. 29. Monasteriorum præstationes. 93
§. 30. Lapsus Abbatum in Oriente. 95
§. 31. S. Theodori Studitæ constantia. 99
§. 32. S. Theodorus Papæ scribit. 101
§. 33. Epistolæ ad Patriarchas. 102
§. 34. Papa Catholicos confirmat. 106
§. 35. Bernardi Regis Italiæ seditio. 108
§. 36. S. Eigil Abbas Fuldensis. 109
§. 37. S. Theodori Studitæ ærumnæ. 112
§. 38. Regulæ in præscribenda pœnitentia observandæ. 115
§. 39. Ærumnæ Theodori recentiores. 121
§. 40. Leonis fata. Michael Imperator. 123
§. 41. Inventio S. Cæciliæ. 128
§. 42. S. Benedicti Anianensis obitus. 129
§. 43. Michael Exules revocat. 132
§. 44. Michaelis Imperatoris mores. 137
§. 45. Michael Catholicos persequitur. 139
§. 46. Ludovici Imperatoris pœnitentia. 141
§. 47. Electio Episcoporum. 144
§. 48. Alia Statuta. 146
§. 49. Rabani initia. 150
§. 50. Corbeja nova. 152

§. 51. Paſchalis Papa accuſatus. 156
§. 52. Paſchalis Papæ obitus. Eugenius II. 158
§. 53. Lotharius Romæ Jus dicit. 160
§. 54. Viſio Wetini. 163
§. 55. Capitulare Hettonis. 168
§. 56. Concilia in Anglia. 172

LIBER XLVII.

§. 1. Michael Imperator colloquium ſuadet. 175
§. 2. Michaelis Imperatoris Epiſtola ad Ludovicum. 178
§. 3. Capitulare Aquisgranenſe. 183
§. 4. Conventus Pariſienſis. 186
§. 5. Jeremias & Jonas Romam mittuntur. 190
§. 6. Herioldus Rex Daniæ convertitur. 193
§. 7. S. Anſcharius in Dania. 196
§. 8. S. Theodori Studitæ obitus. 199
§. 9. S. Theodori Teſtamentum. 201
§. 10. S. Theodori Opera. 203
§. 11. Concilium Romanum. 206
§. 12. Eugenii II. obitus. Valentinus Papa. 209
§. 13. Hilduinus & Eginhardus Reliquias transferunt. Ibid.
§. 14. Anſegiſus Abbas Fontanellenſis. 213
§. 15. Gregorius IV. Papa. 217
§. 16. Muſulmanni in Creta. 219
§. 17. Muſulmanni in Sicilia. 220
§. 18. Cauſa Abbatis Farvenſis. 222
§. 19. S. Nicephori Conſtantinopolitani obitus. 224
§. 20. Claudius Taurinenſis Iconoclaſta. 225
§. 21. Dungalus ſcribit adverſus Claudium. 228
§. 22. Ludovicus Imperator quatuor Concilia celebrari jubet. 232
§. 23. Concilium Pariſienſe ſextum. 236
§. 24. Canones de Sacramentis. 238
§. 25. Canones ad Clericos pertinentes. 241

§. 26. Liber ſecundus & tertius. 245
§. 27. Inſtitutio Laicorum Jona Auctore. 247
§. 28. Halitgari Tractatus de Pœnitentia. 249
§. 29. Agobardi Tractatus adverſus Judæos. 253
§. 30. Probationes Superſtitioſæ. 262
§. 31. Miſſio S. Anſcharii in Sueciam. 265
§. 32. Theophilus Imperator Catholicos perſequitur. 272
§. 33. Seditio in Ludovicum Imperatorem. 277
§. 34. Paſchaſii Ratberti initia. 281
§. 35. Tractatus Paſchaſii de Evchariſtia. 283
§. 36. Tractatus Amalarii de Officiis Eccleſiaſticis. 288
§. 37. Agobardus Lotharium calamo defendit. 293
§. 38. Gregorius Papa in Francia. 296
§. 39. Ludovicus Imperator deſertus ab omnibus. 299
§. 40. Ludovici Pœnitentia coacta. 302
§. 41. Scientiarum Studia apud Muſulmannos. 309
§. 42. Patriarchæ in Oriente. 312
§. 43. S. Theodori & S. Theophanis ærumnæ. 314
§. 44. Joannes Leconomanta Patriarcha Conſtantinopolitanus. 319
§. 45. S. Methodius perſecutionem patitur. 321
§. 46. S. Anſcharii Prædicatio. 324
§. 47. Ludovicus Imperator reſtituitur. 325
§. 48. Ebbo depoſitus. 328
§. 49. Res Eccleſiæ Gallicanæ. 331
§. 50. Hilduini Areopagitica. 333
§. 51. Translatio Viti in Saxoniam. 337
§. 52. Translatio S. Liborii. 340
§. 53. S. Aldricus Cenomanenſis. 342
§. 54. Concilium Aquisgranenſe ſecundum. 344
§. 55. Comitia Theonisvillæ & Stramiacenſe. 348
§. 56. Ludovicus Eccleſiam Romanam tuetur. 349
§. 57. Ludovicum cometa terret. 351
§. 58. Ludovici Imperatoris obitus. 353

§. 59.

§. 59. Ludovici ſpecies. 357
§. 60. Agobardi obitus. 359

LIBER XLVIII.

§. 1. Civitas Amorienſis a Muſulmannis capitur. 361
§. 2. Confeſſores captivi. 363
§. 3. Patriarchæ Orientis. 368
§. 4. Theophili obitus. Michael Imperator. 369
§. 5. Iconomachiæ finis. 371
§. 6. Methodius Patriarcha Conſtantinopolitanus. 373
§. 7. Jonæ Aurelianenſis obitus. 377
§. 8. Ebbo in Sedem Remenſem reſtituitur. 378
§. 9. Pugna ad Fonteniacum. 381
§. 10. S. Aldricus pulſus & reſtitutus. 383
§. 11. Fratres Regnum dividunt. 385
§. 12. Bernardi Archiepiſcopi Viennenſis obitus. 387
§. 13. Normanni in Francia. 388
§. 14. Saraceni in Italia. 391
§. 15. Gregorii IV. obitus. Sergius II. Papa. 392
§. 16. Ludovicus junior Romæ. 396
§. 17. Lupus Abbas Ferrarienſis. 400
§. 18. Capitulare Toloſanum. 402
§. 19. Concilium Theodonis Villæ. 403
§. 20. Concilium Vernenſe. 404
§. 21. Miracula falſa Divione. 407
§. 22. Eccleſia Conſtantinopolitana. 414
§. 23. S. Joannicius. 416
§. 24. Fœdera cum Bulgaris. 417
§. 25. Paulicianorum Seditio. 418
§. 26. Martyrum Amorienſium ultima. 421
§. 27. Normanni Pariſiis. 426
§. 28. Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis 429

§. 29.

§. 29. Concilium Bellovacense. 432
§. 30. Concilium Meldense. 433
§. 31. Normanni Hamburgi. 439
§. 32. Capitulare Benedicti Diaconi. 442
§. 33. Concilium Parisiense. 443
§. 34. Paschasius Abbas Corbejensis. 446
§. 35. Capitulare Espernacense. 448
§. 36. Saraceni Romæ. 449
§. 37. Sergii II. obitus. Leo IV. Papa 450
§. 38. S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus. 454
§. 39. Rabanus Archiepiscopus Moguntinus. 457
§. 40. Concilium Moguntinum. 461
§. 41. Initia Gotteschalci. 466
§. 42. Walafridus Strabo. 470
§. 43. S. Conwojo. Abbas Redonensis. 477
§. 44. Novi Episcopatus in Britannia. 480
§. 45. Papa Romam munit. 483
§. 46. Rerum in Hispania conspectus. 486
§. 47. Martyres Cordubenses. S. Perfectus. 489
§. 48. Normanni Franciam depopulantur. 494
§. 49. Gotteschalcus fustibus cæsus & carceri datus. 495
§. 50. Scripta pro & contra Gotteschalcum. 496
§. 51. Epistola Synodica ad Nomenoyum. 501
§. 52. Lupi Ferrarienſis monita Regi Carolo data. 505
§. 53. Concilium Ticinense. 507
§. 54. Martyres Cordubenses. Isaac. 512
§. 55. Sanctius, Petrus, Walabonsus & alii. 515
§. 56. Flora & Maria. 519
§. 57. S. Eulogii initia. 523
§. 58. Scripta alia de Prædestinatione. 529
§. 59. Epistola Amolonis ad Gotteschalcum. 532
§. 60. Civitas Leonina. 534

LIBER

LIBER XLIX.

§. 1. Martyres Cordubenſes. Aurelius, Felix. 537
§. 2. Georgius Monachus & Martyr. 541
§. 3. Alii Martyres. 545
§. 4. Concilium Cordubenſe. 547
§. 5. Quæ in Cauſa Gotteſchalci ſecuta ſint. 551
§. 6. S. Remigii Translatio. 554
§. 7. Hincmari Capitula. 555
§. 8. Concilium Sueſſionenſe. 557
§. 9. Continuatio Concilii Sueſſionenſis. 566
§. 10. S. Altrici Cenomanenſis obitus. 569
§. 11. Clades a Normannis illata. 570
§. 12. Articuli Cariſiacenſes. 572
§. 13. Æneas Epiſcopus Pariſienſis. 575
§. 14. Martyres Cordubenſes. 577
§. 15. Concilium Romanum. 584
§. 16. Leopolis conditur. 587
§. 17. Michaelis Imperatoris impietas. 588
§. 18. S. Anſcharius Epiſcopus Bremenſis. 591
§. 19. Eccleſia Sueciæ. 593
§. 20. Initia Eccleſiæ in Dania. 598
§. 21. Res Eccleſiæ in Suecia. 601
§. 22. Eccleſia Danorum. 607
§. 23. Concilium Valentinum tertium. 610
§. 24. Res Italiæ. 616
§. 25. Leonis IV. obitus. 618
§. 26. Benedictus III. Papa. 624
§. 27. Lotharii Imperatoris obitus. 629
§. 28. Rabani obitus. 630
§. 29. Ethelulfus Rex Angliæ. 633
§. 30. Normannorum Latrocinia. 634
§. 31. Capitularia Cariſiaci edita. 635
§. 32. Epiſtolæ Lupi Ferrarienſis. 637
§. 33. Tractatus Hincmari de Prædeſtinatione. 638
§. 34. Documenta Hincmari ad ſuos Presbyteros. 640

§. 35.

CONSPECTUS TOMI UNDECIMI.

§. 35. Martyres Cordubenſes. 642
§. 36. S. Eulogii Apologeticus Martyrum. 644
§. 37. Alii Martyres. 648
§. 38. Benedicti obitus. Nicolaus I. Papa. 650
§. 39. Eccleſiæ Bremenſis & Hamburgenſis conjunguntur. 652
§. 40. Epiſcoporum Franciæ Epiſtolæ ad Ludovicum Regem. 654
§. 41. Reliquiæ Cordubenſes Pariſiis. 661
§. 42. S. Eulogii Martyrium. 664
§. 43. Literæ Hincmari contra rapinas. 668
§. 44. Legatio ad Regem Ludovicum. 671
§. 45. Synodus Saponarienſis. 676
§. 46. Libellus Regis adverſus Venilonem. 677
§. 47. Literæ ad Britones datæ. 681
§. 48. Concilium Lingonenſe. 683
§. 49. Statuta Herardi & Iſaaci. 685
§. 50. Tractatus Hincmari ſecundus de Prædeſtinatione. 686
§. 51. Paſchaſii Ratberti Scripta. 693
§. 52. Tractatus Ratrami de Evchariſtia. 695
§. 53. Scriptum Anonymi contra Paſchaſium. 701
§. 54. Rapinæ Normannorum. 703

HISTO-

CULTUS IMAGINUM RESTITUTUS.



HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER XLVI.

S. LEO III. PAPA.
CAROLUS MAGNUS IMPERATOR OCCID.
LEO ARMENUS.

§. I.

Tractatus de Baptismo.

Caroli Imperatoris Epistola Encyclica de Baptismo ad Archiepiscopos Regni sui scripta aliquibus ansam dedit Dissertationes de hoc Sacra- Sæculum IX. A. C. 813. *Sup. Lib. XLV. §. 50.*

Sæculum IX. A. C. 813.

Sacramento concinnandi; in hunc enim finem Imperator hujusmodi Quæstiones moverat, nimirum non tam propriæ Doctrinæ causa, quam ut Episcopi scrutando discerent, & deinde populos erudirent. Hoc de Caroli mente Theodulfi Episcopi Aurelianensis judicium fuit di-

Theod. præf. centis: *Magnus profecto Princeps Antistites ad studium sacrarum Scripturarum, Clericos ad servandam Disciplinam, Monachos ad amorem Regulæ, Optimates ad suggerenda Principi salutaria consilia, Judices ad colendam justitiam, Præpositos ad humilitatem, subditos ad obedientiam, omnes ad virtutem & concordiam hortari & excitare nunquam cessat.*

Tractatus hujusmodi quatuor habemus, qui veluti totidem responsa ad Im-

Mabill. to 3. *Analect. init.* peratoris Epistolam fuere. Primus est opus Leidradi Archiepiscopi Lugdunensis, quod cum ad manus Caroli Imperatoris perveniisset, dixit, Auctorem in explicatione renunciationum, quæ Baptismum præcedunt, nimis brevem fuisse.

ibid. p. 30. Ergo Leidradus addidit de eadem materia responsum peculiare, quod majore quam prius diligentia scriptum videtur.

Secundus de Baptismo Tractatus illo

ap. Alcuin. p. 1151. tempore compositus inter Opera Alcuini reperitur, sed est Amalarii Archiepiscopi Trevirensis, sive is Alcuinum rogavit, ut suo nomine scriberet, sive per errorem

errorem factum, ut Alcuino tribueretur. Tractatus tertius est Theodulfi Episcopi Aurelianensis ad Magnum Archiepiscopum Senonensem ipsius Metropolitam directus, a quo rogatus fuerat, ut suo nomine ad Epistolam Imperatoris responderet. In aliis exemplaribus idem Theodulfi Tractatus dirigitur ad Joannem Archiepiscopum Arelatensem, quod forte etiam ab eo, ut scriberet, rogatus fuerit. Tractatus quartus de Baptismo est Jessei Episcopi Ambianensis, viri illa ætate percelebris; nam quamvis hoc opus ad Presbyteros suæ Diœcesis direxerit, æqualitas tamen materiæ indicat, ipsum ex eadem causa ac ceteros calamum strinxisse. In his Tractatibus explicantur Catechumenorum status, Scrutinia, Symbolum, Renunciationes, Exorcismi, Insufflatio, Sal, cur naribus & auribus infantis Salivam Sacerdos admoveat, Unctiones, Vestis candida, & Communio, quæ statim post Baptismum etiam infantibus præbebatur. Clare distinguitur Unctio S. Chrismatis in capite, quam dat Presbyter, estque Cæremonia Baptismi, ab Unctione in fronte ad communicandum Spiritum Sanctum, quam dare Episcopo competit, & ad Sacramentum Confirmationis pertinet.

Sæculum IX. A. C. 813.

v. Not. Sirm. ad Theod.

Bibl. PP. Lug. to. 14. p. 67.

v. Coint. n. 812. n. 71. &c.

Sæculum IX. A. C. 813.

§. II.

Concilium Arelatense.

Ann. Loisel. Anno octingentesimo decimo tertio, Caroli Imperatoris ultimo, Comitiis Aquisgrani coactis, jussit, ut quinque Concilia in præcipuis Regni sui Ecclesiis Metropoliticis, nimirum Moguntiæ, Rhemis, Turone, Arelate, & Cabilloni ad Ararim pro Lugdunensi Provincia celebrarentur, sibique, quæ decreta fuissent, referrentur. Hæc Concilia igitur habita sunt in æstate illius anni, & talia fuere statuta, quæ Quæstionibus ante biennium ad Episcopos missis congruunt. Unde sufficiens temporis spatium ad ea, quæ dicerent, digerenda habuerant.

Sup. Lib. XLV. §. 51.

Ex his Conciliis primum, ut dies apposita indicat, est Arelatense, quod inter Concilia hujus Civitatis sextum habetur. Celebratum est autem anno imperantis Caroli in Francia quadragesimo quinto, Æra Hispanica 851. nempe anno 813. decima Maji, in Ecclesia S. Stephani. Præfuere Joannes Archiepiscopus, & Nebridius Narbonensis, qui præter Titulum Dignitatis suæ Archiepiscopalis Legatos Principis se dicunt. Prima die nihil aliud actum, quam quod decreverint, Missas & preces pro Imperatore, quoad viveret, & pro ejus familia esse offerendas. Altera die promulgati

to. 7. Conc. p. 1231.

gati fuere viginti ſex Canones, quorum primus Profeſſio Fidei eſt in compendium contracta. In ſecundo præcipitur, ut omnes Clerici pro Rege Carolo orent. Et deinde, ut quilibet Archiepiſcopus ſuos Suffraganeos moneat, ipſorum eſſe Presbyteros & populum in Baptiſmo & omnibus Fidei Myſteriis erudire. Epiſcopi, dicit Sacra Synodus, in Sacra Scriptura verſati ſint & in ſcientia Canonum, nec alia re niſi prædicatione & inſtructione populi occupentur. Presbyteri etiam in Parochiis ruralibus concionentur. Parentes liberos ſuos doceant, & Patrini illos quos e ſacro fonte levarunt. Quilibet Epiſcopus ſingulis annis Diœceſim ſuam viſitet, & pauperes oppreſſos tueatur. Si judices & viri potentes Admonitiones Epiſcopi contemnant, eorum contumacia ad Regis aures deferatur. Totus populus atque etiam Comites & Judices Epiſcopo obediant, junctaque opera juſtitiam & pacem conſervent.

Sæculum IX. A.C. 813.

Rem. c. 40.

Arel. c. 3.

Rem. c. 14. 15

c. 10. Arel.

c. 19.

c. 17.

c. 12. 13.

Conc. Cabil. c. 20.

Epiſcopi magna cura erudiant Presbyteros (nempe Parochos) quos ad Parochias adminiſtrandas ordinabunt, & Laici (id eſt Patroni) non accipiant munera pro collatione illarum Eccleſiarum, nec poſſint Presbyteros ejicere, & alios advocare ſine judicio Epiſcoporum, quibus hi Presbyteri vitæ morumque ſuo-

Arel. c. 4. 5.

Sæculum IX. A.C. 813.

rum rationem reddere tenentur. Presbyteri Sacrum Chrisma servent Sigillo munitum, nec illud cuiquam medicinæ loco vel sub quocunque alio prætextu communicent. Erant enim non nulli insana superstitione imbuti, facinoris reos, si Chrismate uncti fuissent, vel pauculas guttulas potioni mixtas sumpsissent, nunquam a lictoribus capi posse. Quod ex Concilio Turonensi discimus.

c. 18. *Tur.* c. 20.

Decimæ & Ecclesiarum Bona conserventur, & qui ejusmodi in Beneficium (id est in Usumfructum) possident, de suo ad sarta tecta conferant. Nundinæ aut jurgia forensia in propilæis Ecclesiarum aut Diebus Dominicis prohibeantur.

Rhem. c. 20. 38.

c. 16. 22. *Rhem.*

Episcopis curæ sit, ut tam Canonici quam Monachi secundum suum Institutum mores componant. In Monasteriis Canonicorum (*) & Monachorum aut Monia-

c. 6.

Rhem. 25. *Ar.* c. 8.

(*) Totus Canon VIII. in editione Paris. 1714. sic sonat: *Ut non amplius suscipiantur in Monasterio Canonicorum atque Monachorum, seu etiam Puellarum nisi quantum ratio permittit, & in eodem Monasterio absque necessariarum rerum penuria degere possunt.* An Clerici in his Monasteriis Canonicorum, de quibus his sermo, fuerint alii & distincti a Clericis ceteris Ecclesiæ Cathedrali servientibus, vel an quan-

Monialium plures non ſuſcipiantur, quam Domus illa commode alere poſſit. Monaſteria puellarum ad Officium Divinum neceſſario peragendum nemo intret niſi exploratæ pietatis viri & ætate graves. Qui ad celebrandam Miſſam ingreſſi fuerint, illa finita ſine mora abeant. Qui criminis publici convicti fuerint, pœnitentiam publicam ſecundum Canones agant. Sæculum IX. A. C. 813. *Rhe.* 12. *Ar.* 7. *c.* 26.

Fame, vel alia calamitate premente, alimentis illorum, qui ad ipſum pertinent, quilibet, ut potuerit provideat. Viri potentes Bona pauperum non niſi publice Comitibus & civium præcipuis præſentibus emant. Hi Canones Concilii Arelatenſis præ cæteris notatu digni mihi viſi ſunt, cumque reliqua quatuor eandem pertractent materiam, ea ſolum afferam, quæ ſingularia ſunt. *Rh.* 31. *Ar.* 14. *c.* 23.

§. III.

Concilium Rhemenſe.

Concilium Rhemenſe eodem anno in medio menſis Maji anno octingenteſimo decimo tertio congregatum, Wulfario Archiepiſcopo præſide. Poſt jeju- *to.* 7. *p.* 1253.

quandoque vel ſemper Congregatio Clericorum Cathedralium dicta fuerit Monaſterium Canonicorum, hic ego dubitare, ſed affirmare alterutrum non poſſum.

Sæculum IX. A. C. 813.

nium, ut mos ferebat, triduanum quadraginta quatuor Canones editi, quos inter memorabiliores sunt sequentes. Quilibet Clericorum Ordinis sui functiones discat. Istud ut facilius caperent, in Concilio lectæ sunt S. Pauli Epistolæ, & Subdiaconis præceptum, ut deinceps hoc modo legerent. Ad informandos Diaconos lectum est Evangelium, atque ad erudiendos Presbyteros examinatus est Ordo Missæ & Baptismi. Canones prælecti sunt Canonicis, Pastoribus liber Pastoralis S. Gregorii, & multa Patrum effata.

c. 3. c. 4. c. 5. c. 6. 7. c. 8. c. 9. 10.

Ordo Pœnitentiæ quoque ad examen vocatus est, quo Presbyteri modum excipiendi Confessiones & pœnitentiam injungendi cognoscerent. Præcipitur, ut discernantur illi, quibus publica & quibus secreta pœnitentia (*) injungenda. Episcopi Abbates & Ecclesiæ Ministri non splendide epulentur, nec patiantur, ut ipsis præsentibus exhibeantur ludicra, quæ honeste haud conspiciantur. Sed pauperes mensæ suæ adhibeant, & S. Scripturam legi jubeant. Presbyteri a minore Beneficio ad pinguius non transeant. Monachi Conventus sæculares &

c. 11. 12. 16. c. 31. c. 17. 18. c. 5. 6. 7. 8. c. 29. c. 20. c. 39. c. 35.

(*) Sequitur ex pœnitentia secreto data, quod etiam secreto confessi fuerint, & contra Protestantes usus Confessionis auricularis probatur.

& forenſes non adeant. Nemo pro ad- Sæculum IX.
miniſtratione Juſtitiæ munera accipiat. A.C. 813.

§. IV.

Concilium Moguntinum.

Concilium Moguntinum nona Junii eodem anno octingenteſimo decimo tertio in Clauſtro S. Albani celebratum. Præſides fuere, & etiam Titulum Legatorum Principis aſſumpſerunt, Hildebaldus, qui ſe Archiepiſcopum Palatii dicebat, quia erat Archiepiſcopus Colonienſis & Archicapellanus, Riculfus Archiepiſcopus Moguntinus, Arno Archiepiscopus Salisburgenſis, & Bernarius Episcopus Wormatienſis. Univerſim Episcopi triginta, Abbates viginti quinque, multi Laici Comites, Judicesque aderant. Tota Congregatio in tres ordines diviſa. Primo ordine ſedebant Epiſcopi cum aliquot Notariis legentes Evangelium, & reliqua novi Teſtamenti, Canones, & varia Patrum opera, atque inter alia Librum Paſtoralem S. Gregorii, ut modum conſervandæ Diſciplinæ Eccleſiaſticæ invenirent. In ſecundo Ordine ſedebant Abbates & Monachi delecti, legentes Regulam S. Benedicti, & quærentes rationem vitam Monachorum emendandi. Tertio conſidebant Comites & Judices de Legibus Civilibus diſputantes, & omnibus petentibus

Sæculum IX. A. C. 813.

jus dicentes. In hoc Concilio editi sunt Canones quinquaginta quinque, & clarius quam in ceteris ad Quæstiones ab Imperatore propositas respondetur. Baptismus ubicunque secundum Ordinem Romanum conferatur. Decreta S. Leonis Papæ observentur, præsertim ne extra tempus Paschæ & Pentecostes Baptismus administretur. Presbyteri Fideles assidue admoneant, ut Symbolum & Orationem Dominicam discant. Negligentibus jejunia vel aliam pœnitentiam injungant. In hunc finem etiam parentes liberos suos ad Scholas seu Monasteriorum seu Presbyterorum mittant, ut Fidei suæ Articulos discant, & alios deinde domi doceant. Qui in alia non possunt, Symbolum in lingua vernacula addiscant. Patrini eandem curam filiorum suorum Spiritualium gerant. Si Episcopus absit, vel ægrotet, semper tamen aliquis sit, qui Diebus Dominicis & Festis pro captu populi concionetur. Ergo præsumit Synodus, nullo obstante impedimento ipsius Episcopi fuisse ad populum dicere.

Can. 4. Leo ep. 16. al. 4. ep. 136. al. 80 Sup. Lib. XXVII. §. 2 L. XXXIX. §. 15. c. 45. Rhem. c. 1. 2.

c. 47.

c. 25.

Nemini exinde Tonsura Clericalis conferatur, nisi sit legitima ætate, libere velit, & Dominus ejus consentiat. Quod de Servis intelligendum. Episcopi accurate inquirant, unde sint Presbyteri & Clerici in sua Diœcesi existentes, & fugitivos

c. 23.

c. 31. Tur. c. 13. Arel. c. 24.

gitivos ad suos Episcopos remittant. Cle- Sæculum IX.
ricos vero Acephalos, qui nec Principi A. C. 813.
serviunt, nec sub Episcopo vel Abbate c. 22.
sunt, sed vagi sine Præposito, continuo
dari custodiæ jubeant. Si obedire con-
tempserint, excommunicent eos, & si
non emendentur, in carcerem mittan-
tur, usque dum in aliquo Concilio de
causa eorum decernatur. Sacerdos so- c. 43.
lus Missam non celebret. Quomodo e-
nim dicat: Dominus vobiscum, & cete- c. 44.
ra, quæ ad plures assistentes diriguntur?
Moneatur populus, quando proceden- c. 36.
dum sit ad oblationes, & ad recipien-
dam pacem. Dies festi serventur se-
quentes: Dies Paschæ cum tota Hebdo-
mada, Ascensio, Pentecostes eodem ri-
tu ac Pascha, SS. Petri & Pauli, S. Joan-
nis Baptistæ, Assumptio S. Virginis, S. Mi-
chaelis, S. Remigii, S. Martini, S. Andreæ,
in Nativitate Domini dies quatuor, octa-
va Natalis, id est, Circumcisio, Epipha-
nia, Purificatio S. Virginis, dies Marty- Canones Concilii Moguntini.
ribus Sacri & Confessoribus, quorum Re-
liquiæ in qualibet Diœcesi asservantur,
& Dedicatio Ecclesiæ. Jejunium qua- c. 34. *Tur.*
tuor temporum servetur. Qui jejunia c. 47. c. 35.
præcepta contempserit excommunice-
tur. Litaniæ Majores per triduum (id c. 33.
est Rogationes) serventur, procedent c. 46.
autem nudis pedibus cinere & cilicio te-
cti.

Sæculum XI. A. C. 813.

cti. Ebrioſi excommunicentur usque dum vitium emendaverint.

c. 17. Clerici, qui Sæculum reliquerunt, arma non habeant, niſi Spiritualia, ſed Laici qui apud Clericos ſunt pro more veteri armati incedant. Nempe eorum

c. 14. Servi domeſtici & Emphiteutæ. Miniſtri Altaris & Monachi negotiis Sæcularibus nullatenus implicentur, in foro Sæculari cauſam non dicant, niſi forte ut ibi orphanos aut viduas defendant, non gerant officium œconomi aut Mandatarii, non ſint joculatores, non ament

R. c. 30. aleas, gulam & ebrietatem, non vanum ornatum, non ſequantur canes aut aves in venatione, denique carnis deſideria non expleant. Non tamen prohibentur rei domeſticæ ut juſtum eſt curam gerere. Epiſcopi & Abbates Vicedominos, Præpoſitos, Advocatos ſeu Defenſores ſibi deligant viros pios, fideles, juſtos,

R. c. 24. mites, non avaritiæ deditos. Horum

c. 50. nempe opera ad curanda ſæcularia ute-

c. 28. bantur. Presbyteri Orarium ſeu Stolam

Sup. Lib. XXXVIII. in ſignum Sacerdotii ſemper geſtent.

§. 16. Facinoroſi ex Eccleſiis non rapiantur, ut

c. 51. ducantur ad ſupplicium, mulctam vero pecuniariam ob crimina ſua præſtent. Sanctorum Corpora ſine licentia Principis vel Concilii non transfe-

c. 9. 10. rantur. Canonici ſecundum Canones vitam degant, in uno loco manducent, & dor-

Sæculum IX. A. C. 813.

dormiant, sine mandato Episcopi aut Magistri nihil agant. Litteras discant & Psalmodiam, & idoneos se reddant ad docendos populos. Abbates cum suis Monachis secundum Regulam S.Benedicti vitam instituant, *quod illi*, ajunt Patres, *qui huic Concilio præsentes fuere, nobis promiserunt.* Delegati a Principe cum Episcopo Diœcesano Monasteriorum situm considerabunt, an in tali loco sint, ubi omnia sibi necessaria invenire possint, ne foras egredi opus sit. Episcopi illos, qui in Monasteriis sunt, eligere jubeant, an Monachorum vel Canonicorum vitam amplecti velint. Ita etiam Moniales in ea quam elegerint professione perseverent. *Illis*, dicunt Patres, *qui moturi sunt querelas, quod per donationes dolose suggestas patrum suorum hæreditate privati fuerint, quantum in nobis erit, auxilium feremus.*

c. 11.

c. 20.

c. 21.

c. 13.

c. 6.

§. V.

Concilium Cabilonense.

Patres Concilii Cabilonensis ad Ararim, ex tota Gallia Lugdunensi, excepta Provincia Turonensi, hi enim in alio loco suum Cœtum celebrarunt, congregati, sexaginta sex ediderunt Canones, ex quibus notatu digniores sunt sequentes: Episcopi, mandatis Imperatoris obedientes erigant Scholas, in quibus Clerici

to.7. p.1272.

Sæculum IX. A. C. 813.

rici artes liberales & Sacras Scripturas doceantur, ut idonei fiant ad erudiendum populum. Epiſcopi ab ordinandis non exigant juramentum, quo affirment ſe dignos eſſe, Canones obſervaturos, & Epiſcopo, a quo ordinantur, obedientes futuros, quia periculum adeſt perjurii.

c. 43. Sunt in aliquibus Locis Scoti, qui ſe Epiſcopos dicunt, & ordinant Presbyteros atque Diaconos ſine licentia Dominorum vel Præpoſitorum ſuorum, *has Ordinationes*, inquiunt Patres, *nullas eſſe declaramus, quia contra Canones*

c. 16. *fiunt, & plerumque Simoniacæ ſunt.* Epiſcopi, cum Diœceſes ſuas viſitant, non modo illicite nihil exigant, ſed caveant, ne oneri ſint, & nihil faciant, quod ſcandalo eſſe poſſet. Pro balſamo, ex quo S. Chriſma conficitur, pro cereis, pro Dedicatione Eccleſiarum, aut pro Ordinationibus nihil petant. Annuum cenſum a Presbyteris non exigant, nec mulctam petant ab inceſtis, ab illis, qui decimas non dant, aut a Presbyteris ne-

c. 18. gligentibus, quod aliqui, cum Comiti-

c. 15. bus conſentientes, faciunt. Archidiaconi Dominatum in Parochos non exerceant, nec cenſum ab ipſis exigant.

c. 27. Confirmatio tam parum quam Baptismus iteretur. Communio non longo

c. 46. tempore differenda eſt, nec etiam indigne accedendum, ſed prius per aliquot

dies

dies ab operibus carnis abstinendum, ut Christianus communicans corpore & anima mundus sit. Omnes Fideles in Cœna Domini communicent, cum in illa die etiam Pœnitentes reconciliari soleant, ut communicare possint. Unctio ægrotorum non contemnatur, quæ est Remedium corporis & animæ. Cum in plerisque locis usus pœnitentiæ secundum veteres Canones fuerit abolitus, implorandum est Imperatoris auxilium, ut peccatores publici ad agendam pœnitentiam publicam compellantur, atque secundum Canones excommunicentur & reconcilientur.

Sæculum IX. A. C. 813.

c. 47.

c. 48.

Aliqui non plene confitentur. Hi monendi sunt, ut tam peccata cogitationum, quam peccata externa confiteantur. Non solum Deo peccata sua confiteri oportet, sed etiam Sacerdotibus, & caveant inprimis Sacerdotes, ne in hoc judicio vel gratia vel odio moveantur.

Confessio peccatorum.

c. 32.

c. 33.

c. 34.

Multi in pœnitentia non tam Remissionem peccatorum, (*) quam temporis

c. 35.

(*) Hier sehen wir, daß man in der rechtglaubigen Kirche nicht nur allein die sündliche Werke, sondern auch die Gedanken gebeichtet, daß es nicht genug gewesen, solche GOtt zu beichten, wie die Predicanten thun, sondern daß man dem Priester

Sæculum IX. A. C. 813.

ris expletionem expectant, & si eis carnis & vini usus interdicatur, alium potum & alios cibos his delicatiores quærunt. Vere pœnitens se omnibus corporis voluptatibus privat.

r. 36. Quidam ex industria peccant, eleemosynis deinde sua peccata deleturi. Chri-

---

Priester beichten soll, und daß die wesentliche Absicht in der Buß, die Nachlassung der Sünden von GOtt zu erhalten gewesen sey. So wird auch diese Lehre in der Kirchenversammlung nicht als neu, sondern als eine in der Kirchen angenommene Lehre vorgetragen. Wie hälts nun um die Gottesgelehrtheit unsers Lutherischen Uebersetzers, nach welcher die Buß nicht auf eine Genugthuung gegen GOtt, sondern nur gegen der Gemeinde abzielet? Er würde sich mit der Antwort behelfen wollen: Zu dieser Zeit hatte schon das Verderben in der Kirche überhand genommen. Aber wenn dieses wahr ist, wo war denn zu dieser Zeit, das ist im achten und neunten Jahrhundert die wahre Kirche Christi? Wo war sein Versprechen: *Et portæ inferi non prævalebunt &c.* Matth. XVI. Was unser Uebersetzer auf diese Frage antworten würde, weiß ich nicht, allein der Herr Lorenz Mosheim hilfet sich kurz aus der Noth und saget, wie wir schon einmal gehöret, dieses sey eine Frage, welche nur ein unsinniger Mensch an die Herren Protestanten stellen könne. So wohl, Herr Kanzler! das ist eine kräftige Antwort, wenn man sonst nichts erträgliches zu sagen hat, um sich die Leute dennoch vom Halse zu schaffen.

Christiano non licet ideo peccare, ut e- Sæculum IX.
leemosinam faciat, sed ideo danda est A. C. 813.
eleemosina, quia peccavit. Porro Pœ- c. 38.
nitentia injungatur secundum Scripturam & consuetudinem Ecclesiæ, repudiatis & penitus eliminatis libellis, quos Pœnitentiales vocant; horum enim tam certi errores sunt, quam incerti Auctores, qui peccatoribus adulantur, dum pro peccatis gravibus leves & inusitatas pœnitentias imponunt. Hoc Concilium explicatur a Concilio Turonensi, quod Libros Pœnitentiales non simpliciter rejicit, sed putat ab omnibus Episcopis, postquam in Palatio congregati fuerint, indicandum esse, quem ex Libris antiquis pœnitentialibus, missis ceteris, sequi oporteat. *Conc. Tur.* c. 22. c. 45.

Præterea in Concilio Cabilonensi legitur: Quod spectat ad peregrinationes, quæ Romam, Turonem & in alia loca suscipiuntur, multi abusus irrepserunt. Nam aliqui Presbyteri & Clerici putant, se ejusmodi profectione a peccatis suis liberari, atque in ordinem suum esse restituendos. Laici impunitatem peccatorum suorum vel commissorum, vel futurorum perperam sperant. Inde putant potentes sibi licere a pauperibus subditis tributa exigere, & pauperes peregrinantes mendicare non erubescunt. *Nos vero*, ajunt Patres, *illos peregrinan-*

Sæculum IX. A. C. 813.

tes laude dignos existimamus, qui Pœnitentiam ex Presbyteri consilio impleturi, suæ peregrinationi orationem, eleemosinas & emendationem morum suorum conjungunt. Notatu dignum, quod tunc temporis ad limina S. Petri Romæ & ad Sepulchrum S. Martini Turone frequentissimæ peregrinationes fierent.

Canones Concilii Cabilonensis.

Presbyteri degradati in Monasteriis pœnitentiæ agendæ causa includantur; si gradu amisso vitam sæcularem ducere velint, ab Ecclesiæ Communione separentur. Si Presbyteri fruges reponant & servent, non ideo id faciant, ut suo tempore eas carissime vendant, sed ut superveniente penuria pauperibus subveniant. Deinde: *Quibusdam Episcopis Fratribus nostris objicitur, quod non nullis suadeant, Mundum relinquere, eum in finem ut Ecclesia eorum Bona acquirat, a quo mens Episcopi alienissima esse debet. Episcopi salutem animarum unice quærant, & Bonis Ecclesiæ utantur non quasi propriis, sed tanquam suæ fidei commissis, quibus pauperum inopiam sublevent. Ergo, qui talia suggesserint, pœnitentiæ canonicæ subjiciantur, & qui simplices decepti fuerint, in suscepto vitæ genere permaneant, Bona vero usurpata ipsorum hæredibus restituantur. In omnibus Missis preces pro defunctis secundum antiquam Ecclesiæ consuetudinem &*

c. 40.

c. 8.

c. 7.

c. 39.

S. Au-

S. Augustini Auctoritatem recitentur. (*) Sæculum IX. A. C. 813.

Ad nos relatum est, quod Ecclesiæ in possessionibus hominum privatorum sitæ usque adeo dividantur, ut unius Altaris designentur regiones quatuor, quarum singulæ suum Sacerdotem habent. Prohibemus in futurum ejusmodi partitiones, & Episcopus in tali Ecclesia Missam celebrari non permittat, usque dum inter Hæredes convenerit, cui Presbytero soli hujus Ecclesiæ Ministerium conferre velint. Hic videmus Jus Patronatus Laicis assertum. Concilium prosequitur in hunc modum: *Pauca dicimus de rebus pertinentibus ad Abbates & Monachos, quia ferme omnia istarum Provinciarum Monasteria profitentur Regulam S. Benedicti, in qua omnia ab ipsis servanda continentur.* Concilium ad ejusdem Regulæ observantiam obligat Moniales. At Canonicis Fœminis seu Canonissis (**) aliqua dantur præcepta, quæ potissimum c. 22. c. 53. 54. 55. &c.

(*) Testimonium contra Protestantes irrefragabile!

(**) Ecce hic occurrunt Canonicæ seu Canonissæ! sed quo tempore, in quibus locis fundatæ fuerunt ejusmodi fœminarum Congregationes? an certam Regulam sequebantur, vel nullam? digniſſima ampla Dissertatione materia.

Sæculum IX. A. C. 813. tissimum ad Clausstrum, silentium, & mores Abbatissarum spectant. Matrimonia Servorum non dissolvantur, etiamsi ad diversos pertineant Dominos, si modo libero consensu & secundum Leges contraxerint. Si qua mulier ex nequitia vel imprudentia propriam prolem Matrinæ loco in Confirmatione tenuerit, eum in finem, ut mariti torum effugiat, ab eo non separetur, sed pœnitentiam agere conatur. Quælibet familia illi Ecclesiæ, ubi toto anno Sacris interest, & infantes baptizantur, Decimas pendat. Istud Concilium pro secundo Cabilonensi habetur.

c. 30.

c. 31.

c. 19.

§. VI.

Concilium Turonense.

In Concilio Turonensi, hujus Civitatis quarto, Canones quinquaginta & unus editi. Quilibet Episcopus habeat Homilias, quæ Doctrinam Gregi suo necessariam contineant, eidemque curæ sit, ut vertantur stilo claro in linguam Romanam rusticam, vel in Teutonicam quo intelligi possint ab omnibus. Nempe his duabus linguis utebantur Franci; prima erat lingua veterum Incolarum Gallo-Romanorum, id est latina, jam tunc temporis admodum corrupta, unde lingua nostra Gallica originem traxit, altera erat lingua Francorum, aliorum-

to. 7. p. 1259. Rhem. 15. can. 7.

aliorumque populorum germanorum, qui illa tempestate Imperium Francorum implebant. Hanc vero linguam populi ultra Rhenum habitantes retinuerunt. Ceterum ex his perspicimus, plebem illo jam tempore linguæ latinæ gnaram non amplius fuisse. Sæculum IX. A. C. 813.

Qui ordinandus est Presbyter ætatis annos triginta numeret, nec prius ordinetur, quam postquam diu in illa Diœcesi versatus fuerit, ut officia sua discat, & ipsius vita moresque cognosci possint. c. 12.

Episcopus diligentissime edoceat Presbyteros, quid sit Baptismus & Renunciationes ante Baptismum fieri solitæ. Presbyteri moneantur, ne post Missam Corpus Domini Nostri infantibus aliisque primo occurrentibus nullo discrimine præbeant, quod fieri posset, ut obvius aliquis gravioris noxæ reus esset. c. 18.

Alibi meminimus, antiquam fuisse consuetudinem Reliquias Evchariſtiæ infantibus distribuendi. *Sup. Lib. XXXIII.* §. 4.

Laici ter in anno communicent. c. 50.

Moneantur Fideles, ut Ecclesiam intrent absque strepitu & tumultu. c. 38.

Sub Missam non modo ab inutili garritu abstineant, sed etiam malas cogitationes discutiant. c. 41.

Sunt in gregibus nostris, inquiunt hujus Concilii Episcopi sermone ad Imperatorem directo, *aliqui incestuosi, parricidæ, & homicidæ, qui insuperbabitis nostris admonitionibus in*

Sæculum IX. A. C. 813.

suis criminibus perseverant. Non nullos excommunicavimus; sed contemnunt. Itaque rogamus Clementiam tuam, ut quid his faciendum, decernat. Fideles doceantur, Sortitiones, Incantationes, herbarum aut ossium ligaturas, hominibus aut pecoribus languentibus non posse prodesse, sed esse Dæmonis illusiones.

c. 42. Episcopi maximam pauperum curam gerant, atque etiam Presbyteris & Diaconis præsentibus aliqua de thesauro Ecclesiæ Servis aliisque ejusdem Ecclesiæ pauperibus, si necessitas petat, dare possint.

c. 51. *Accurate examinavimus*, ajunt, *ut Princeps mandaverat, causam illorum, quos Bonis suis spoliatos dicunt; sed nullam contra nos in hoc genere querelam invenimus. Vix enim aliquis est, qui Bona sua Ecclesiæ donet, & non tantum aut duplum aut etiam triplum Bonorum Ecclesiæ in usumfructum accipiat, addito pacto, ut ipsius liberi vel propinqui, quos nominaverit, eodem usufructu gaudeant. Iisdem quoque facultatem dedimus, Bona redimendi a Propinquis suis alienata, a quibus per legem excludebantur, ut ea in Beneficium ab Ecclesia habeant.* Id est, ut hodie loquimur, in Feudum.

Canones Turonenses.

c. 34. Summopere admonendi sunt Comites & Judices, ne homines viles & indignos ad perhibendum testi-

testimonium admittant, quoniam pejerare pro nihilo ducunt. Sæculum IX. A. C. 813.

Monasteria, in quibus olim Regula S. Benedicti fuit observata, secundum eandem Regulam reformentur, quia in aliquibus pauci sunt Monachi, a quibus eorum Abbates promissum secundum hanc Regulam vivendi non exegerunt, cum & ipsi magis Canonicorum quam Monachorum more vivant. Juvenes viduæ cito nequaquam velentur, usque dum probetur illarum Religio. Nec Virginibus adolescentulis velamen detur ante annum ætatis vigesimum quintum, nisi aliqua cogat necessitas. *c. 27.* *c. 28.*

Cum Patres istorum quinque Conciliorum sua Decreta singulatim ad Imperatorem transmisissent, ea Aquisgrani in amplissimo Conventu mense Septembri eodem anno octingentesimo decimo octavo convocato se præsente examinari jussit. Tum Capitulare promulgavit viginti octo Articulorum, in quibus ea continebantur, quæ præ ceteris sine potestatis Sæcularis auxilio effectui dari non poterant. Ultimi duo articuli inter Canones quinque Conciliorum non legebantur, & sunt hujusmodi: *Inquirendum, an verum sit, quod dicunt, Presbyteros in Austrasia de confessionibus, accepto pretio, manifestare latrones. Inquiratur etiam diligenter de Faidosis hominibus,* *An. Eginh.* *An. Moisac.* *to. 7. Conc. p. 1287.* *c. 27.* *c. 28.* *Hist. Droit. Fr. n. 14.* *Cang. gloss.*

Sæculum IX. A. C. 813.

minibus, qui diebus Dominicis & Festis turbas cient, quod nullatenus tolerandum. Faidosi homines secundum leges Barbarorum dicebantur consanguinei viri occisi, quibus competebat jus, propinqui sui mortem percussoris nece ulciscendi.

§. VII.

Ludovicus Imperator coronatur.

Thegan. c. 5. 15. *Eginh. vita* c. 9. c. 22.

Sub idem tempus Carolus Imperator Ludovicum Aquitaniæ Regem advocavit, unicum de tribus filiis suis superstitem, quippe Pipinus Rex Italiæ anno octingentesimo decimo obierat relicto filio ex Concubina nato, nomine Bernardo, & Carolum Regem Germaniæ, primogenitum anno sequente octingentesimo undecimo fata abstulerant imprölem. Ubi igitur Ludovicus Aquisgranum pervenit, Imperator Parens coacto Episcoporum, Abbatum, Ducum, Comitum, & omnium Francorum amplissimo Conventu omnes hortatus est, ut Filio suo fidem servarent, & interrogavit, an vellent, ut ipsi nomen Imperatoris conferret? cum omnes respondissent, Divinum hoc esse consilium, die Dominica sequente Carolus assumpto cultu Regio coronam gestans in capite ad Ecclesiam se confert, & usque ad aram principem ceteris editiorem Honori Domini Nostri JEsu Christi Sacram procedit, jubetque aliam

aliam coronam in ea deponi. Tum poſt- Sæculum IX.
quam & ipſe & filius diu oraſſent, Ca- A. C. 813.
rolus ad eundem coram tota Præſulum & Procerum frequentia orationem exorſus eſt. Hortabatur primo, ut Deum diligeret, & timeret. Mandata ejus integerrime ſervaret, Eccleſias defenderet, fratres & ſorores imbecilla adhuc ætate fraterno amore foveret (hi non alii eſſe poterant quam Drogo, Theodoricus & Hugo ex Concubinis nati) Nepotes & Propinquos omnes amaret. *Epiſcopos vero*, inquiebat, *ut Patres tuos honora, populos tibi ſubditos ama tanquam filios. Improbos coerce, ut ad viam Salutis reducantur. Monachis & pauperibus opem confer, Miniſtros tibi delige fideles Deum timentes ab avaritiæ labe immunes. Nullum eorum cauſa non cognita amove, teque ipſum nunquam non coram Deo & hominibus inſontem exhibe.*

Plura alia adjunxit & tandem quæſivit ex filio, an ea omnia explendi voluntatem haberet. Ludovico reſpondente, omnia ſe ex toto corde Deo adjuvante ſervaturum, jubet Pater, coronam ex Altari propriis manibus acciperet, & capiti ſuo imponeret, quo intelligeret, Imperium ſe a nemine niſi a Deo obtinuiſſe. Ergo Ludovicus coronam accipit, acclamante populo: *Ludovicus*

Sæculum IX. A.C. 813. *Imperator vivat!* omnesque hunc diem festum inter maximæ lætitiæ signa celebrarunt. Carolus Deo agebat gratias cum Davide Rege, *Benedictus es Domine Deus! qui dedisti hodie filium meum sedentem in throno meo videntibus oculis meis!* Postquam deinde Sacerdos Sacris operatus fuisset, in Regiam rediit Carolus filio suo innixus. Brevi post tempore dimisit Ludovicum Pater, atque inter mutuos amplexus largiter lacrymas fuderunt, nec enim omen aberat, alterum alterius vultum non amplius visurum. Itaque Ludovicus Imperator mense Novembri anno 813. in Aquitaniam rediit.

3. *Reg.* 1. 48.

§. VIII.

Caroli Pietas.

Exinde Carolus Civitate Aquisgranensi non excessit, orationi, eleemosynis, & sacrorum librorum correctioni intentus; nam postremam vitæ partem ad Textus quatuor Evangeliorum exactissime emendandos impendit, quem laborem cum quibusdam viris Græcis & Syris partiebatur. Tota ipsius vita magnus pro Religione zelus & solida pietas in Carolo enituit. Semper, quando per valetudinem licebat, mane & vespere Ecclesiam adiit, Nocturnis & Sacrificio interfuit. Solicite curabat, ut omnia in Eccle-

Thegan. c.7.

Sæculum IX. A. C. 813.

Ecclesiis ea qua par est reverentia fierent, sæpe Custodes monens, ne quid indecorum in Domo Dei ageretur. Ecclesias Carolus vasis aureis, argenteis, vestibus Sacerdotalibus abunde instruxit, nam Sacerdote Sanctum Sacrificium offerente nullus Clericorum & ne quidem Ostiarii veste vulgari induti erant. In ornando Sacello suo Aquisgranensi totus fuit, auro argentoque parietes splendebant accensis cereis plurimis, ex ære fusi erant cancelli & postes, columnas marmoreas Roma & Ravenna, cum aliunde haberi non possent, afferri jussit. Lectionem & cantum in Ecclesia accurate emendavit, nemo enim in his disciplinis Carolo Imperatore erat magis peritus. Nihilominus ipse publice non legebat, sed satis ei erat submissa voce & cum aliis cantare.

Hæc ita narrat Eginhardus; unde dispicimus, etiam summæ Dignitatis viros cantorum aut Lectorum munere fungi haud fuisse dedignatos; cujus rei exempla Constantinopoli quoque invenimus.

Caroli Charitas in egentes ultra Imperii sui, quamvis esset vastissimum, limites in Syriam, in Ægyptum, in Africam, Jerosolymam, Alexandriam, Carthaginem extendebatur. Pecunias mittebat, ubicunque Christianos paupertate premi

Sæculum IX. A. C. 813.

premi sciret. Inde etiam ad colendam amicitiam Principum Infidelium præcipue movebatur, ut eo facilius Christianis sub eorum Dominatu existentibus opitularetur. Inter loca pia singulari veneratione S. Petri Romæ limina prosequebatur. In illius Ecclesiæ thesaurum maximam auri, argenti gemmarumque vim contulit, additis ingentibus donis, quæ Summis Pontificibus redderentur. Toto Regni sui tempore nihil magis ei cordi fuit, quam ut antiquam dignitatem splendoremque Civitatis Romanæ reduceret, & non solum defenderet & tueretur, sed etiam Basilicam S. Petri ornaret & locupletaret. Nihilominus subjungit Eginhardus; Carolum tam diuturni Regni tempore haud sæpius quam quater Romam Devotionis causa fuisse profectum. Unde conjicere datur, quam frequentes peregrinationes illa ætate fuerint.

Tot Leges Ecclesiæ favéntes a Carolo Magno latæ non ultimo loco ponendæ sunt. Illas utpote manifesta pietatis ipsius argumenta suo tempore memoravi. Una vero supereſt, quæ silentio præteriri non debet, & quamvis dies apposita non sit, notari tamen omnino meretur. In ea Lege Imperator loquitur in hunc modum: *Volumus, ut Subditi nostri Romani, Franci, Germani* (& alii qui

Lib. VI. c. 366. *al.* 281.

qui ibi nominantur) *hoc noſtrum Decretum, quod ex Codice Theodoſiano excerpſimus, obſervent. Quicunque in Judicio cauſam habens ſive Actor ſit, ſive reus, Epiſcopum Judicem elegerit, illico ad eum dimittatur, etiam reluctante Parte adverſa, & quod Epiſcopus pronunciaverit, effectum detur, nec contra ejus Judicium exceptioni locus ſit. Teſtimonium ſolius Epiſcopi ab omnibus Judicibus haud difficulter admittatur, & in illa cauſa nullus alius teſtis audiatur.* Hæc Lex quidem in fine Codicis Theodoſiani tanquam a Conſtantino lata, & ad Ablavium Præfectum Prætorio directa reperitur; at doctiſſimi Critici ſuppoſititiam credunt, nec etiam ab ævo Conſtantini usque ad Caroli tempora hujus Legis uſum viguiſſe deprehendimus. Interim nova Auctoritas, quam Carolus huic Decreto, quod genuinum eſſe putabat, peperit, ſequentibus Sæculis Epiſcopis Jurisdictionis ſuæ limites latè proferendi prætextus fuit.

Sæculum IX. A. C. 814.

Cod. Theod. Lib. XVI. poſt tit. II.

§. IX.

Caroli Magni Obitus.

Carolus Imperator menſe Januario anno octingenteſimo decimo quarto, cum e balneo egrederetur, febri correptus, credidit, ſe eam pro more ſuo facile depulſurum, ſi ſolita abſtinentia (nihil

Sæculum IX. A. C. 814.

hil alimenti nisi paululum aquæ capiebat) in eandem pugnaret. Cum vero accessisset affectus pleuriticus, septimo die, ex quo ægrotare cœpisset, Archiepiscopum Hildebaldum Archicapellanum suum accersit, qui eum assistentibus pluribus Episcopis Extrema Unctione munivit, & Viaticum, id est Corpus & Sanguinem Domini Nostri præbuit. Exinde consumpto biduo sentiens extremam horam adveniſſe, signo Crucis in fronte, in pectore & toto corpore formato illa verba recitans: *In manus tuas &c.* reddidit Spiritum. Illuxerat dies vigesima octava Januarii anni octingentesimi decimi quarti, atque ipse Carolus decedens numerabat annos ætatis septuaginta duos, postquam Rex Francorum annis quadraginta quinque & Imperator quatuordecim regnasset. Sepultus est eadem die.

Eginh. Mon. Engol.

Ubi defuncti corpus de more lavatum est, & unctum, dubium subiit, quo esset sepeliendum, nullum enim de loco, quo condi vellet, mandatum dederat. Tandem omnibus visum, in Ecclesia, quam Aquisgrani ad honorem Sanctæ Virginis ædificaverat, esse tumulandum. Ergo defunctus primo induitur suo cilicio, quod secreto semper gestaverat, & deinde ornatur vestibus Imperialibus cum panariolo aureo, quod Romam proficiscens

ciſcens geſtare ſolitus fuerat more peregrinantium. Sedebat in Sepulchro ſuper ſellam auream, ad latus erat gladius manubrio aureo, & in ſinu Evangelium auro tectum. Humeri ſuperiori ſellæ parti nitebantur, & facies linteo velabatur. Corona, in qua particula ligni veræ Crucis continebatur, catenula aurea capiti adſtringebatur, ſceptrum & ſcutum, utrumque aureum, & a Leone Papa conſecratum, ante faciem ejus ex adverſo pendebant. Loculus, qui pro ſepulchro erat, opobalſamo, moſcho, aliis aromatibus, & multo auro impletus. Clauſus deinde eſt, & Sigillum impreſſum. Foris Arcus deauratus cum imagine Caroli & Epitaphio poſitus.

Sæculum IX. A. C. 813.

Carolus Magnus.

Carolum fatis functum non ſubditi modo, ſed etiam Exteri & ipſi Pagani luxerunt, cumque eum poſteritas vere Magnum profiteretur, id cognomentum (*) apud omnes populos nactus eſt.

Eccle-

(*) Gallice: Charlemagne. Ceterum poſterioribus temporibus nemo Imperatorum Occidentalium aſſecutus eſt Caroli Magni potentiam. Si vero ad ſuperiora Sæcula reſpiciamus, Carolo Magno nemo niſi Conſtantinus Magnus comparari poteſt, quem ſi non potentia ſaltem Regiæ Clementiæ virtute Carolus noſter ſuperavit.

Solent

Sæculum IX. A. C. 814.

Eccleſiæ non nullæ Carolum invocant ut Sanctum, quamvis in aliis, quas inter

v. Boll. to. 2. p. 874. 28. Jan.

Solent aliqui ex Proteſtantibus Caroli Magni munificentiam in SS. Pontifices arguere, & affirmare audent, tantum Principem improvide & imprudenter Romanam Eccleſiam ampliſſimis Provinciis locupletaſſe. Nempe hujusmodi Critici, qui odium & invidiam in Catholicam Eccleſiam cum lacte materno hauſerunt, Epiſcoporum Catholicorum, præſertim Romani Pontificis, Auctoritatem & Majeſtatem æquis oculis intueri non poſſunt. Vellent Epiſcopos Romanos ſine opibus, ſine principatu & prope ſine Auctoritate videre, quales olim fuere multi Patriarchæ Conſtantinopolitani, quos, fruſtra titulum Patriarchæ Oecumenici crepantes, Imperatores Græci vel Schiſmatici vel Hæretici, ſi voluntati eorum non obſequerentur, haud ſane melius quam mancipia habuerunt. Audias Proteſtantes ingeminantes; omnia ad veterem Eccleſiæ Diſciplinam reducenda eſſe, Epiſcopis Catholicis ad vitam & exemplum Apoſtolorum eſſe reſpiciendum. Argumentum iſtud, quamquam ſit plauſibile, nullo nititur fundamento; nam conſiderandum eſt, infinitam Dei Providentiam non ita ſimpliciter iisdem mediis quibus fundata eſt, Eccleſiam veram etiam conſervaſſe. In Eccleſiæ principio omnia ſupra humanæ prudentiæ Regulas fiebant, quia Dona Spiritus Sancti erant ſenſibilia & miracula frequentiſſima; his vero ceſſantibus, ad prudentiæ huma-

inter Eccleſia Metenſis eſt, pro ſalute a- Sæculum IX.
nimæ ejus ſingulis annis Miſſæ Sacrifi- A. C. 814.
cium celebretur. Illud negari non potest, uxorum ipſius & concubinarum numerum Maximi Viri famæ nocuiſſe. Quippe quatuor habuiſſe uxores, quibus honor Reginis debitus exhibebatur, & quinque Concubinas legitur. Reginæ *Sup. Lib.* fuere, Ermengardis Deſiderii Regis Lon- *XLIII.* §. 59
gobardorum filia, quam uno anno elapſo repudiavit, ut meminimus, Hildegardis, Faſtrada, & Luitgardis, qua defuncta in ſpatio

humanæ ſubſidia recurrendum fuit. Legimus, ipſos Apoſtolos nonnunquam linguarum dono inſtructos, non nunquam interpretum opera ad prædicandum uſos fuiſſe. Poſtquam Imperatores & Reges veræ Eccleſiæ Filii facti ſunt, nihil naturæ, nihil pietati magis conſentaneum fuit, quam, ut Matrem ſuam non ſolum defenderent, ſed etiam foverent & locupletarent. At vero, ſi hodie etiam Clericorum vita & mores ad amuſſim Apoſtolorum vitæ & exemplo conformandi ſunt, quare Proteſtantium Paſtores uxores ſuas non dimittunt, ut cum Apoſtolis ad JEſum Chriſtum dicere poſſint: Ecce nos reliquimus omnia? Matth. XIX. Clerici Sæculares, Proteſtantium judicio, abjicere divitias deberent, Monachi, qui, per tria vota regularia, omnia reliquerunt, ſunt ipſis terræ pondus inutile. Quid ergo facere nos oportet?

Sæculum IX. A. C. 814.

spatio tredecim annorum quatuor accepit Concubinas, ut illam silentio involvamus, quam, priusquam duceret Ermengardem Reginam, habebat. Illud autem exploratum, apud veteres Concubinæ nomen sæpe datum fuisse uxori secundum Regulas Canonicas legitimæ, cujus tamen matrimonium secundum Leges Civiles non recipiebatur, ita ut liberi ex eo nati hæredes legitimi non essent. Id observavimus, cum de Concilio Toletano primo anno 400. celebrato mentionem fecimus. De cetero verisimile omnino est, defuncta Luitgarde Carolum Magnum, cum haberet tres filios per ætatem Regno aptos, noluisse amplius uxorem accipere, quæ Reginæ titulo & honoribus gauderet, nec est impossibile, tres ejusmodi tori consortes intra spatium annorum duodecim fuisse mortuas, ita ut nunquam eodem tempore cum pluribus commercium maritale habuerit. Æquitas enim postulat, ut omnia potius, quæ secundum naturæ cursum fieri solent, accidisse credamus, quam ut suspicemur, tantum Principem in sua senectute sanctis operibus, ut vidimus, occupatum in illicita conjunctione vitam posuisse.

Sup. Lib. XX. §. 48. Conc. Tol. c. 17.

§. X.

Sæculum IX.
A. C. 814.

§. X.

Adalhardi & Walæ exilium.

Ludovicus Imperator, comperta parentis morte, ex Aquitania Aquisgranum delatus omnes thesauros in conspectum afferri jussit, sororibus suis partem ipsis debitam dedit, bonam partem aliam Romam misit, reliqua in pauperes & Episcopos pro salute parentis sui distribuit, & sibi nihil nisi mensam argenteam, in qua Mundi mappa repræsentabatur, retinuit, cujus tamen pretium reddidit. Hoc Regni sui anno primo omnes Litteras a Patribus suis Ecclesiis concessas renovari curavit.

Theg. n. 8.

Sup. Lib. XLV. §. 50.

Theg. n. 10. Vit. Val. to. 5. Act. Ben. p. 453.

Wala Adalhardi Abbatis Corbejensis frater inter Proceres, qui extremo tempore apud Carolum Magnum auctoritate pollebant, præcipuus habebatur. Eum in Regia educatum, cum illis litteris & artibus imbutus fuisset, quæ primas stirpes & illam ætatem decent, Rex Carolus, ut ipsius indolem experiretur, tradidit cuidam Optimati, qui missum in agros labore rûrali defatigavit. At deinde ad Aulam revocatus, rei domesticæ & Palatio præfectus nemini nisi soli Principi secundus fuit. Ingenium natura dederat excellens, facundus quoque erat, utriusque linguæ, Latinæ & Teutonicæ gnarus. In exercitibus, quos

Sæculum IX. A. C. 814.

Carolus adverſus Saxones emiſit, militavit, rurſusque Rex ejusdem opera, cum fœdera cum Rege Daniæ anno 811. pangerentur, uſus eſt. Anno ſequente miſit eum Imperator in Italiam ad Bernardum nepotem ſuum, ut ipſum in Regimine conſiliis adjuvaret, ſicut olim Adelhardum Bernardi Parenti adjunxerat. Tandem defuncto Carolo, non nulli æmuli urente invidia ſuſpicabantur, virum potentem abſente Ludovico res novas moliturum, & quamvis Wala integerrimæ fidei argumenta daret, nihilominus Ludovicum, Principem timidi & inſtabilis animi permoverunt, ut eum cum duobus fratribus Adelhardo & Bernardo a Regia relegaret. Adelhardus Corbeja, ubi Abbatis munere ſungebatur, pulſus, in Inſulam Herenſem, & Monaſterium S. Filiberti, hodie *Noirmoutier*, miſſus. Ipſe vero pro hac ſorte gratias Deo agebat, quod ſibi jam liceret aula exeſſe & officiis vitæ monaſticæ vacare, quippe ibi ſeptem annis omnes optimi Monachi partes implevit & toti Congregationi admirationi & exemplo fuit. Wala exilii calamitatem in animæ lucrum convertens Sæculum relinquere amicis nequicquam repugnantibus ſtatuit. Nullum obſtaculum venit ab uxore S. Guilielmi Gellonenſis filia, ſive ea mortua tunc fuerat, ſive & ipſa

Sup. Lib. XLV. §. 49.

vit. Adalh. n. 3. to. 5. Act. Ben. p. 319.

e Sæcu-

e Sæculo ad clauſtrum tranſiit. Ergo Wala Corbejam ſe recepit, ubi ex Imperatoris mandato novus Abbas in locum Adelhardi, ſcilicet ex Diſcipulis ejus aliquis, qui & ipſe Adelhardus vocabatur, electus fuerat. Quamvis vero Wala in hoc Monaſterio eſſet notiſſimus, nihilominus ad januam ſupplicis habitu comparens omnia, quibus poſtulantium ſpiritus probari ſolent, humillime ſuſtinuit. Nihil ei de rigore Novitiatus relaxatum. Hoſpitibus & ægrotis ſerviit, jejuniis corpus attenuavit, finito officio nocturno ante Altare in oratione diu perſeverare & lacrymis pavimentum madefacere ſolitus. Sæculum IX. A.C. 814.

§. XI.

Leo Armenus Iconaclaſta.

In Oriente Leo Armenus, ne quis eſſet, quem timere cogeretur, in Inſulis & Monaſteriis diverſis cuſtodiæ dari juſſit Michaelem Anteceſſorem ſuum, Procopiam uxorem, & duos filios Theophylactum & Nicetam, quos emaſculari præcepit. Omnes tres vitam Monaſticam profeſſi nomina mutaverunt. Nam pater Athanaſii nomen ſibi elegit, & adhucdum annis triginta duobus usque ad annum octingenteſimum quadrageſimum quintum ſuperſtes fuit. Theophylactus deinde Euſtratius dictus eſt, & quinque *Conſt. cont. lib. I. p. 13.*

Sæculum IX. A. C. 814.

annis post parentis obitum e vivis abiit. Nicetas Ignatius appellari voluit, postea Patriarcha Constantinopolitanus, virtute & toleratis fortiter ærumnis celeberrimus.

Simeon magist.

Leoni Imperatori brevis quidem statura erat, sed corpus crassum & forma insignis. Vox hominis audientium aures ut tonitru percellebat, capilli autem capitis usque adeo rigebant, ut cum eos Nicephorus Patriarcha coronam imponens contigisset, manus suas spinis læsas putaret. Dicebatur *Cameleon* tum ob staturæ brevitatem, tum ob mores mutabiles & Hypocrisim. Primum enim Catholicus videbatur, sed statim altero Regni sui anno armorum suorum contra Bulgaros successu tumens Sacris Imaginibus bellum indixit, talia ad Aulicorum aliquem effutire auditus: *Cur, putas, Christiani sub Infidelium jugo premuntur, nisi quia imagines adorant? Memento, omnes Imperatores, qui eas receperunt, de solio pulsos fuisse, vel in bello cæsos, econtra qui eas non adoraverunt, in suo Palatio naturæ debitum solvisse, & honorifice in Ecclesia Apostolorum conditos. Hos imitari apud me constitui, volo diu vivere, & Imperium in filium meum & nepotes usque ad quartam generationem transmittere.* Dicunt etiam a Leone aliquando consultum fuisse quem-

Auct. incert. post. Th. p. 435.

quemdam nomine Sabbatium divinationes & auguria venditantem, qui eum triginta duos annos cum Constantino Filio regnaturum, & Bulgaros devicturum promiserat, si Imagines tolleret. Ergo viros quærens, qui se id molientem adjuvarent, incidit in duos Senatores Joannem *Specta* & Eutychianum, atque alium Presbyterum nomine Joannem inter Iconoclastas exinde fama notissimum. Is Constantinopoli ex nobili familia natus, Grammaticam profitebatur, in Dialecticæ quoque argumentis subtilissimis admodum versatus. Præterea magicæ artis peritus erat, & quia cratere utebatur ad prædicanda futura, cognomento Lecanomanta dictus est, quo nomine magis innotuit, quamvis etiam Hylilas seu Hilzila nominetur. Idem Abbas fuit in Monasterio SS. Sergii & Bachi in Palatio Hormisdæ & Clericis Imperatoris adscriptus. Cum igitur Leo Imperator hunc virum ad ea, quæ meditabatur, aptum invenisset, Patriarchalis Dignitatis fastigium ei pollicetur, si, quæ optabat, effeciset, datque mandatum, ut veterum scripta scrutaretur. Joannes Imperatori obtemperans circa Festum Pentecostes anno octingentesimo decimo quarto cum quibusdam adjutoribus antiquos codices in omnibus Bibliothecis Constantinopolitanis tam Monasterio-

Sæculum IX. A. C. 814.

Script. post. Th. vit. Nicet. l. 5. n. 32. Boll. to. IX. p. 262. vit. S. Th. Stud. n. 61. Post. Th. Lib. 4. n. 6. 7.

Sæculum IX. A. C. 814.

rum quam Ecclesiarum pervolvere cœpit. Collecto librorum magno numero Textus a Concilio Iconoclastarum sub Constantino Copronymo celebrato sibi indicatos annotarunt; at multos libros, qui ipsorum judicio Cultui imaginum nimis favebant, flammis tradiderunt.

Sup. Lib. XLIII. §. 7.

Antonius Metropolita Silæus ab Imperatore accersitus mense Julio Constantinopolim pervenit. Is cujusdam Presbyteri & Sartoris filius in Sæculo Constantinus vocabatur. Postquam aliquamdiu Jurisprudentiam docuisset, multorum flagitiorum sibi conscius, ne comprehenderetur, aufugit, & Monachum induit. Tunc igitur misso pristino nomine Antonius appellari cœpit. A cunis in Religione Catholica educatus, hæresim Iconoclastarum secutus est adulator, ut Regiam intrare & Principis lateri admoveri liceret. Et certe ad assentationem natura factus videbatur, nam facetosus erat & aliorum facta referens audientes ad risum movebat, ut nemo magis. Ex Monacho Abbas factus est, & Metropolita Silæus, nempe Pergæ, Civitate Pamphiliæ capite, & magna Sede Patriarchæ Constantinopolitano subjecta. Duos secum adduxit Monachos, unum nomine Leontium, alterum Zosimum, cui ob commissum adulterium deprehenso abscissus nasus. Ubi itaque Anto-

Antonius advenit, mentem suam Imperator eidem aperuit & quæsivit, an scriptum reperiretur, adorandas esse imagines. Antonius respondit: *Non est scriptum, sed antiqua traditio esse dicitur. Ego vero,* respondit Imperator, *nunquam adducar, ut adorem, nisi in Evangelio vel in Sancto Paulo disertis verbis scriptum legerim: adorate imaginem meam.* Sæculum IX. A.C 814.

§. XII.

Nicephorus Patriarcha Imperatori resistit.

Hanc rem usque ad mensem Decembrem secretam tenuerunt. Tunc vero Imperator, omnibus ut existimabat satis præparatis, Patriarcham lenibus primo verbis expugnare aggreditur, dicebat: *Adoratio imaginum populo scandalo est. Credit, nos illas colendo peccare, & hanc esse causam, cur ab Infidelibus vincamur. Dandum aliquid populo est, mittamus rem nullius momenti, vel produc argumenta cur eas adores, cum Sacra Scriptura de iis sileat.* Patriarcha respondit: *Antiquas Traditiones mutare non possumus. Imagines adoramus sicut Crucem & Evangelium, quamvis & istud scriptum non sit.* Nam Iconoclastæ fatebantur, Crucem & Evangelium adoranda esse. Interim Patriarcha, comperto, quod Antonius Silæus Impe-

Sæculum IX. A. C. 814.

ratori consentiret, accersitum, num verum id sit, interrogat. Negavit Antonius, deditque libellum sua manu scriptum apposita Cruce & sigillo, in quo profitebatur, se Imagines honorare, & contrarium sentientes anathematizabat. Hunc libellum præsentibus Metropolitis, qui forte aderant, tradidit; Imperatori autem id ei exprobranti dixit: *Illusimus eis, Imperator, ut ea, quæ decrevisti, liberius exequaris.*

Post hoc primum certamen cum Patriarcha Imperator ratus majoribus sibi opus esse auxiliis plerosque suarum ditionum Episcopos convocavit, ut plures suæ opinionis fautores haberet. At priusquam Constantinopolim appellerent, omnes jussit custodiæ dari, ne pro more antiquo neminem prius quam Patriarcham adirent. Tum illi, quos voluntati Imperatoris consensuros credebant, libertati restituebantur, obsistentes vero in carceres & tetros specus detrusi fame cruciabantur. Nicephorus Patriarcha intelligens cum Tyranno rem sibi esse, eo majori fervore preces ad Deum fundebat, & Catholicos ad constantiam exhortabatur. Porro congregatis in domum suam, quotquot potuit Monachis & Episcopis, noctem cum ipsis omnibus in majore Ecclesia inter preces consumpsit. Et tunc factum, ut conji-

v. S. Niceph. Gr. to. 7. Boll. p. 712.

vit. Nicet. Gr. Boll. to. 1. n. 32.

cere

cere est, quod Patriarcha ambonem con- Sæculum IX.
scendens in Antonium Silæum tanquam A. C. 814.
prævaricatorem Anathema pronuncia- *to. 7. Conc. p.*
verit. Cum ad Imperatorem esset de- 195.
latum, Episcopos & Monachos ad Concionem convenisse, metuens ne contra se malum procuderetur, antequam illucescceret, tempore quo galli cantare solent, ad Patriarcham misit, qui suo nomine quererentur, contra se seditionem commoveri, & mandarent, ut omnes, postquam illuxisset, venirent ad Regiam. Ipsi eo magis ad defendendam veritatem excitati sunt, eosque, finitis precibus, Patriarcha ferventi oratione in proposito confirmavit.

Tum omnes ad Regiam se conferunt. Imperator venienti Patriarchæ nec dextram porrexit, nec de more amplexus est, sed oblique intuitus consedit, & considere quoque jussum, primo solum affatus est, sperans, ita facilius viri constantiam frangi posse. *Nihil aliud cupimus*, inquiebat, *quam veritatem cognoscere, & pacem reducere. An nescis multitudinem hominum, quibus imagines offendiculo sunt? His satisfieri alia via non potest, nisi ad Scripturæ Textus, quos afferunt, respondeatis. Volo igitur, ut missa omni mora cum ipsis hac de re conferatis. Si recusatis, liquido constabit cunctis, malam esse causam vestram.*

Patriar-

Sæculum IX. A. C. 814.

Patriarcha respondit: *Neutiquam nobis animus fuit contra te quemquam commovere, sed pro te preces ad Deum fudimus, sicut Scriptura præcipit. Nemo nobis ardentius pacem desiderat. Vos autem pacem & quietem perturbatis. Nam omnes hodie Ecclesiæ concordes sunt. An Roma in destructionem imaginum consentit?* (*) *An Alexandria, aut Antiochia, aut Jerosolyma? Noli, Auguste, Hæresi dudum damnatæ & prostratæ manum porrigere. Si quis tibi dubium in Fide creavit, explicabimus & explanabimus quod petis, ut muneris nostri ratio exigit. At cum Hæreticis diu ante convictis & anathematizatis disputare non possumus.* Ipsam vero materiam aggressus coram Imperatore de Quæstione Imaginum solide disseruit.

§. XIII.

Episcopi Imperatori resistunt.

vit. S. Nicet. c. 5. n. 32. 33.

Ceteri deinde Episcopi & Abbates intrare jubentur, & ex adversa parte Iconoclastarum Principes, qui in Regia diversabantur, admittuntur. Optimates quoque, totum Senatum, & Ministrorum

(*) Ex his Ecclesiæ Constantinopolitanæ & ceterarum Orientalium cum Romana in Doctrina concordia adversus Protestantes demonstratur.

rum suorum præcipuos nudos enses tenentes, ad incutiendum Catholicis terrorem, Imperator adesse præcepit. Omnibus ingressis Nicephorus Patriarcha ad Proceres conversus ait: *Edicite, an illud tolli potest quod non existit?* Et illis mutuo sese intuentibus, cum nescirent, quid sibi vellet hac quæstione, subjunxit: *Num Leonis patris & Constantini filii Isaurorum tempore imagines non ceciderunt?* Illis annuentibus, ipse intulit: *Ergo prius imagines existebant.* Tunc Imperator dixit: *Scitote, Patres, me idem sentire, quod vos* (simul Reliquiarum thecam figuris ornatam, quam in sinu gestabat, protulit, & osculatus est) *verum, quia sunt, qui aliud docent, & de hac Quæstione ad me relatum est, decet, ut eam examinari jubeam.* Sæculum IX. A. C. 814.

Catholici non dubii, Imperatorem mentem fingere, colloquium cum Hæreticis respuerunt. At Æmilianus Cyzicenus dixit: *Si quæstio hæc Ecclesiastica est, in Ecclesia ut mos est, & non in Regia pertractetur.* Respondit Imperator: *Sed & ego filius sum Ecclesiæ; utramque partem audiam, & arbiter vester sim.* Ad hæc Michael Synnadensis: *Si nos conciliare vis, quare id non facis, quod conciliantem decet facere? quippe alios in Regia tua foves, ad te congregas, delicate pascis, excitas, docendi erroris facul-*

Sæculum IX. A. C. 814. *facultatem præbes, iisdem ad omnes Bibliothecas aditus patet; nobis vero libros dare vetitum est, nec in angulis loqui audemus, ubique Edictis tuis pertremefacti. Sed quare,* repoſuit Imperator, *cum his hominibus non vultis loqui, niſi quod ſententiam veſtram teſtimoniis confirmare non poteſtis?* Theophylactus Nicomediensis: *Imo teſtimoniis abundamus, ſed adverſarii noſtri non habent aures ad hæc audienda.* Petrus Nicenus ſubjunxit: *Quomodo cum illis nos loqui vis, quibus tu auxilium affers? an iſtud ignoras, etiam Manichæos victoriam reportaturos, ſi eorum propugnator ſis?* Poſt hæc Euthymius Sardenſis: *Audias Imperator, ex quo tempore, nempe jam ultra annos octingentos, JEſus Chriſtus in hunc mundum deſcendit usque ad hanc diem depingitur & in imaginibus ſuis adoratur; quis audeat antiquiſſimam Traditionem evertere? hæc Doctrina in Concilio Niceno ſub Irene & Conſtantino celebrato confirmata eſt, & quicunque contra eam inſurgere auſus fuerit, Anathema ſit.* Poſt Epiſcopos S. Theodorus Studita profatus inter alia dixit: *Ne tentes, o Imperator! Eccleſiaſticum Statum diſſolvere. Ait enim Apoſtolus:* Eph. 4. 11. 12 *quosdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, Prophetas, Paſtores, & Doctores, non dixit Reges. Tibi quidem*

vit. Theod. c. 74.

dem Respublica & exercitus commissus est, hæc igitur cura. Ecclesiam autem Pastoribus & Doctoribus relinque.

Imperator superante indignatione, abire eos jubet non amplius in conspectum venire, nec de hac quæstione quidquam loqui. In domos suas reversis, singulis mandatum a Præfecto Constantinopolis scriptum affertur; quisque domi suæ se contineat, nullus alteri scribat, aut quocunque demum prætextu de Fide loquatur. Ad mandati hujus gerulos Theodorus Studita dixit: *Ipsi* c. 76. *judicate, an oporteat, vobis magis obedire quam Deo.* Nos vero potius feremus exsecari nobis linguam, quam periclitantem fidem prodamus. Et dicta factis confirmavit Vir Sanctus, quosdam enim advocavit, ad alios ipse accessit, vel scripsit. Patriarchæ quoque sæpius colloquebatur, ut ejus animum adversitate pressum confirmaret.

Hac de re Theodorus ad Monachos dedit Epistolam cujus initium hoc est: *Tempore isto, quo adversarii JEsum Christum persequuntur in Imagine sua, non illis solum qui Dignitate aut Doctrina excellunt, pro veritate pugnandum est, sed etiam Discipulis. Quando Abbates, ab Imperatore detenti, siluerunt, imo, quod multo pejus est, datis litteris promiserunt, se in cœtus non coituros,* ep. 2.

Sæculum IX. A.C. 814.

ros, & hanc Doctrinam non prædicaturos, veritatis proditores fuerunt, cum mallent in Monasteriis sedentes suis commodis inservire, quam pro bona causa pati. Dicunt: qui sumus nos? Respondeo; primo Christiani estis, quorum est in hoc rerum articulo loqui & fidem suam profiteri, deinde Monachi, qui omnia reliquerunt, ut hoc mundo superiores essent, & denique Abbates, quorum est datum ab aliis scandalum tollere. Si quis ad istos Abbates veniat interrogans, quid sit de fide credendum, num respondebunt: Jussus sum non loqui, & te ad Monasterium venientem non recipere?

§. XIV.

Leo dissimulat.

App. ad Theoph. Sup. Lib. II. §. 5.

Interim Imperator clam immisit milites, qui profanarent JEsu Christi Imaginem, in porta ænea expositam, illam ipsam, quæ sub Leone Isauro dejecta, & jubente Irene restituta fuerat; id enim ex Inscriptione supra posita apparebat. Itaque milites lapides & cœnum in hanc imaginem injiciunt, invocantes Diabolum cum inferis omnibus & plures alias blasphemias proferentes. Imperator indignationem simulans ait ad populum: *Auferamus hinc imaginem istam, ne deinceps a militibus injuriam patiatur.* Hoc factum Antonio, Joanni, aliisque Iconomachis

machis animos addidit. Appropinquante Festo Domini Natali misit Patriarcha, qui Imperatorem rogarent, ne Ecclesiam turbatam vellet; se vero libenter abdicaturum Dignitatem, si ipse scandali causa esset. Imperator respondit: *Quis facinus moliri audeat, ut deponere attentet Patriarcham, Patrem nostrum, aut Ecclesiam turbare? illam quæstionem ad examen vocavimus propter illos, qui eam movebant. Ceterum credo, quod Ecclesia credit.* Hæc dicens, e sinu productam Crucifixi imaginem inspectantibus cunctis adoravit. Nihilominus fucum faciebat, usque dum Festum transiisset. Sæculum IX. A. C. 815.

In die Nativitatis Dominicæ in Ecclesiam venit, intrat Sanctuarium, ut mos erat Imperatoribus Constantinopolitanis, & adorat Altaris tabulam, in qua Nativitas Domini nostri repræsentabatur; quod toti populo solatio fuit. Verum in Festo sequente Epiphaniæ, die sexta Jan. anno octingentesimo decimo quinto patuit Imperatoris Hypocrisis; nam ad Ecclesiam veniens imagines non adoravit, & exinde Patriarchæ apertius adversari cœpit, vetuit ad populum dicere, & Ecclesiæ & Vasorum Sacrorum custodiam Thomæ Patricio bis Consuli dedit.

Illo tempore Patriarcha in gravem morbum incidit; unde Imperator ali- *vit. Niceph. c. 10 n. 60.*

Sæculum IX. A C. 815.

quamdiu iram preſſit, ſperans, ipſo defuncto facilius, quæ volebat, effici poſſe. Poſtquam vero ad eum relatum, Patriarcham convaleſcere, miſit Theophanem Imperatricis fratrem & Epiſcopos Iconoclaſtas, quibus Patriarcha colloqui noluit, dicens ſe eos per valetudinem non poſſe admittere, præter cauſas quas jam antea attuliſſet; ſed petebat, ut prius ſibi poteſtas libera in gregem ſuum redderetur, ut Epiſcopi Catholici e carceribus liberarentur, exules revocarentur, illi, quorum Ordinationes contra Canones factæ eſſent, amoverentur, & Conventus non alibi quam in Eccleſia agerentur. His poſitis conditionibus colloqui promittebat, poſtquam per valetudinem ſibi liceret.

§. XV.

Nicephorus Patriarcha pellitur.

Sup. Lib. XXVIII. §. 19.

At Iconoclaſtæ, qui ſe Synodum Cæſaream, ſeu *Synodos Endemouſa* repræſentare jactabant, Imperatori perſuaſerunt, rejiciendas eſſe has conditiones, quippe dicebant, poſtquam jam ter Patriarcham citaſſent, a ſe contumaciæ cauſa damnari poſſe. Ergo monitionem ad eum dirigunt, in qua imperabant, ut coram ipſis compareret, mittuntque Episcopos & Clericos cum grege otioſorum hominum, qui hanc redderent. Patriarcham

cham hanc legationem in conspectum admittere nolentem permovit tamen Thomas Patritius ne homines inauditos repelleret. Admissi dixerunt: *Synodus, cui contra te Libelli oblati sunt, tibi præcipit, ut ad causam dicendam venias. Si vero Depositionis pœnam effugere vis, cum Synodo & Imperatore tibi consentiendum est, ut imagines aboleantur.* Patriarcha respondit: *Et quis ille est, qui auctoritate arrogata libellos contra nos recipit? estne Papa,* (*) *aut aliorum Patriarcharum aliquis? si autem, ut dicitis, reus sum criminum, quæ Depositionis pœnam post se trabunt, num, si voluntati Imperatoris obtemperem in causa imaginum, id sufficiat, ut absolvar & eadem die restituar? an me Legum Ecclesiasticarum omnino ignarum putatis? etiamsi Sedes Constantinopolitana vacaret, nemini tamen Episcoporum exterorum* (**) com-

Sæculum IX. A. C. 815.

(*) Hi iterum contra Protestantes probatur, quo loco Patriarchæ Constantinopolitani Romanos Pontifices habuerint, & quem inter Judices suos primum agnoverint, quamquam nulli Patriarcharum Orientalium in alterum Jurisdictio ordinaria competiit.

(**) Hæc verba non ita simpliciter accipi possunt; sed addi debet: nisi supervenerit legitima Jurisdictionis exercendæ causa. Nam Nicephorus

Sæculum IX. A.C. 815.

competeret, in ea jurisdictionem exercere, multo minus, cum Sedes modo non vacet. Tum lecto Canone Delegatos ad se declaravit excommunicatos, & ex ambitu loci sacri excedere jussit. Ipsi in eum & Tarasium anathema pronuncantes abierunt.

Nicephorus resignat.

Ergo Iconoclastæ spe omni abjecta Patriarcham flecti posse, eum occulto facinore e vivis tollere constituerunt. At ipse a quodam Clerico Catholico monitus insidias effugit. Cum non successisset dolus, edicto Decreto prohibuerunt, ne quis Nicephorum Patriarcham agnosceret, aut in Missa ejus nomen recitaret. Volvebatur tunc Quadragesimæ tempus, scripsitque Nicephorus Imperatori in hunc modum: *Pro veritate, ut meæ ferebant vires, pugnavi. Omnis generis injurias, opprobria, carcerem, Bonorum & domesticorum meorum jacturam sustinui. Tandem homines, qui Episcopi esse videbantur, intrarunt domum meam, cum gravissime decumberem, & comitante plebe cum gladiis & fustibus mibi insultarunt. Comperi deinde veritatis hostes me vel deponendi, vel interficiendi cepisse consilium. Ut ergo nefas*

rus non negat, se si reus esset posse deponi; a quibus vero nisi ab Episcopis, & utique Jurisdictione in se gaudentibus?

nefas devitemus & peccatum, cujus Majestas tua particeps fieret, cedo invitus & necessitate compulsus Sede mea. Ceterum gratias agam Deo, quamcunque sortem mihi obtingere imposterum permiserit. Sæculum IX. A. C. 815.

Imperator hac Epistola maligno risu accepta Thomæ Patritio mandat, ut cohorte militum cinctus iret, & media nocte Patriarcham comprehenderet. Patriarcha, cum illa noctis hora milites ad se intrarent, petiit lumen inferri, surrexit e strato & manibus suorum nixus arrepto thuribulo duobus luciferis præeuntibus in Ecclesiam se contulit, ubi in pavimento prostratus locum Sacrum Deo commendavit, ne profanaretur ab impiis. Tum Ecclesiæ suæ & Civitati Constantinopolitanæ valedicit, & lecticam conscendens in Arcem defertur. Inde scaphæ impositus Chrysopolim transvehitur, mittiturque in Monasterium Agathi, id est Boni, quod ædificaverat. Sed modico post tempore ulterius ad S. Theodori Monasterium, ab ipso quoque fundatum, transfertur.

§. XVI.

Theodotus Patriarcha.

Nicephoro Patriarcha in exilium abstracto Imperator sequente die mane populum ad concionem vocat, simulatque Nicephorum sponte sua Ecclesiam *Ap. Theoph.*

Sæculum IX. A.C. 815.

suam dereliquisse & discessisse. Moxque in ejus Sedem Joannem Leconomantam suffecturo, ut promisso se exsolveret, obstiterunt Patritii dicentes: *Juvenis est obscuri nominis, non decet nos viros Senes coram ipso prosterni.* Itaque Leo Theodotum elegit filium Michaelis Patritii, qui Constantini Copronymi Sororem in matrimonium acceperat. Theodotus Spatarius Imperatoris erat, & in eadem de imaginibus sententia. Nulla autem in eo pietas aut rerum spiritualium scientia. Sacris litteris leviter tinctus, de cetero vir mansuetus & bonus videbatur.

Patriarcha absente imaginum hostes illico eas delere, dejicere, comburere & omnibus modis profanare. S. Theodorus Studita autem, ut huic scandalo insigne pietatis exemplum opponeret, jussit Monachos suos imagines manibus suis tenere, & procedentes in solemni pompa Dominicæ Palmarum cantare Hymnum, cujus initium: *Adoramus imaginem tuam purissimam*, aliosque hujusmodi in honorem JEsu Christi concinnatos. Ita cantantes Monasterium circumiverunt; cumque id ad aures Imperatoris perveniisset, Theodoro denuntiari jussit; nisi ejusmodi cultu abstineret, flagris & ipsa morte puniendum. Sed S. Abbas contra audentior ivit, fidem Catholicam docuit,

docuit, omnesque se consulentes ad SS. imaginum cultum exhortatus est. Sæculum XI. A. C. 815.

Novus Patriarcha Theodotus ordinatus est in die Paschæ prima Aprilis anno octingentesimo decimo quinto, & annis sex hanc Sedem tenuit. Quamprimum Palatii Patriarchalis possessionem adiit, cœpit lautissima celebrare convivia, atque Clericos, Monachos, Episcopos, qui a puero abstinuerant a carnibus, ad eas manducandas compulit. Amandata modestia & gravitate, quæ prius hanc domum commendabant, risus, lusus, luctationes, scurrilia & sermones obsceni successerunt.

§. XVII.

Concilium Iconoclastarum.

Peractis Festis Paschalibus jubente Leone Imperatore Concilium Iconoclastarum & Episcoporum, qui perterriti cesserant, in Ecclesia S. Sophiæ congregatum, cui novus Patriarcha Theodotus cognomento *Cassitera* præerat. Voluit quoque Imperator, ut filius suus Symbatius, quem Constantinum appellavit, Concilio adesset, ne si ipse adiret, Doctrinam illi, cui Imperium suscipiens subscripserat, contrariam approbare cogeretur. Abbates Constantinopolitani ad Synodum vocati data Epistola, quam S. Theodorus Studita nomine omnium *vit. Nicephi. n. 73.*

Sæculum IX. A. C. 815.

scripsit, absentiam excusarunt. Summa eorum quæ scripserat fuit: *Canones prohibent, ne quidquam de causis Ecclesiasticis præsertim de quæstionibus ad Fidem pertinentibus sine Episcopi nostri consensu decernamus. Quapropter, licet bis a vobis vocati, non ausi sumus aliquid movere, cum sub potestate Sanctissimi Patriarchæ Nicephori simus. Ceterum novimus, eo consilio hanc Synodum congregari, ut Concilium secundum Nicenum infringatur, & adoratio SS. Imaginum prohibeatur. Quamobrem declaramus, nos in ea fide esse, quam omnes Ecclesiæ sub Cælo tenent, & adorare Sanctas Imagines. Non solum secundo Concilio Niceno, sed universæ Traditioni scriptæ & non scriptæ a tempore adventus JESU Christi inhæremus. Doctrinam contrariam non recipimus, etsi (quod impossibile factu) Petrus aut Paulus aut Angelus de Cælo descendens eam afferret, & parati sumus ultima pati potius quam nostram abjicere.*

Lib. II. ep. 1.

App. ad Thr. p. 442. vit. S. Niceph. n. 73 Sup. Lib. XLIII. §. 7. Theod. II. p. 15.

Duobus Monachis, qui hanc Epistolam Concilio reddiderant, haud perfunctorie dedolatis, initium Sessioni primæ datum est. In ea Fidei Definitio Concilii in Blachernis sub nomine septimæ Synodi Auctoritate Constantini Copronymi celebrati lecta est, & confirmata, legitimum vero Concilium septimum & Patriar-

Patriarchæ Orthodoxi anathematizati. Secunda die sistuntur in Concilio aliquot Episcopi Catholici, quos Iconoclastæ facilius flecti posse speraverant. Primum dilaceratis eorum Sacris vestibus in Ecclesiæ januis velut captivi exspectare jubentur, trahuntur deinde in medium Conventus, & ex mandato Præsidum stare coguntur; offertur vero singulis sedes, si modo sententiam suam abjicere vellent. At eosdem in Confessione Fidei Catholicæ & veneratione Imaginum firmos experti, imperant Episcopos terræ affligi, quorum colla obvii quique proculcant. Erectos postea aversо gradu recedere compellunt, inspuunt, pulsant vultus, & capita pugnis tundunt, ita ut aliqui proprio cruore perfunderentur. Tandem militibus traditi in custodiam deducuntur. Dimissis Episcopis Abbates ex celeberrimis Monasteriis introducuntur, qui nec blanditiis nec minis victi, & ipsi in diversos carceres mittuntur. Sessioni secundæ Acclamationes pro salute Imperatoris & filii ejus & Anathematismi contra Principes Catholicorum finem fecerunt.

Sæculum IX. A. C. 815.

vit. S. Niceti c. 6.

Fidei postea suæ Confessionem ediderunt, cui primus Imperator juvenis & deinde reliqui omnes subscripserunt. Ita solutum est hoc Concilium.

Sæculum IX. A.C. 815.

Itaque secundum ejusdem Conciliabuli Decretum omnes Ecclesiarum picturæ calce illitæ delentur, flentibus plerumque illis servulis, quibus invisum opus imperatum erat. Confringuntur Vasa Sacra, ornamenta minutatim conscinduntur, cæduntur securibus effigies in ligneis tabulis depictæ & in foro publico concremantur. Aliæ imagines adhibito luto & unctionibus fœtentibus corrumpuntur, in odium odorum, qui antea in earum honorem incendebantur. Profani homines res Sacras impune contingebant, quas ipsis aspicere non erat licitum. Ex eo tempore persecutio in Catholicos præsertim Clericos & Monachos recruduit.

§. XVIII.

SS. Episcopi persecutionem patiuntur.

Combef. to. 2 Auct. p. 1038 Conc. sept. act. 1.

Inter Episcopos, qui in hac persecutione pressi sunt, fama celeberrimos reddidit Michaelem Synnadensem, & Theophylactum Nicomediensem, Discipulos Tarasii Patriarchæ, qui eos e Monasteriis evocatos Metropolitas ordinaverat. Michael inter Metropolitas Concilio Universali septimo interfuit, missusque in Occidentem ab imperatore Michaele Curopalata ad Carolum Magnum, in eadem profectione Epistolam Synodicam Nice-

Sup. Lib. XLV. §. 23.

Nicephori Patriarchæ ad Leonem III. Papam detulerat. Cum igitur Michael & Theophylactus præsente Imperatore Leone Armeno Iconoclastis constantissime resisterent, ambo in exilium migrare coguntur, Michael in Insulam Eudocialem, & tum in alia loca, cujus memoriam Ecclesia vigesima tertia Maji celebrat, Theophylactus autem in Arcem Strobyli in Caria, ubi adhucdum annis triginta vitam produxit. Inter Sanctos colitur octava die Martii seu septima sub nomine Theophili. Sæculum IX. A. C. 815. *Mart. Rom. Bol. to. 16. p. 257. Mart. R. 7. Mart. Boll. to 6. p. 787. Boll. 11. Mart. to. 7. p. 73.*

S. Euthymius Metropolita Sardensis quoque juvenis Institutum Monasticum amplexus fuerat, isque inter præcipuos Episcopos Concilium Nicenum secundum, in quo sæpius de eo recurrit mentio, celebravit. Irene & Constantinus in legationibus & aliis Reipublicæ negotiis ipsius opera usi sunt. Eundem Imperator Nicephorus in Insulam Patarean in Occidente positam relegavit, quod puellæ velamen Monasticum dedisset. Ab exilio revocatus illis se junxit, qui cultum Imaginum coram Leone Armeno forti pectore defendebant; hinc ab eo in *Asson* missus est in exilium. At necdum ipsius laborum finis. Item S. Æmilianus Cyzicenus Exulum numero additus est, postquam pro eadem causa multa tulisset. Ecclesia ipsius memoriam *Mart. Rom. & Menol. 8. Aug. Boll. to. 9. p. 668.*

Sæculum IX. A. C. 815.

riam honorat octava die Augusti. Georgius Episcopus Mitylenensis in Insula *Lesbos* Metropoli, natus parentibus nobilitate & opulentia conspicuis vitam Monasticam olim amplexus, quem præcipue eleemosynarum largitio commendabat, Sede sua a Leone Armeno pulsus est ob cultum Imaginum, & Chersonam proscriptus, ubi vitam posuit. Is septima die Aprilis ab Ecclesia honoratur.

§. XIX.

SS. Abbates persecutionem patientes.

Inter Abbates, quos Iconoclastæ persecuti sunt, inprimis S. Theodorus Studita, S. Nicetas Medicionensis, S. Theophanes Singrianensis, S. Macarius Pelecitanus, S. Joannes Catharensis claruerunt. Leo Imperator Theodorum Studitam Imaginum cultum libere propugnantem non ferens, eum in Arcem Metopensem prope Apolloniam relegavit; unde S. Abbas, quamvis esset inclusus, Catholicos tamen erudire & confirmare datis litteris non cessabat. Harum litterarum magnum habemus numerum & præter alias Epistolam dogmaticam, in qua Quæstionem de Imaginibus amplissime tractat, eadem argumenta & eandem Auctoritatem adhibens, quibus olim

vit. Theod. c. 81.

II. ep. 8.

lim Imaginum cultus sub Leone Isauro & Copronymo defendebatur. In alia Epistola mentionem facit de aliquo Discipulorum suorum, Thadæo Monacho tamdiu flagellis cæso donec pro cultu imaginum Martyr animam exhalasset. Memorat, quosdam alios lapsos fuisse. Theodorus in carcere vinculorum socium habebat, nomine Nicolaum, postea Studiensis Monasterii Abbatem. Sæculum IX. A. C. 815. *II. ep.* 5.

Nicetam Abbatem Cæsareæ in Bithynia natum, matre octava die ex partu defuncta, Pater vitam Monasticam amplexus, adhuc puerulum Deo consecravit, fecitque Ostiarium seu Ecclesiæ Custodem. Ubi adolevit, secutus est virum senem Anachoretam, qui eum duxit ad Monasterium S. Sergii in *Medicion* Constantinopoli, cui tunc præerat Nicephorus Abbas, ejusdem Monasterii Fundator, qui inter Abbates secundo Concilio Niceno interfuerat. Necdum annos septem integros in Monasterio agentem, Nicephorus a Tarasio Patriarcha Presbyterum ordinari curavit, & Abbatialis Regiminis onus in ejus humeros transtulit. Nicephorus Abbas post aliquot annos defunctus, nunc inter Sanctos quarta Maji honoratur. Tunc vero Nicetas ab universa Congregatione Hegumenus seu Abbas eligitur, & manibus Nicephori Patriarchæ ordinatur. *vit. ap. Boll. 3. April. to. 9 p.* 225. *Act. 4. p.* 342. *v. Boll. to.* 22. *p.* 500.

Cum

Sæculum IX. A. C. 815.

Cum ceteris Abbatibus ad Concilium Iconoclaſtarum deductus anno octingenteſimo decimo quinto, mittitur in carcerem fœtentiſſimum, ita ut ipſe locus ingens ſupplicium eſſet. Ibi ab immiſſis hominibus, quorum blaſphemiis & conviciis fatigabatur, diutiſſime tentatus, tandem jubente Imperatore in Natoliam ſumma hyeme proficiſci cogitur, & Arci *Maſſaleon* dictæ includitur.

Sup. n. 15.

Boll. 1. *Apr. to.* 9. *p.* 30.

Theophanem Abbatem tunc calculo laborantem veriſimile eſt ante annum octingenteſimum decimum ſextum Conſtantinopolim non veniſſe. Macarius Abbas Pelecitanus Conſtantinopoli natus in Sæculo Chriſtophorus vocabatur. Is tot miracula patravit, ut Thavmaturgi nomen nactus fuerit. Præter alios Paulum Patricium & uxorem ejus a morbis deſperatis liberavit. Sub Leone Armeno imaginum cauſa varie tortus, quoad ille imperavit, carceri mancipatus fuit. Exſtat Epiſtola a S. Theodoro Studita ad eum data. Joannes, Abbas Monaſterii Catharenſium, in Decapoli Iſauriæ natus, ad Concilium Nicenum venit cum ſuo in litteris Magiſtro, qui poſtea Conſtantinopolim delatus, S. Dalmatii Abbas fuit. Joannes Presbyter ordinatus & a Nicephoro Imperatore ad Monaſterium Catharenſium, quorum Abbas fuit, miſſus, ultra annos decem illis præfuit,

Il. ep. 20. *Boll.* 27. *Apr. to.* 2. *p.* 496.

Joannes Abbas & Presbyter.

fuit, & Fratribus perſecutionem Leonis Armeni prædixit, eos exhortans, ut in veneratione ſacrarum imaginum perſeverarent. Nec vanum fuit Vaticinium; nam immiſſi ab Imperatore ſatellites Monachos in diverſa ſparſerunt, Monaſterium diripuerunt, & Joannem Abbatem vinculis ferreis adſtrictum Conſtantinopolim perduxerunt. In conſpectum Imperatoris vocatus, impietatem virili vigore exprobrat; unde excandeſcens Abbatis oculos & faciem bubulis pulſari jubet. Elapſis deinde menſibus tribus in arcem *Pentadactylion*, in regione Lampenſi Natoliæ ſitam abſtrahi mandat, ubi anno uno & menſibus ſex ferro pedes vinctus hærere coactus eſt. Sæculum IX. A. C. 815.

Inter Laicos memoratur etiam Nicetas Patricius Ireni Imperatrici affinitate conjunctus, quem illa ad Concilium Nicenum miſit, ſuo nomine interfuturum. Nihilominus hunc Nicetam in Actis non reperio. Is deinde Prætor Siciliæ fuit, ubi viduarum & orphanorum curam paternam geſſit. Conſtantinopolim reverſus, cum Leonem Armenum Imperatorem contra imagines funeſtum bellum ſuſcepiſſe videret, abdicata Dignitate ad vitæ Monaſticæ quietem confugit. Miſit ad eum Imperator, qui mandaret; imaginem Salvatoris combureret, vel ad ſe remitteret, *Menol.* 6. *Octobr. ap. Baron. an.* 814. *n.* 46.

Sæculum IX. A. C. 815.

ret, & utrumque facere detrectantem ejecit in exilium, ubi multis ærumnis toleratis obiit. Ecclesia Græca ipsius honorem sexta Octobris celebrat, & laudes eximiæ, quibus eum S. Theodorus Studita in Epistola ad eundem data cumulat, maxima fuisse viri merita irrefragabiliter testantur.

1. Ep. c. 27.

§. XX.

Leonis III. Papæ obitus.

Egin. an 815 *Astronom.*

Cum Romæ quidam de Primoribus Urbis ad interficiendum Leonem Papam conspirassent anno octingentesimo decimo quinto, omnes illius factionis Auctores ipso jubente, ut Romanorum Lex ferebat, necati sunt; id vero Ludovico Imperatori non probabatur, quod primus in orbe terrarum Episcopus (*) tanto

(*) Ad hunc locum varia observanda occurrunt. Inprimis via juris, non facti, conjurationis Auctores a Summo Pontifice fuisse oppressos dubium nullum est, idque indicant verba, quod in Proditores lege agi præceperit. Sed quæri potest, an ut Episcopus vel ut Reipublicæ Romanæ Princeps præcipere potuerit, ut in reos pœna capitis animadverteretur; & videtur dicendum, Leonem Papam id juris non habiturum fuisse, nisi Episcopo Romano, legitime electo, post Donationem Pipini & Caroli Magni

tanto rigore a reis pœnas exegiſſet. Ita- Sæculum IX.
que Bernardum, Italiæ Regem, Nepo- A. C. 815.
tem ſuum, ad cognoſcendum, quod nunciabatur, Romam mittit. Verum Pontifex ſua quoque ex parte miſſis Legatis, Joanne Epiſcopo Sylvæ candidæ, Theodoro Nomenclatore, & Sergio Duce, per omnia Imperatori ſatisfecit.

Brevi poſt tempore, Romani Leonem Papam ægritudine decubuiſſe videntes, collecta manu omnes novas domos, nempe Eccleſiæ prœdia, quæ in aliquarum Civitatum ditionibus extruxerat, diripiunt & immiſſo igne cremant. Tum Romam ire ſtatuunt, & quæ ſibi erepta querebantur, vi auferre. Quo comperto Bernardus Rex miſſis illuc copiis Duce Winigiſo Spoletano ſeditionem compeſcuit, & Romanos a cœptis deſiſtere coegit. Omnia deinde, ut geſta erant, per Legatos Imperatori nuntiat.

Leo III.

Magni poteſtas civilis, Principi Sæculari competens, annexa fuiſſet. Jus tamen aliquod ſupremum & directum in Ducatum Romanum Reges Francorum & Imperatores ſibi reſervaſſe exinde patet, quod Ludovicus Imperator Bernardum Italiæ Regem ad cognoſcendam hanc cauſam Romam miſerit. Ceterum Romani nunquam Regni ſatis patientes tam illo Sæculo, quam poſterioribus ad priſtinam Reipublicæ libertatem reſpexerunt.

Sæculum IX. A. C. 816.

Leo III. Papa anno sequente octingentesimo decimo sexto obiit, postquam Sacram Sedem annis viginti, mensibus quinque & diebus sexdecim tenuisset. Tot annis, quibus in Pontificatu vixit, Ecclesias Urbis Romanæ magnis impensis reparavit, & dona immensi pretii contulit; quia nimirum multiplicibus oblationibus Caroli Magni, & aliorum Regum, nec non ex peregrinantium jugiter frequentissimo cœtu Ecclesia Romana admodum locupletata fuit. Inter hæc dona mihi sequentia singulariter memoratu digna videntur. Confessionis S. Petri pavimentum vestivit auro fulvo librarum quadringentarum quinquaginta trium, & in ingressu Presbyterii fecit cancellos fusiles ex argento mundissimo mille quingentarum septuaginta trium librarum. Baptisterium S. Andreæ collapsum rursus erexit magnum & rotundum, columnis porphyreticis cinctum, In medio erat fons sacer, & in medio fontis columna argentea, supra quam stabat agnus argenteus aquam affundens.

Basilicæ Lateranensis fenestris vitra diversi coloris inseruit. Hic omnium primo, ut opinor, hujusmodi vitri mentio occurrit. Universim omnium oblationum aurum, cujus pondus erat appensum, plusquam octingentarum librarum, &

& argentum plusquam millium viginti & unius fuit. Præterea hæc de Libris Romanis duodecim unciarum accipienda sunt. Sæculum IX. A. C. 816.

Ad Leonem tertium spectare creditur, quod quidam Auctor coævus scribit, fuisse, qui non nunquam de die septies aut etiam novies Missam celebraret. Nimirum quando Festum solemne & multitudo populi suadebat plures Missas cantari, ipse solus omnes celebrabat. Ter non sæpius ordinavit, semper mense Decembri, atque Presbyteros triginta, Diaconos undecim, & per diversa loca Episcopos viginti sex consecravit. Obiit undecima Junii anno octingentesimo decimo sexto, & altera die ad S. Petrum sepultus est. Ceterum Leo III. inter Sanctos colitur, postquam ipsius Nomen ex Decreto Congregationis Rituum anno 1673. Martyrologio Romano insertum est. *Valafr. Strabo de reb. Eccl. c. 21.* *Anast.* *Boll. 12. Jun. to. 20. p. 572.*

§. XXI.

Stephanus V. Papa.

Sacra Sede non plus decem diebus vacante Stephanus V. secunda Dominica post Pentecosten vigesima secunda Junii anno octingentesimo decimo sexto ordinatur. Nobili genere ortus, puerulus deinde Palatii Patriarchalis Lateranensis alumnus, Hadriani Papæ cura e- *Anast.*

Sæculum IX. A. C. 816.

ducatus est. Leo Hadriani Successor pietatem & humilitatem Stephani suspiciens Subdiaconum ordinavit, cumque in studio rerum spiritualium quotidie magis proficientem cerneret, ordine Diaconatus insignivit; quo munere Stephanus ea integritate functus est, ut Leone Pontifice vita functo unanimi omnium *Thegan. c.16* suffragio eligeretur. Papa ordinatus nihil antiquius habuit, quam ut juberet, totum populum Romanum Ludovico Imperatori fidelitatem cum juramento promittere. Unde dispicimus, summum in Urbem Imperium (*) nec Papæ nec Regi Bernardo fuisse. Simul Stephanus Legatos direxit in Franciam, qui Papam se esse ordinatum Imperatori nuntiarent, & ipsius desiderium Principem, quocunque jussisset, adeundi aperirent. Legatos suos ipse secutus, sub initium Augusti itineri se dedit.

Ludo-

(*) Jura tamen Principatus Summo Pontifici fuisse acquisita, liquet ex verbis Constitutionis Ludovici Imperatoris, quæ infra occurret, ubi Donationes Caroli Magni confirmans dicit: *Has omnes Provincias . . . . Paschali Summo Pontifici, & Universali Papæ ejusque Successoribus usque ad finem Sæculi eo modo confirmamus, ut in suo detineant jure Principatu ac Ditione &c.* In Card. Bar. ad hunc ann.

Sæculum IX. A. C. 816.

Ludovicus Imperator accepto hoc nuncio lætissimus, missis ad Bernardum nepotem suum mandatis, jubet eum Papam comitari in itinere, & obviam mittit Legatos, qui eidem obsequia præstarent, & Rhemos deducerent, ubi Pontificem præstolari constituerat. Ubi nuntiatum, Papam advenire, Hildebaldo Archicapellano, Theodulfo Episcopo Aurelianensi, Joanne Archiepiscopo Arelatensi pluribusque aliis præmissis vestitu Episcopali fulgentibus, ipse Imperator passus mille e Monasterio S. Remigii obviam processit. Mox ambo ex equo descendunt, & Imperatorem ter ad pedes suos prostratum tertia vice Pontifex sua manu erexit. Salutem mutuo sibi dixerunt lingua latina, & Imperator quidem his verbis: Benedictus, qui venit in Nomine Domini: Respondente Papa: Benedictus Deus, qui dedit, ut alterum Davidem oculis nostris videremus. Tum in amplexus ruunt, & procedunt ad Ecclesiam Imperatore Papam manu sua sustentante. Cantatur Hymnus: Te Deum &c. cumque Papa & Imperator diu in silentio orassent, surgens Papa cum Clericis suis elatis vocibus laudes seu acclamationes precesque pro Imperatore cantavit, quas peculiari oratione clausit. Itur in domum, ubi Papa Imperatori itineris sui causam exposuit, quam

Astronom.

Sæculum IX. A. C. 816.

nemo Scriptorum litteris prodidit. Sumpto deinde pane & vino in Benedictionis signum, Imperator Rhemos rediit, & Papa in Monasterio S. Remigii extra muros Civitatis posito remansit. Altera die Imperator Papam ad mensam invitatum lautissime pascit, & donis magnificis cumulat.

Die tertia Papa Imperatorem invitavit ad convivium & dona præparata eidem, Imperatrici & Proceribus tradidit. Die vero sequente, quæ erat Dominica, Papa ante Missam denuo Imperatorem unxit, coronam capiti imponit gemmis distinctam, quam ad id ipsum attulera, & iterum coronam aliam Irmingardi imposuit, quam Augustam appellavit. Quamdiu deinde ibi diversatus est Pontifex, singulis diebus cum Imperatore de causis Ecclesiæ colloquebatur. Tandem omnibus, quæ petebat, impetratis, & muneribus multo pretiosioribus, quam ipse Imperatori dederat, onustus, in Italiam viam relegit.

§. XXII.

Ebbo Archiepiscopus Rhemensis.

ap. Car. Cal. to. 8. Conc. 876.

Wulfario Archiepiscopo Rhemensi sub idem tempus, nempe decima octava Augusti anno octingentesimo decimo sexto fatis functo, populus concedente Imperatore elegit Archiepiscopum Rhemen-

Rhemenſem quemdam nomine Giſelmarum, qui coram Epiſcopis ſedens, ut examen ſubiret, cum ſibi Textus Evangelii explicandus traderetur, vix eum legere potuit, prodiditque, ſe verba nullatenus intelligere. Ergo ob ignorantiam rejicitur. Tunc Imperator ſuaſit, ut Ebbonem eligerent, quod tam populus quam ſapientiores ratum habuerunt. Is natus erat ſervus in quodam prœdio Regis ultra Rhenum poſito, & collactaneus Ludovici Imperatoris, quocum jubente Carolo Magno in Regia educatus & libertate donatus eſt, quod in adoleſcente elegans ingenium & eximium bonarum litterarum ſtudium eniteret. Miſſus deinde in Aquitaniam cum Ludovico, cum a Carolo Magno illud Regnum moderari juſſus eſt, ut haberet fidelem Miniſtrum, Bibliothecarii munus accepit. Jam tunc Ordinibus Sacris erat inſignitus, & Abbatiali Dignitate auctus erat, cum anno iſto octingenteſimo decimo ſexto Archiepiſcopus Rhemenſis canonice ordinaretur. Sæculum IX. A. C. 816.

§. XXIII.

Regulæ Canonicorum.

Eodem anno menſe Septembri, Indictione decima inchoata, Imperatore Epiſcopos Aquisgrani congregatos exhortante, ut Regulam pro Canonicis *Aſtronom. to. 7. Conc. p. 1307.*

Sæculum IX. A. C. 816.

ex Patrum Textibus excerptis, & Canonibus compositam ederent, Concilium Gratias Deo egit, quod Imperatori hanc mentem pro Bono Ecclesiæ indidisset, atque ejusdem benevolentia, qua libros suppeditabat, usi Patres, Regulam composuerunt pro illis, quibus libri deerant, vel libros intelligendi facultas. Hanc Regulam, itemque aliam in volumine separato pro Monialibus Canonicis contentam totum Concilium approbavit. Præcipuus Auctor hujus collectionis fuit Amalarius Ecclesiæ Metensis Diaconus, cui Imperator hanc provinciam demandaverat.

Chron. Ademar. an. 816. to. 2. Bibl. nov. p. 154.

Regula Canonicorum complectitur articulos centum quadraginta quinque, quorum priores centum & tredecim Excerpta ex Patribus & Conciliis sunt de Officiis Episcoporum & Clericorum. Patres, quorum textus collecti, sunt S. Isidorus Hispalensis, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Gregorius, S. Prosper, seu potius Julianus Pomerus Auctor librorum de vita contemplativa, Concilia vero, Nicenum, Calcedonense, Antiochenum, Laodicenum, Sardicense, Ancyranum, Neocæsarienſe, Gangrense, Collectio Conciliorum Africæ, S. Leonis & S. Gelasii Decretales. His Excerptis subjunguntur S. Augustini Sermones duo de Vita communi, tuncque sequuntur Decreta,

Decreta, quæ proprie in hoc Concilio edita. Sæculum IX. A. C. 816.

Primo error ille vulgaris oppugnatur credentium, Præcepta Evangelica solis Monachis & Clericis esse data. Tum distinctio Monachorum & Canonicorum notatur. c. 114. His licet linum induere, carnibus vesci, dare & accipere, proprias res habere, & Bona Ecclesiæ possidere, quæ Monachis non licent. c. 115. At non idcirco minus quam Monachi vitia fugere & virtutem sectari tenentur. c. 117. Canonici in Claustris habitent, ubi nullus intrandi aut exeundi nisi per portam pateat aditus. Sint ibi Dormitoria & Refectoria, & cetera hominum societati necessaria. Ejusmodi Domus in pluribus Civitatibus Episcopalibus hodieque supersunt. Cavendum summopere, ut c. 118. in singulis Congregationibus non plures admittantur Clerici, quam facultas Ecclesiæ suppetat, ne si Præpositi indiscrete plures aggregaverint, ceteris Ecclesiæ necessitatibus non valeant adminiculari, aut illi Clerici, si stipendia non accipiant, vagi & voluptatibus dediti efficiantur. Præpositi aliqui omnes suos c. 119. Clericos ex Servis Ecclesiæ suæ assumebant, ut si eos deinde stipendiis defraudarent, aut male vexarent, conqueri non præsumerent, timentes ne severissimis verberibus afficerentur, aut servituti de-

Sæculum IX. A. C. 816.

nuo addicerentur. Hic abusus prohibetur, & statuitur, ita nobiles ad ordinem Clericalem esse admittendos, ut tamen personæ viles, si aliunde dignæ sint, non excludantur. Clerici qui & suas & Ecclesiæ habent facultates solummodo cibum & potum pro Servitio, quod Ecclesiæ præstant, accipiant. Qui facultates Ecclesiæ habent & nullum patrimonium, accipiant alimenta & vestitum. Qui nec patrimonium habent nec Bona Ecclesiæ, præterea stipendia accipiant, omnes vero de eleemosynis seu oblationibus quotidianis partem habeant. Quotiescumque mentio fit de Bonis Ecclesiæ, id accipiendum est de Beneficiis, id est de agris, quibus Clerici ex licentia Episcopi fruebantur. Canonicis singulis sine distinctione Personarum eadem cibi & potus mensura detur. Sed mensura vini major minorve erit, prout vinifera vel sterilis tulerit regio, & Ecclesiarum opes vel paupertas permiserint. Mensura recepta plerumque quatuor libræ vini erant, & si deficeret vinum supplebatur cerevisia. Libra autem constabat duodecim unciis; itaque quatuor libræ tribus Sextariis gallicis exæquantur. Canonici in vestitu duo vitia sibi opposita devitent. Non ament superfluum & immoderatum cultum vestium, nec etiam sordescant. Non gestent cucul-

c. 120.

c. 121.

c. 122.

124.

125.

lum

lum, quia hæc veſtis Monachorum eſt. Id accipiendum de quodam palliorum genere, quod ſpeciatim ſic vocabatur, non vero de omni veſte cucullum habente, qualis hodieque eſt Capitium Canonicorum. Canonici omnibus Officii horis aſſidue interſint, & quamprimum campana ſignum dederit, ad Eccleſiam modeſte feſtinent. Stantes cantent, & ſtipite non nitantur, niſi corporis infirmitas id poſtulaverit. Ad cantandum & legendum deligantur magis periti, & qui audientes ad devotionem excitare poſſint. Caveant vero cantores a ſpiritu elationis. Canonici quotidie ad Collationem (id eſt ad Capitulum) conveniant, ubi hæc Regula & alii Libri pii legantur. Ibi pro culpis ſuis veniam rogabunt, errata emendentur, & omnes de ſpirituali ſuo profectu & Eccleſiæ cauſis deliberent. Quicunque horis non interfuerit, ad Collationem non venerit, opus ſibi injunctum non perfecerit, qui ad menſam ſero venerit, qui ſine licentia e clauſtro exierit, qui extra dormitorium noctem tranſegerit, niſi poſtulante neceſſitate, aut aliam culpam his ſimilem admiſerit, moneatur ter & ſæpius. Deinde publice corripiatur. Si errorem non correxerit, nihil cibi præter panem & aquam ipſi præbeatur. Tum etiam flagella adhibeantur, ſi ætas & delin-

Sæculum IX. A. C. 816.

c. 131.

Concilium Aquisgranenſe.

c. 133. 137.

c. 134.

Sæculum IX. A. C. 816.

delinquentis conditio id permittat; secus satis erit, si separetur, & jejuniis affligatur. Tandem carceri intra claustra constructo includatur, & si emendationis spes non sit, ad Episcopum remittatur, a quo judicetur, & canonice condemnetur.

135. Infantes & juvenes Clerici in uno conclavi intra claustra habitent sub cura senis prudentis, qui eos erudiat, & moribus invigilet. 138. Sub Episcopis Canonicorum Congregationes regant Præpositi, 139. qui secundum vitæ merita non autem pro ætate vel gradu, quem tenent in Ecclesia, eligantur. 140. Pistores, Coqui aliique Congregationis famuli ex Servis fidelissimis Ecclesiæ assumantur. 141. Episcopi Hospitium fundent ad recipiendos pauperes, & reditus sufficientes ex Bonis Ecclesiæ constituant. Canonici Redituum suorum, & etiam Oblationum decimas conferant, & aliquis ex gremio eorum Hospitio præficiatur, qui non solum Ecclesiastica, sed etiam rem domesticam administret. Canonici saltem in Quadragesima accedant, & pauperum pedes lavent; hinc Xenodochium in tali loco ædificetur, ut commode illuc ire possint. Nihil certius, nisi fallor, de origine Hospitiorum prope Ecclesias Cathedrales fundatorum, quæ Canonici administrant, inveniri potest.

Quam-

Quamvis Canonici domos peculiares habere possint, una tamen intra claustra sit infirmis & senibus, qui aliam non habuerint, destinata, eosque Confratres invisere & consolari teneantur. In his domibus, quas non nulli Canonici proprias habebant, forte per diem commorari licebat, aut si ægrotarent, nam Canonici secundum Regulam in communi dormitorio cubabant. Sæculum IX. A. C. 816. c. 142.

Aliquis ex Canonicis sit janitor, qui neminem intrare vel exire sine Superiorum licentia permittat, & post Completorium claves ad Præpositum deferat. c. 143.

Mulieres Claustrum non ingrediantur, nec ullus Fratrum ipsis nemine præsente colloquatur. c. 145.

Hanc Regulam fusius exponere placuit, quia celeberrima est, & ex illa per plura deinde Sæcula Canonicorum Institutum formari, ipsique sensim a ceteris Clericis omnibus distingui cœperunt. (*) Ceterum hujus Regulæ S. Chrodegangi Regula quasi Exemplar fuit. *Sup. Lib. XLIII.* §. 37

§. XXIV.

(*) Magna certe Canonicorum illius ætatis & modernorum Canonicorum Regularium diversitas est in abdicatione Dominii, & Ususfructus. Unde veteres voto paupertatis non fuisse adstrictos dispicimus.

Sæculum IX. A. C. 816.

§. XXIV.

Regulæ Canoniſſarum.

to. 7. Conc. p. 146. Volumen ſecundum Regulæ in Concilio Aquisgranenſi compoſitæ eſt Inſtitutum Canoniſſarum complectens viginti octo Articulos, quorum ſex primi excerpti ſunt ex Libris S. Hieronymi, S. Cypriani, S. Cæſarii, & S. Athanaſii de Officiis Virginum Deo conſecratarum. In reliquis vitæ norma his Monialibus præſcribitur, Regulæ Canonicorum, quantum ſexus diverſitas permittit, conc. 9. formis. Conceditur, ut Bona ſua retineant, ea conditione, ſi propinquo vel amico mandatum coram Judice offerant, quo illa adminiſtret, & jura ipſarum in Judicio defendat. Licet illis habere anc. 21. cillas. De cetero hæ Canoniſſæ vere erant Moniales, voto caſtitatis adſtrictæ, in uno Refectorio manducantes, in uno dormitorio cubantes, & e clauſtro nunc. 10. 11. 12. quam egredientes. Velatæ erant, & nigro veſtitu utebantur. Alicui operi ſemper intentæ eſſe jubentur vel orationi vel lectioni vel labori manuum. Veſtes ſibimet ipſis ex lana & lino, quod eis c. 13. dabatur, contexant. In Monaſterio adoleſcentulas educabant. Presbyteris, qui Sanctimonialibus SS. Sacramenta adminiſtrabant, Domus & Eccleſia extra Monaſterium erat, & nunquam niſi mu-

nere

nere suo functuri ingrediebantur, quia Canonissæ Ecclesiam intra claustra habebant. Intrabat Sacerdos Diacono & Subdiacono comitantibus, & Missa celebrata illico exibat. Canonissæ tempore Missæ & Officii post siparium latebant. Et, si aliqua vellet, non alibi quam in Ecclesia confitebatur. (*) Sæculum IX. A. C. 816. c. 27.

Ludovicus Imperator has duas Regulas Archiepiscopis, qui Concilio non interfuerant, aut eas ob temporis penuriam non descripserant, misit, nam Epistolarum ob hanc rem datarum tria habemus Exemplaria; unum ad Sicharium Archiepiscopum Burdegalensem, alterum ad Magnum Senonensem, & tertium ad Arnonem Salisburgensem. Jubet Imperator, ut Suffraganeis ipsorum & Ecclesiarum Præpositis congregatis legatur hæc Regula, & Exemplaria Autographo, quod in Palatio servabatur, similia describantur. *Eos etiam monebitis*, dicit Imperator in his litteris, *nos proximi mensis Septembris die pr... missuros esse Mandatarios, qui omnia executioni dent, atque ut nullus sit excusationi locus, unius anni moram concedimus.* *to. 7. Conc. p.* 1437. *Coint. an.* 817. *n.* 139.

§. XXV.

(*) Inde iterum Confessionis peccatorum auricularis usus contra Protestantes probatur.

Sæculum IX.
A. C. 816.

§. XXV.

Concilium Celichytense.

to. 7. Conc. p. 1484. *Coint. an.* 817. *n.* 139.

In Anglia vigesima septima Julii eodem anno octingentesimo decimo sexto Indictione nona in quodam loco *Celchyt* dicto Concilium celebratum, Wulfredo Archiepiscopo Cantuariensi duodecim Episcopis ex diversis Provinciis præsentibus præsidente. Quenulfus, qui annis jam viginti Merciis imperabat, ipse aderat cum multis Optimatibus. *c. 2.* Abbates quoque, Presbyteri, & Diaconi venerant. Canones undecim editi sunt, atque præter alia statutum, ut Ecclesiæ ab Episcopo Diœcesano dedicarentur, qui aspersionem aquæ Benedictæ aliasque Cæremonias in Libro Rituum adnotatas adhiberet. Tum Evchariſtia ab Episcopo consecrata in arcula cum Reliquiis includatur, & in nova Ecclesia custodiatur. Si nullæ adsint Reliquiæ, sufficiat Evchariſtia, cum sit Corpus & Sanguis Domini Nostri JEsu Christi. (*) *c. 4.* Aliqua picta effigies indicet, cui Sanctorum Ecclesia

(*) Ex hoc loco contra Protestantes probatur; tum Evchariſtiam fuisse asservatam, tum Fideles realem Corporis Christi præsentiam credidisse. Nam in quem finem aut usum alias frustillum panis & Christi Corporis inanis figura in Altaris Tabernaculo fuisset repositum?

cleſia vel Altare ſit ſacrum. Epiſcopus poteſtatem habeat ex conſenſu Congregationis Abbates & Abbatiſſas eligendi. Nullus ex Scotia ſacrum Miniſterium ſibi uſurpet, quia incerta eſt eorum ordinatio. Omnia Judicia vel Acta ſigno Crucis confirmata, permaneant irrefragabilia. Sæculum IX. A.C. 816. c. 5. c. 6.

Legimus, eandem Reverentiam ſigno Crucis in Oriente fuiſſe habitam, ſi quis eo ſigno ſubſcripſiſſet, nam tantum robur quantum juramento ſubeſſe credebatur. Abbates vel Abbatiſſæ fundos non alienent, niſi in dies unius hominis, accedente conſenſu familiæ ſeu Congregationis. Tituli autem poſſeſſionis apud Monaſterium remaneant. Epiſcopo mortuo, decima pars Bonorum ejus detur pauperibus, tam pecorum quam rerum aliarum, & omnes Servi natione Angli manumittantur. Quilibet Epiſcopus & Abbates jubeant recitari ſexcentos Pſalmos, centum & viginti Miſſas celebrari, & tres Servos manumittant. In qualibet Eccleſia triginta Pſalmi recitentur. Quilibet Monachus & Clericus una die jejunet. Ita nempe eleemoſynæ, jejunia precesque pro mortuis conjungebantur. (*) Presbyteri bapti-

(*) Ecce morem omnium Sæculorum oran-

Sæculum IX. A.C. 817. baptizantes non solum Aquam Sacram super capita infantium effundant, sed eos semper lavacro immergant, sequentes exemplum Filii Dei, ter in Jordane immersi.

§. 11.

Ex hoc Canone videmus, quod in regionibus frigidis cœperint Baptismum affundendo conferre.

§. XXVI.

Stephani obitus. Paschalis I. Papa.

Papebr. conat. Ann. Fr. Ducheſn. to. 3. Anaſt.

Stephanus V. Papa e vivis abiit mense tertio, ex quo e Francia Romam rediisset, scilicet, vigesima secunda Januarii anno octingentesimo decimo septimo, postquam Sedem septem non plus mensibus occupasset. Sepultus est ad S. Petrum. Una Ordinatione mense Decembri consecraverat Presbyteros novem, Diaconos quatuor, & alias per diversa loca Episcopos quinque. Sacra Sedes biduo tantum vacavit, nam Die Dominica vigesima quinta Januarii ordinatus est Paschalis hujus nominis primus, qui sedit

di, jejunandi, eleemosynas dandi pro defunctis! edicant Protestantes, qui Purgatorium, id est, locum tertium inter Cælum & Infernum negant, an putent, Fideles orasse pro animabus mortuorum existentibus in Cælo, vel in Inferno?

sedit annis septem, mensibus tribus & diebus octodecim. Romæ natus erat, Bonosi filius. A teneris Palatii Patriarchalis Alumnus, Sacris Litteris imbutus, Subdiaconus, Diaconus & tandem Presbyter ordinatus est. Orationi, jejuniis & vigiliis assidue vacanti, & Monachorum, vitæ Sanctitate excellentium, societatem amanti, Leo III. Papa Regimen Monasterii S. Stephani prope S. Petri Basilicam commisit; quo in munere Paschalis eleemosynas largissime distribuebat, præsertim peregrinis, qui e remotissimis regionibus Romam pergebant. Stephano Papa defuncto una Clericorum populique voce electus est. Sæculum IX. A. C. 817.

Ubi consecratus fuit Paschalis, misit Legatos sine mora ad Ludovicum Imperatorem cum magnis donis & litteris, in quibus profitebatur, se ad suscipiendam hanc Dignitatem omnino fuisse coactum. Legationis Princeps, Theodorus Nomenclator, pacta fœderis cum Imperatore & amicitiam renovavit, & omnia quæ petebat obtinuit. Is summi momenti Acta Romam attulit; nempe Donationum Ecclesiæ Romanæ a Pipino & Carolo Magno factarum Confirmationem. Hæc illa est celeberrima Constitutio, quæ incipit: *Ego Ludovicus*, in qua Ludovicus Imperator Donationibus parentis sui, & Avi Urbem & Ducatum *Egin. an.* 817. *Astron.* 817. *Sup. Lib. XLIII. §.* 18. *to.* 1. *Cap. p.* 591. *ap. Baro. an.* 817 *n.* 10. *Coint. eod. ann. n.* 10. 14.

Sæculum IX. A. C. 817.

Romanum, Insulas Corsicam, Sardiniam & Siciliam addidit. Ultimum vocabulum, videlicet Sicilia, posteriore tempore adjectum fuisse creditur; quippe satis exploratum est, tunc Siciliam in potestate Imperatoris Constantinopolitani fuisse, nec Francos unquam in eam Insulam aliquod jus acquisiviſſe.

Præterea Ludovicus Imperator multa Patrimonia in Campania, in Calabria, Neapoli, Salerni sita, Papæ donat. Nempe nihil obstat, quo minus credamus, Imperatorem aliqua Patrimonia in Provinciis Græcorum possediſſe. Addit etiam hanc cautionem notatu dignam; *Salva super eosdem Ducatus nostra in omnibus Dominatione, & illorum ad nos subjectione.* Quod præcipue de Ducatu Romano accipitur, in quo Ludovicus & ejus Successores Supremum Dominium sibi reservarunt, ut ea, quæ in ista Historia sequuntur, docebunt. (*)

Illud quoque in ea Constitutione legitur; quotiescunque Sacra Sedes vacaverit, libere a Romanis Papam esse eligendum, & consecrandum. Satis deinde

(*) R. P. Antonius Pagi in sua Critica putat, totam Constitutionem esse suppositiam. Forte, uti Fleurius credit, tantum est corrupta. Sæpe enim Acta ejusmodi occurrunt corrupta, raro autem ex toto conficta.

de fore, si consecratus Legatos Regi Francorum mitteret, ad pacem conservandam. Hoc ultimum itidem est suspectum; exinde enim sicut prius Reges Electionem Papæ, antequam consecraretur, approbarunt. Quod factum eodem Ludovico regnante videbimus. Huic Donationi Ludovicus Imperator, tres ipsius filii Lotharius, Pipinus, & Ludovicus, Episcopi decem, Abbates octo, Comites quindecim, Bibliothecarius unus, Mansionarius unus, & Ostiarius unus subscripserunt.

Sæculum IX. A.C. 817.

§. XXVII.

Lotharius ad Imperii consortium assumitur.

Hæc subscriptio indicare videtur, ista fuisse acta in Comitiis ab Imperatore Ludovico Aquisgrani eodem anno octingentesimo decimo septimo, Regni sui quarto, in æstate celebratis, ubi toti frequentiæ hanc proposuit quæstionem: *An illud differendum, quod ad Regnum stabiliendum facit?* Omnibus respondentibus, neutiquam esse differendum, Imperator quod paucis conscriis animo constituerat, aperuit, velle se, cum adhuc viribus valeret, & perpendisset, quam caduca res esset vita humana, uni trium filiorum suorum Nomen Imperatoris tribuere. Hoc consilium ut se-

Charta divis. to. 1. capit. p. 574. Ann. Eginh. Astron.

Sæculum IX. A. C. 817.

cundaret Deus, triduanum jejunium omnibus imperavit. Sacerdotes interim Sacrificia offerrent, cuncti vero eleemosynas solito largius darent, quibus mitigatum Numen suam voluntatem in tanto negotio manifestaret. His præmissis Ludovicus filium suum Lotharium natu maximum Imperatorem appellavit, & ceteris duobus aliquas Regni partes dedit, Pipinum Regem Aquitaniæ & Ludovicum Bavariæ Regem salutans, ea tamen conditione, ut omnes partes non tria Regna sed unum efficerent. Ludovicus Imperator hujus Divisionis Acta conscribi jussit, eaque unacum filio suo Lothario Romam misit, a Pontifice ratihabenda & confirmanda. Voluit quoque, ut hæc Acta cum juramento reciperent omnes subditi sui, qui lubenti animo Sacramento, quod legitimum & Regno utile credebant, se obligarunt.

§. XXVIII.

Monachi reformantur.

Leo Ost. l. c. 19.

In eodem Conventu Aquisgranensi, decima Julii Abbates ediderunt Constitutionem pro Monachis, cui postea par ferme Reverentia ac Regulæ S. Benedicti habita. Abbatum illorum Caput & Reformationis Auctor erat S. Benedictus Anianensis; eum enim Ludovicus Imperator, olim, cum Rex Aquitaniæ esset,

vit. 47. to. 5. Act. Ben. p. 210.

sibi

sibi carum, defuncto Carolo Magno, in Franciam vocatum, Monasterio Mauri seu *Mor-Münster* prope Tabernas præfecit, in quod ille aliquot suæ Regulæ Monachos immisit. Cum vero istud Monasterium ab Aquisgrano, illo tempore Imperatoris Sede, longe esset remotum, & Benedicti Abbatis opera in arduis Reipublicæ negotiis Principi esset necessaria, eum compulit, ut, alio Abbate illis Monachis constituto, ipse cum Monachorum selectis ad se veniret. Sæculum IX. A.C. 817.

Est vallis duabus ab Aquisgranensi Civitate leucis amœnissima, ubi, cum eam S. Abbas elegisset, Imperator curavit ædificari Monasterium, quod Indus a rivo præter illum locum permeante dictum. Imperator, dedicationi adesse dignatus, agros novæ domui donavit, jussitque ut triginta ibi commorarentur Monachi, quos Benedictus ex diversis familiis evocavit. Tunc ergo Benedictus cœpit Regiam adire, & libellos supplices, quæ Principi offerendi erant, recipere. Ne obliviscereturr eos tradere, sæpe in manicas suas immittebat, aut in manipulum, quem Presbyteri adhucdum illa ætate e manu pendentem gestare solebant, & Imperator non nunquam S. Virum excutiebat, ut hujusmodi libellos acciperet, & legeret. Eundem non in causis peculiaribus modo, sed

Sæculum IX. A. C. 817.

etiam in negotiis ad Regimen Reipublicæ spectantibus consulebat. Omnium Monasteriorum totius Regni sui curam Benedicto demandavit, qui jubente Imperatore Monachorum mores emendare cum quibusdam aliis Abbatibus aggressus est.

† Noirmoutier

Abbatum præcipui fuere Arnulphus Herensis seu Monasterii Nigri, † Apollinaris Montis Cassini, Alveus Andinensis seu S. Huberti in Silva Andenna, Apollinaris Flaviniacensis, Josue S. Vincentii ad Vulturnum, & Agiulfus Soliniacensis. Postquam diu deliberassent, visum est omnibus, causam potissimam, cur Disciplina Monastica collaberetur, esse observantiæ diversitatem; quamvis enim in plerisque Monasteriis profiterentur, se Regulam S. Benedicti sequi, maxima erat in illis rebus, quæ scriptæ non sunt, varietas. Unde fiebat, ut sæpissime desidia & tepor antiquæ consuetudinis, cui longum tempus Auctoritatem conciliasset, pallio obtegerentur, & Monachi, regionis situ vicini, sibi ipsis exteri & peregrini viderentur. Igitur optimum fore crediderunt, si Disciplinam æqualem stabilirent, editis Decretis quæ Regulam explicarent. Idque factum composita hac Constitutione Aquisgranensi, ut plurimum in Articulos octo-

Monachi.

to. 7. Conc. p. 1505.

octoginta, & secundum alias Editiones, septuaginta duos divisa. Sæculum IX. A. C. 817.

Cum hujus Constitutionis fundamentum sit Regula, in Articulo primo Abbates in illo Conventu præsentes integram Regulam legere, omnia verba pensare, & illi Monachi, qui idonei essent, eandem e memoria recitare jubentur. Officium secundum Regulam S. Benedicti celebretur. Quia nempe aliqui recitabant Officium Romanum, quod jam tunc erat diversum. Habebant tamen etiam Officium magis solemne in Festis, quod Officium plenum dicebatur. In Capitulo legatur Martyrologium, & deinde Regula vel aliqua Homilia. Nomine Capituli illum locum accipio, quo post Primam conveniunt Monachi, ut hodieque appellatur. Complures Articuli mentionem faciunt de labore manuum, a quo nec Abbas eximitur. Monachi per se laborabant in culina, in pistrino, in aliis Officinis, & non nunquam ipsi ad colligendos fructus exibant. In diebus jejunii levior erat labor, & in Quadragesima usque ad Nonam protrahebatur. Paucos fuisse Presbyteros inde dispicimus, quod legamus, Abbatem, Præpositum, Decanum Lectori Benedictionem dare posse, etiamsi Presbyteri non sint. Monachi omnium eleemosy-

Sup. Lib. XXXII. §. 14. *c.* 1. *c.* 2. *c.* 3. *Mabill. in Præf. to.* 5. *n.* 148. *c.* 46. *c.* 69. *c.* 25. *c.* 4. 17. 18. *c.* 39. *c.* 62. *c.* 49. *c.* 46.

Sæculum IX. A.C. 817.

narum, quas accipiunt, Decimas pauperibus dent.

c. 78.

In Festis minoribus & majoribus, id est in Natali Domini & in Pascha duplex sit de die refectio. Quatuor diebus liceat volatilia comedere, sed reliquo anni tempore non comedantur. Nemo poma aut lactucas extra refectionis horam manducet. Ipsæ Eulogiæ in Refectorio Fratribus dentur. Id est, panes super Altare oblati & non consecrati. Fratres aliquid pinguedinis in victu quotidiano habeant, sexta Feria excepta, diebus octo ante Natalem Domini, & a Quinquagesima usque ad Pascha. In Francia loco olei pinguedo concedebatur, quod etiam hac ex causa fiebat, ne a carnibus superstitiose abstinere viderentur. Panis libra, de qua Regula loquitur, triginta assibus & duodecim denariis æstimatur, quod unciis octodecim ante coctionem & postea sexdecim æquiparatur. Pro hemina vini duplum cerevisiæ detur in illis locis, ubi vinum non est. In Parasceve præter panem & aquam nihil cibi capiant. Si gravis fuerit labor, liceat bibere post cœnam, etiam in Quadragesima. Ecce collationis nostræ originem!

c. 8. 9.

c. 10.

Capitula Aquisgranensia.

c. 68.

Mabill. Præf. n. 151. 152.

c. 22

c. 47.

Regula quidem pro locorum diversitate vestimenta augeri permittit; at in Constitutione Aquisgranensi multo plura

Reg. c. 55.

c. 22.

plura, quam in Regula conceduntur, ſcilicet, Camiſiæ duæ (intellige laneas, nam lineas Monachi non habebant) duæ Tunicæ, & duo cuculli intra domum, duæ Cappæ foris, pedules quatuor paria,† & femoralia duo paria. Præterea Roccus unus, ſeu veſtis ſuperior, poſteriore tempore *Froc* † dictus, & pellicium (id eſt tunica interiore parte pellibus munita) calceamenta diurna, paria duo, & ſubtulares † per noctem. Wanti † in æſtate, Muffulæ in hyeme vervecinæ. Monachi in Quadrageſima non radantur, ſed aliis temporibus poſt quindecim dies. Balneo, ſi Præpoſitus licentiam dediſſet, uti licebat, quo Sæculares frequentiſſime utebantur. Pedes ſibi invicem lavabant, præſertim in Quadrageſima, congruentes huic Officio Antiphonas decantantes. Monachi certum phlebotomiæ tempus non obſervent, ſed unicuique ſecundum quod neceſſitas poſtulat, concedatur. Nihilominus phlebotomiæ præſtitutis anni temporibus conceſſæ in recentioribus Congregationibus in conſuetudinem abierunt.

† Sunt propria verba Conſtitutionis.

† die Flocke. c. 6. 7.

† Pantoufle

† Chirothecæ

c. 23.

c. 11.

Nullus ſæcularis in Monaſterio habitet, niſi Monachus eſſe velit. Monachi ſupervenientes ad Dormitorium ſeparatum ducantur, & fratres prudentes eis jungantur ad colloquendum. Sine ſocio iter non faciant. Poſtulantes non facile

c. 42.

c. 58.

c. 63.

c. 15.

Sæculum IX. A. C. 817.

facile admittantur. Primo hospitibus in illorum Domo serviant per aliquot dies. Bonorum suorum curam consanguineis suis committant, & post annum Novitiatus secundum Regulæ præceptum de iis decernant. Habitum tunc demum suscipiant, quando votum obedientiæ profitentur.

Monachi Benedictini Reformati.

v. Mabill. præf. to. 5. n. 150.

Nam aliud non profitebantur, ut formulæ, quæ adhuc supersunt, ostendunt. (*) Nullus recipiatur in Monasterium, quia dives est, sed quem merita commendant.

c. 75.

Parentes liberos suos offerre possint, & supplicem libellum pro eis dent, quod, ubi ad maturam ætatem pervenerint, confirment. Nulla alia in Monasterio quam infantum istorum schola sit. Id accipiendum est de Scholis interioribus; erant enim hoc Sæculo nono Scholæ exteriores & publicæ in pluribus Monasteriis, ut superius observavi.

Mabill. præf. ead. n. 184. Sup. Lib. XLV. §. 18.

Abbates eadem mensura, qua ceteri Monachi, sint contenti in alimentis & in vestimentis. Cum ceteris dormiant, & laborent, nisi in rebus utilioribus fuerint occupati. Abbas cum hospitibus ad portam Monasterii non reficiatur, sed in Refectorio, si vero propter hospitem

c. 25.

volue-

(*) Hodieque non aliud, saltem conceptis verbis, profitemur.

voluerit ad solitam mensuram fratribus aliquid augere, in ipsius sit potestate. Villas, nisi necessitas coegerit, non circumeat, nec suis illas Monachis custodiendas committat. Si Cellas habeat aut prioratus, illuc pauciores quam sex fratres non mittat. Itineris socios non accipiat, nisi ad Concilium proficiscatur. Præpositus ex gremio constituatur, cui post Abbatem præcipua Auctoritas tam intra quam extra Monasterium sit. Decani ordinem temporis servent. In eos, qui duræ cervicis sunt, acrior vindicta exerceatur, sed nudi in Fratrum obtutu non cædantur. Qui ob graviores culpas pœnitentiam agunt, in domo separata habitent, & adsit atrium, in quo laborent. At diebus Dominicis aliquid eis relaxetur.

c. 27. *c.* 26. *c.* 44. *c.* 59. *c.* 31. 32. *c.* 55. *c.* 80. *c.* 14.

Hujusmodi est Constitutio Aquisgranensis pro Monachis, quam Imperator confirmavit, & curavit, ut effectui daretur. *c.* 40.

§. XXIX.

Monasteriorum Præstationes.

In eodem Conventu conscriptus est Indiculus Monasteriorum existentium in Provinciis, quæ Imperatori parebant, ut singulorum præstationes adnotarentur. Omnia Monasteria in tres classes divisa. Aliqua ad militiam & dona pendenda tenebant. *to.* 7. *Conc. p.* 1513. *to.* 1. *c. p.* 589. & *Not. to* 2. *p.* 1092. *Coint. ann.* 817. *n.* 239.

Sæculum IX. A. C. 817.

nebantur, alia ad dona solum, & aliqua ad nihil nisi ad orandum pro Salute Cæsaris. Qui ad militiam conferre & dona pendere tenebantur, erant Monasteria quatuordecim in Francia, duo ultra Rhenum posita, duo in Bavaria. In Francia S. Benedicti Monasterium ad Ligerim, Ferrariense, Corbejense, S. Mariæ Suessione, S. Eugendi, hodie S. Claudii, & quædam alia. Sexdecim Monasteria dona sine militia præstabant, & inter alia, Monasterium S. Sequani, Nantuadense, S. Bonifacii, seu Fuldense, Sancti Wigberti, seu Fretelariense. Monasteria octodecim tantum orare tenebantur, atque inter illa Monasterium Fossatense, hodie S. Mauri prope Parisios, Saviniacense prope Lugdunum. Plura alia numerantur in Aquitania posita, quæ verisimiliter tantum preces offerre debebant. Hæc inter magis nota sunt, Monasterium S. Filiberti seu *Noirmoutier*, † S. Maxentii, Carrofinense, Brantosmurense, Sanctæ Crucis Pictavii, Menadinense & Magnilocense in Arvernia, Conquacense & S. Antonini in Rutenis, Musciacense, S. Ægidii in Diœcesi Nemausiacensi, Psalmodiense, Anianense, S. Tiberii, Villæmagnæ, S. Papuli, quod hodie est Episcopatus, & Monasterium Mansi Ansili. Inde Monasteriorum

† Monasterium nigrum.

riorum istorum antiquitas cognoscitur. (*) Sæculum IX. A. C. 817.

§. XXX.

Lapsus Abbatum in Oriente.

Interim S. Theodorus Studita contra Persecutores in Oriente Paschalis Papæ præsidium quæsivit. Nam cum Leo Armenus

(*) Ceterum ex hoc Indiculo ✝ seu Commentario Monasteriorum liquet jam illa ætate permulta in Bavaria extitisse Monasteria; nam inter illa, quæ tam ad militiam quam ad ærarium Cæsaris conferre tenebantur, numerantur sequentia: In Bavaria. Monasterium *Magnauser*, Monasterium *Tegnauser*. Inter illa Monasteria, quæ non ad Militiam, sed ad ærarium conferebant, occurrunt: In Bavaria. Monasterium *Altemburc*. Monasterium *Alcabe*. Monasterium *Creausa*. Monasterium *Mathasco*. Monasterium *Buria*. Inter illa, quæ solum preces pro Imperatore ad Deum mittebant, leguntur: In Bavaria. Monasterium *Berch*. Monasterium *Mechema*. Monasterium *Scovenauva*. Monasterium *Aloseburch*. Monasterium *Weizzenbrunico*. ✝ *In Edit. Parisi. Act. Conc.*

Dubium non est, quin Monasteria, Buria, & Weizenbrunico, sint Monasteria Benedictoburanum & Wessofontanum. An cetera interierint vel mutatis nominibus existant Antiquitatis amatoribus discutiendum relinquo. In hoc Indice universim nominantur Monasteria octoginta

Sæculum IX. A.C. 817.

menus intelligeret, Episcopos & Abbates Imaginum Defensores, exilio damnatos, eo magis in sua sententia confirmari, multos eorum Constantinopolim revocavit, atque inter alios Nicetam Abbatem, quem vix dies quinque in loco exilii commoratum itinere admodum incommodo redire compulerunt. His reliqua hyemis parte & in Quadragesima anni octingentesimi decimi sexti Constantinopoli quiescere datum; verum post Pascha Imperator eos Joanni Leconomantæ tradidit, qui a mutuo conspectu abstractos in diversos carceres caligine horridos misit, ubi relicti sunt humi jacentes, ut erant vestiti, sine ullo alio tegumento; per aliquod foramen autem una uncia panis mucidi & paululum fœtentis aquæ porrigebatur.

vit. S. Nicet. c. 7. n. 40. Boll. to. 9. p. 264. Sup. n. 19.

Cum jam Joanni constaret, hos viros mortem potius subituros, quam prodituros veritatem, dixit: *Nihil aliud a vobis petimus, quam ut semel cum Theodoto Patriarcha communicetis; tum vos ad Monasteria vestra remittemus, & ad abjiciendam Fidem vestram non cogemus.* Illi hac pollicitatione perversi, & e carcere

ginta quatuor, Monasteriis Italiæ non recensitis, quod nempe suas præstationes non Ludovico Imperatori, sed tum Papæ, tum Regi Italiæ darent.

cere dimissi, S. Nicetam adeunt, hortantes, ut & ipse ex suo ergastulo se ipsum liberaret. Primo quidem audire eos noluit; sed cum vehementer instarent & dicerent, neutiquam se eo adduci posse, ut liberi discederent, ipso in carcere remanente, & adjicerent: *Nihil mali est, quod a nobis petunt. Dandum aliquid hominum istorum pertinaciæ, nisi omnia perdita velimus*, tandem Nicetas precibus & Auctoritati virorum senectute venerabilium cessit. Omnes igitur in Sacellum se conferunt, cujus picturæ servatæ fuerant, & Communionem accipiunt de manu Theodoti, Anathema dicentis omnibus illis, qui JEsu Christi imaginem non essent adoraturi. Sæculum IX. A. C. 817.

Rebus in hunc modum compositis Abbates ceteri ad sua Monasteria redierunt. At Nicetam subiit pœnitentia facti, in quod prope invitus consenserat, & in aliam regionem aufugere statuit, ut errorem emendaret. Ergo sarcinis suis in navigium conjectis in Proconesum devehitur; moxque sententiam mutans, sibi ipsi exprobrabat: *Ubi erratum fuit, opus est, ut in eodem loco emendatio fiat.* Rediitque Constantinopolim, ubi constanter & publice profitebatur, se in eadem sententia perseverare. Qua re comperta, cum eum Imperator ad se vocasset, *quid est*, inquit, *quod aliis Pa-*

Seculum IX. A. C. 817.

tribus ad sua Monasteria reversis, ut jusseram, tu solus hic relictus es? Ad hæc S. Nicetas, *ego*, inquit, *Imperator, ob senum illorum Reverentiam feci, quod non decebat; sed in eadem Traditione permaneo, quam accepi. Nullam habeo vobiscum Communionem. Fac, quidquid libuerit, nihil amplius a me te auditurum speres.* Videns igitur Imperator eam esse viri constantiam, quæ vinci non posset, jussit eum primum Constantinopoli custodiri a regalium ædium Curatore, nomine Zacharia, viro pietatis studioso, qui Nicetam mansuete & honestissime habuit. Postea vero Imperator eundem relegavit in Insulam Glyceriam, quam detinebat Anthemius ab Iconoclastis Monasteriorum in illis regionibus Exarchus constitutus. Huic majorem honoris gradum pollicentur, si Nicetam permoveret, ut cum ipsis communicaret. Ille, cum crudelis esset & versutus, pessime habitum in arcto carcere inclusit, clavem secum ferens. S. Nicetas in illo exilio degit usque ad obitum Leonis Imperatoris, atque varias ærumnas annis sex, ab anno octingentesimo decimo quinto usque ad annum octingentesimum vigesimum primum toleravit. S. Joannes quoque Catharensium Abbas serius, nempe post unum annum & dimidium Constantinopolim vocatus, ab Imperatore

tore traditur cuſtodiæ Joannis Leconomantæ, qui eum diu fame aliisque tormentis vexavit. Tandem, in Arcem Criotaurum relegatus, in caliginoſa ſpecu usque ad Leonis fata cuſtoditus eſt. Sæculum IX. A. C. 817. *Boll. 27. Ap. to. 2. p. 496.*

§. XXXI.

S. Theodori Studitæ conſtantia.

At S. Theodorus Studita non fuit revocatus. Statim initio exilii ſui in Arce Metopenſi apud cunctos, quibus ad eum aditus patebat, ſuis ſermonibus, & datis litteris apud abſentes veritatem Catholicam defendit. Ex illis Epiſtolis unam habemus datam ad Joſephum, germanum ſuum, Archiepiſcopum, de lapſu Abbatum, qui cum Iconoclaſtis communicaverant. In ea primo nominat Joſephum Oeconomum, qui olim nuptias adulterinas Conſtantini Imperatoris celebraverat; deinde Abbates alios ſeptem, a Joſepho ſeductos, quos Monaſteriorum ſuorum nomine deſignat. Scripſit quoque Naucratio Diſcipulo ſuo, ſe, audito triſti nuncio, noctem inſomnem duxiſſe, ſeque minus mirari ignaviam illorum, qui nuptias adulterinas approbarunt. *Hi autem*, inquit, *veritatis oppreſſionem prudentem diſpenſationem appellarunt.* *vit. n. 82. II. ep. 9.* *ep. 10.*

Hæc viri libertas & ſcriptæ maxime Epiſtolæ Imperatorem latere non potue- *vit. n. 83.*

Sæculum IX. A. C. 817.

rant. Mittit igitur quemdam, arcanorum suorum conscium, nomine Nicetam, cum mandatis, ut Sanctum in Natoliam Bonitam (id loco nomen erat) abduceret, & inclusum ita coerceret, ut neminem videre, neminem alloqui posset. Quæ Nicetas Theodoro cum detulisset, *Locum*, inquit, *mutabo haud gravate, nulli enim addictus sum, linguam vero, ut ut suadeatis, inhibebo nunquam, quippe amore veritatis hanc sortem malam libere elegi.* Imperator, ubi iterum audivit, quam excelsa mens Theodoro esset, Nicetam secundo illuc proficisci jubet, diras plagas illi inferre, & totam carnem vibicibus implere. Cum Nicetas ad Sanctum perveniisset, ille e vestigio & alacriter tunicam exuit, corpusque ad accipienda verbera composuit, dicens, hoc jam pridem optatum sibi & expectatum fuisse. At Nicetas, ut venerandas illas carnes nudas vidit, quas jejunia ad summam maciem perduxerant, intimis sensibus indoluit, jussitque, ut honestatis causa solus cum solo relinqueretur. Tum ovis pellem recens detractam accipit, viri humeris imponit, & sic in ea distringit verbera, quorum strepitus ad foris stantes perveniebant. Quin ut guttas etiam ex plagarum cruore profusas ostendere posset, sanguinem e brachio suo lanceolæ ictu elicuit, eo

vit. n. 84.

manan-

manante flagrum imbuit & foras pro- Sæculum IX.
greſſus tinctum exhibuit. Ipſe porro A. C. 817.
citato anhelitu fatigationem ſimulabat.

§. XXXII.

S. Theodorus Papæ ſcribit.

Igitur S. Abbas nec loqui nec dare Epi- *vit. n. 86.*
ſtolas, atque præter alios, ad Patriar- *II. ep. 12.*
chas, nempe primo ad Paſchalem ſuo & aliorum quatuor Abbatum, quorum primus eſt Joannes Catharenſis, nomine non ceſſavit. In hac Epiſtola dicit: *Jam fere pleraque de perſecutione, quam patimur, ad Beatitudinem tuam ſupremam delata fuerint; id tamen forte per Epiſtolas accurate necdum factum. Itaque, Capite noſtro comprehenſo* (ſcilicet Nicephoro Patriarcha) *& Fratribus noſtris in diverſa ſparſis, nihilominus viam invenimus nos in Spiritu conjungendi, & tibi hæc confidenter ſcribimus. Audi, Apoſtolicum Caput, a Deo præpoſite Paſtor ovium JEſu Chriſti, qui accepiſti claves Regni Cælorum, Petra ſuper quam ædificata eſt Catholica Eccleſia,* (*) *tu enim es Petrus, quia Sedem ipſius imples.*

(*) Talia P. Balduinus a Fleurio mala fide omiſſa ſine omni fundamento affirmat. Contra Proteſtantes vero ex hoc teſtimonio iterum probatur, quis ſenſus in Oriente de Epiſcopi Romani Auctoritate & poteſtate fuerit.

Sæculum IX. A. C. 817.

ples. Tum describit, quanta mala in hac persecutione sustineant, & subjungit: *Veni ergo ab Occidente in auxilium nostrum. Tibi dixit JEsus Christus:* Luc. 21. *Confirma fratres tuos! nunc confirmandi tempus & locus est. Porrige nobis manum, qui potestatem a Deo habes, cum sis omnium Princeps. Audiat Ecclesia, quæ sub Cælo est, quod in Synodo illos anathematizes, qui Patres nostros anathematizare ausi sunt. Sic opus facies Deo acceptum, concussos firmabis, fortes stabilies, lapsos eriges, gaudium dabis Orthodoxæ Ecclesiæ universæ, gloriam tibi paries immortalem, imitator Antecessorum tuorum, qui afflati a Spiritu Sancto similibus Ecclesiæ temporibus ea, quæ modo a te exspectamus, effecerunt.*

§. XXXIII.

Epistolæ ad Patriarchas.

ep. 14. Theodorus suo tantum nomine dedit Epistolam ad Patriarcham Alexandrinum, quem non nominat, forte quod nomen ejus nesciret, quia Christianis sub potestate Musulmannorum positis litteras dare aut accipere non licebat. In ea Epistola magis accurate persecutionis calamitatem describit, quod eum, ad quem litteras dabat, ista ignorare crederet. Inter alia dicit: *Eversa sunt Altaria, templa Domini etiam in Monaste-*

nasteriis devastata. Ille ipse, qui cervi- Sæculum IX.
cibus vestris incumbit Arabs, mitius for- A. C. 817.
sitan hac in parte erga Christum se ge-
rit. Et post alia: *Episcopi & Sacerdo-*
tes, Monachi & Sæculares, omnis sexus
& omnis ætas labefactata. Alii quidem
circa fidem naufragium passi sunt, alii
fidem intus servantes hæretica saltem Com-
munione involvuntur. Supersunt tamen,
qui non curvaverunt genua ante Baal, &
ante alios, qui primus est inter nos, Pa-
triarcha noster. Ex his vero alii ludi-
briis & verberibus tentati fuerunt, illi
in vinculis & carceribus pane modico &
aqua vitam trahunt, alii relegati, alii in
desertis & montibus, in speluncis terræ
versantur. Quidam flagellis usque adeo
cæsi, ut Martyres ad Dominum emigra-
verint, sunt, qui sacco inclusi noctu in
mare demersi vitam finierunt. Quid cæ-
tera? anathemate feriuntur Patres no-
stri, memoria impiorum celebratur, in-
fantes perversa dogmata ex illo, qui Ma-
gistris traditus est, libro in scholis hau-
riunt. Si quis sanam Doctrinam præ-
dicat, mox instant insidiæ. Non vir a
conjuge sua tutus, mille exploratores ad
Imperatorem deferunt, an quis a fide i-
psius discrepet, an cum Hæreticis non com-
municet, an imaginem domi habeat, aut
librum de imaginibus scriptum, aut an
exulem recipiat, aut captivo pro Christi

Sæculum IX. A. C. 817.

amore miniſtret. Quod ſi deprehendatur talis, illico rapitur, cæditur, relegatur. Unde videas, judicii metu, Dominos mancipiis ſuis adulari. Propterea nomine omnium opem tuam efflagito, & quamvis aliter juvare non poſſes, ſcio tamen precum ſaltem ſubſidium nobis magnum emolumentum in extrema neceſſitate allaturum.

Theodorus Patriarchæ Antiocheno ſimilem ac Alexandrino Epiſtolam miſit; illa vero, quam ad Patriarcham Jeroſolymitanum dedit, diverſa eſt. In ea dicit: *Primus Patriarcharum es, quamvis numero quintus, ob dignitatem loci, in quo JEſus Chriſtus verſatus fuit.* Rogat, ut Dionyſio Monacho hujus Epiſtolæ latori faveat, quo facilius alias quoque, quas deferebat, veriſimiliter ad duos alios Patriarchas & Palæſtinæ Abbates, reddere poſſet. Nam ſimul etiam Theodorus ad Abbatem Lauræ S. Sabæ, item ad Abbates S. Theodoſii, S. Charitonis, & S. Euthymii litteras dabat. His Epiſtolis deſcripta exemplaria cujusdam ſermonis ab Iconoclaſtis editi, & ejusdem Refutationis a S. Theodoro compoſitæ, juncta erant.

ep. 15.

S. Theodori Epiſtolæ.

ep. 16.

ep. 17.

Quamvis Theodorus dicat, ſe nullum aliud ab his Epiſtolis emolumentum exſpectare, quam eorum, ad quos datæ erant, pias preces, maximum tamen inde bonum

bonum eveniebat, quod consensus Universæ Ecclesiæ in cultum SS. Imaginum demonstraretur, cum Fideles Orientales Imperatoris Constantinopolitani metus non turbaret. Tunc Patriarcha Alexandrinus Melchita Christophorus, & Antiochenus Job erat. Neutrius Responsum reperimus, at dubium non est, quin responsum dederit Thomas Patriarcha Melchita Jerosolymitanus, qui, hanc Sedem anno octingentesimo undecimo adeptus, annis decem ut diximus sedit, nempe usque ad annum octingentesimum vigesimum primum. Imo ad causam Ecclesiæ defendendam misit Constantinopolim duos Monachos S. Sabæ Theodorum & Theophanem. Fratres erant patria Jerosolymitani. Theodorus a primis annis illius Monasterii Alumnus in litteris & pietate institutus est. Unde videmus tam in Oriente quam in Occidente in Monasteriis Scholas fuisse. Eum Patriarcha Presbyterum ordinavit, & quidam Senex, olim Magister ipsius, de eo vaticinatus est, quod aliquando Martyrium esset subiturus. Erat Theodorus doctissimus, namque etiam defensionem Veritatis editis libris in se suscepit. Ubi cum fratre suo Constantinopolim pervenit, primo Theodotum Patriarcham adiit, & Hæresim virili vigore exprobravit. Deinde cum obvium habuisset Im-

Sæculum IX. A. C. 817.

Sup. Lib. XLV. §. 56.

vit. ap. Sur. 26. Dec. to. 6. p. 1094.

Sæculum IX. A. C. 817.

peratorem, pari libertate locutus est. Imperator primum Viri virtutes reveritus dissimulavit, eoque ad se vocato, longos sermones miscuit; sed, constantissimum expertus, eum & fratrem ipsius Theophanem flagellis cædi jubet, mittitque ad Ponti Euxini ostia, editis mandatis, ne quis iis aut cibum aut operimentum daret. Verum Leone Imperatore brevi postea e vivis sublato non diu ibi manserunt. Unde conjectura est, ipsos ante annum 820. Constantinopolim non venisse.

§. XXXIV.

Papa Catholicos confirmat.

Theodotus Patriarcha Constantinopolitanus suo nomine Paschali Papæ scripsit, misitque Apocrisiarios, quibus Papa adhuc longe distantibus nunciari jussit, ne in conspectum suum venirent. Ob hoc factum gratias egit Pontifici S. Theodorus Studita, data Epistola, in qua dicit: *Vos igitur illimis ac sincerus ab initio fons orthodoxæ veritatis, Vos adversum omnem Hæreticam procellam tranquillus sepositus portus, Vos a Deo electa Civitas refugii & Salutis.* Hanc Epistolam Epiphanio discipulo suo deferendam tradidit, adjecitque aliam ad Methodium Nicephori Patriarchæ Romæ Apocrisiarium. Erat Methodius natione

ep. 15.

vit. ap. Boll. 10. Jun. p. 962.

ne Siculus, natus Syracusis parentibus nobilitate & opulentia spectatissimis. Puer Grammaticam didicit, historiam, & artem scribendi Notis. Cum ad ætatem virilem perveniisset, Constantinopolim se contulit cum magna pecuniæ vi, munia & Dignitates cogitans, quas consecutus in Aula splendide viveret. Talia mente volventi quidam Sanctus Monachus, cui sua crediderat consilia, suasit, ut potius Bona æterna sectaretur, eique obsecutus Methodius in Monasterio, quod vulgo *Chenolac* appellabant, a S. Stephano sub Leone Isauro fundato, Monachum professus est. Itaque Legationem Romanam haud gravate in se suscepit, quo persecutionem Leonis Armeni effugeret; nihil vero eorum, quæ ad observantiam Monasticam pertinent, in hac profectione omisit. Sæculum IX. A. C. 817. *Boll.* 14. *Jan. p.* 976.

Paschalis Papa missis Legatis, datisque Epistolis, quibus Imaginum causam fulciret, nihil effecit, nisi quod Catholicis animos addiderit, cum cernerent, primam Ecclesiæ Sedem Doctrinæ suæ suffragari. Ceterum Papa Romæ S. Praxedis Ecclesia, quæ ruinam minabatur, reparata, & multis Sanctorum corporibus ex collapsis & desertis Cæmeteriis in eam translatis, ibidem fundavit Monasterium Græcorum, ubi diu noctuque Officium Divinum patria lingua cantabant.

Sæculum IX. A. C. 818.

bant. Istud Monasterium illorum inprimis bono conditum creditur, qui persecutionem fugientes Romam recurrebant.

Pontifex huic Monasterio Reditus sufficientes partim ex agris, partim ex domibus contulit, Ecclesiam S. Praxedis magnifice ornavit, & Ciborium seu Umbraculum ex argento octingentarum librarum super Altare obtulit.

§. XXXV.

Bernardi Regis Italiæ seditio.

Eginh. an. 817. 818.

Inter hæc Bernardus Rex Italiæ, indignans, quod Lotharius coronatus fuisset Imperator, a Ludovico Imperatore Patruo suo deficere ausus est. Cum vero Ludovicus collecto promptissime exercitu in eum movisset, seditiosis in diversa sparsis, Bernardus cum conscii sui deditionem fecit. Id anno octingentesimo decimo septimo contigit. Anno autem sequente Aquisgrani judicio in eos actum est, & quamvis Francorum Conventus eos dignos mortis pronunciasset, Imperatori satis pœnæ visum, si reis oculi eruerentur. Ex hoc cruciatu Bernardus post elapsum triduum extinctus est, postquam regnasset annis quatuor & mensibus quinque, ex quo eum Carolus Magnus Avus suus Regem declarasset. Episcopi tres ipsius seditione impli-

Astronom. Theg. c. 22. 23. 24. *Chro. Moiss.* 817.

Coint. an. 818. *n.* 5.

impliciti a Confratribus suis depositi, & in Monasteria detrusi. Hi fuere Anselmus Mediolanensis & Wulfoldus Cremonensis, ambo Bernardi Subditi, & Theodulfus Aurelianensis, in Longobardia natus. Ludovicus Imperator, cum metueret, ne tres fratres sui adolescentes Drogo, Hugo, & Theodoricus ad simile facinus a quoquam impellerentur, rasos in Monasteria inclusit. Sæculum IX. A.C. 818.

§. XXXVI.

S. Eigil Abbas Fuldensis.

Sub idem circiter tempus Ratgarus Abbas Fuldensis depositus. Is, nobili stirpe in Germania natus, Baugulpho S. Sturmii Successori anno octingentesimo secundo in Regimine Abbatiali suffectus, Monasterium mire ornavit & litteras coluit. Sed cum aspera conversatione Fratribus invisum se reddidisset, jam anno octingentesimo undecimo Carolum Magnum adierunt, & oblato Libello supplici articulos plures contra Abbatem suum detulerunt. Inter alia querebantur; ipsum dies Festos abrogare, ut eo magis labor manuum augeretur, nulla commiseratione in senes & infirmos tangi, condere ædificia superflua, hospitum curam negligere, & in suscipiendis Novitiis, priusquam mores eorum probarentur, nimis esse facilem. Carolus *vita Eigil. to. 5. Act. p. 227. ibid. p. 260.*

Sæculum IX. A. C. 818.

rolus Magnus Imperator causam hanc discutiendam commisit Riculfo Archiepiscopo Moguntino & tribus aliis Episcopis, qui has turbas ad tempus breve composuerunt. Sed iterum excitata est tempestas domestica regnante Ludovico, qui Monachos ex Occidente (id est ex Gallia) illo misit. Hi Ratgaro Abbate anno octingentesimo decimo septimo depositio tranquillitatem in illud Monasterium reduxerunt.

Tunc ergo Monachi, impetrata ab Imperatore alium Abbatem eligendi licentia, unanimi consensu Eigilum, Senem venerabilem, S. Sturmii Discipulum, cujus etiam vitam scripsit, elegerunt. Eum in Norico natum parentes, S. Sturmium affinitate sanguinis contingentes, adhuc adolescentulum eidem tradiderant, in illius Monasterii schola instituendum. Itaque reluctantem atque senectutem & infirmam valetudinem objicientem, ad Imperatorem deducunt; quo electionem approbante, Heistulfus Riculfi in Sede Moguntina Successor eidem Benedictionem Abbatum contulit. Id actum anno octingentesimo decimo octavo. Eigili Regimen leniissimum fuit, nihil enim sine consilio fratrum faciendum suscipiebat. In Natali Domini suis manibus ad mensam accumbentibus serviebat, ut exemplum humilita-

tis

tis præberet. Imo ab Imperatore obtinuit, ut Ratgarus ipsius Antecessor ab exilio revocaretur, & tandem postquam Monasterium, quod pacificaverat, rexisset annis quatuor, anno octingentesimo vigesimo secundo in Domino obdormivit. Sæculum IX. A. C. 819.

Anno octingentesimo decimo nono ineunte Ludovicus Imperator in Comitiis Aquisgrani celebratis Legi Salicæ aliquot Articulos addidit. Qui ad Religionem spectant, sunt sequentes. Cædes in Ecclesiæ patrata mortis pœna puniatur, nisi quis moderamen inculpatæ tutelæ probet; quod si ita sit, pecunia ex pacto danda in Ecclesiæ ærarium conferatur, præter mulctam principi pendendam. *Eginh. ann. astronom. to. 1. cap. p. 597. c. 1.*

Si sanguis Clerici in Ecclesia effusus fuerit, mulcta augeatur in triplum, quam si reus solvere nequeat, Ecclesiæ Servus fiat. *c. 2.*

Qui virum pœnitentiam publicam agentem interfecerit, mulctam Regi pendat in triplum, præter pecuniam propinquis pactam. *c. 5.*

Qui capillos pueri raserit, aut puellam invitis parentibus velaverit, mulctam in triplum solvat, & parvulus suam retineat libertatem. *c. 21.*

In alio hujus anni Capitulari Mandatariis & Procuratoribus in Provincias missis præcipitur, ut curent Ecclesias reparari, Decimas solvi, atque *Cap. 6. n. 4. 9. 10.*

Sæculum IX. A. C. 819. atque Episcopos electos sine dilatione consecrari.

§. XXXVII.

S. Theodori Studitæ ærumnæ.

vit. n. 87. In Oriente Iconoclastæ persecutioni finem non faciebant. S. Theodori Studitæ in Arce Metopensi detenti fama multos hospites attraxit, qui iter facientes ad eum divertebant. Nec eos arcebant Custodes, tum S. Viri reverentia, tum muneribus, quæ accipiebant, deliniti. Quidam ex Asia Clericus, qui, etsi esset Iconoclasta, viri virtutem maximi faciebat, cum ei fuisset collocutus, non modo errorem dedoctus est, sed etiam usque adeo veritatis amore incensus, ut alios quoque convertendi desiderio flagraret. Domum reversus quemdam Clericum, amicum suum, in suam pertraxit sententiam. Itaque ambo statuunt non amplius communicare cum Episcopo suo, quod ad Hæreticorum partes transiisset. Episcopus rem defert ad Imperatorem & Orientis Præfectum, qui illico suorum aliquem ire, & Theodoro quinquaginta plagas flagello infligere jussit. Qui missus fuerat, nolens hujus sævitiæ minister esse, ad pedes S. Senis prostratus veniam inter lacrymas rogavit. Alius vero, cui nomen Anastasius, ad Imperatorem cu-

n. 88.

currit,

currit, accusans Præfectum, quod imperata facere neglexisset. Tum ut rei veritatem certissime sciret, ad Theodorum venit, corpus explorat, & cum nulla deprehenderet verberum vestigia, Sancto Viro plagas centum impingit, in carcerem caliginosum & fœtentem unacum Discipulo suo Nicolao detrudit, duosque alios in diversos carceres abstrahit. Sæculum IX. A. C. 819.

Theodorus integro triennio in suo ergastulo manere coactus est, in hyeme immodicum frigus, & in æstate calorem maximum tolerans, pediculorum aculeis vexatus, & fame sitique afflictus, nam nihil cibi ei dabatur præter panis frustillum, quo elapso demum biduo per ostiolum, insultantibus ministris, injiciebatur. Aliquando autem vir maxima Dignitate conspicuus per viam publicam, quæ loco proxima erat, iter faciens, cum S. Viri calamitatem a narrantibus intellexisset, jussit, ut ei ipsiusque Discipulo annona sufficiens præberetur. n. 90. 93. n. 92.

Inter has vitæ suæ miserias Theodorus nihilominus modum scribendi Epistolas invenit; quippe plurimæ illo triennio scriptæ creduntur. In Epistola ad Naucratium Discipulum suum captivitatem suam describit in hunc modum: *Postquam corpora nostra ad satietatem suam dilaniarunt, ambos in conclave superius miserunt, clausa est janua, & sca-* *Il. ep.* 34. S. Theodorus in carcere.

Sæculum IX. A. C. 819.

la remota. Positi sunt custodes, qui accedentes pellant, imo cuncti, qui Arcem ingrediuntur, curiose observantur. Severe prohibitum, ne quis nobis aliud quam panem & lignum det. Illo sustentamur, quod nobiscum attulimus, & quod nobis post longam moram per fenestram immittitur. Quamdiu annona nostra, & quod ostiarii hebdomadarii charitaclam nobis congerit, sufficiet, vivemus, bis deficientibus, moriemur. Neutiquam tamen a bono Deo pro meritis nostris punimur.

II. ep. 59. In alia Epistola S. Theodorus consolatur Congregationem triginta Virginum Religiosarum, quæ e suo Monasterio pulsæ, virgis cæsæ, & a consueto consortio abstractæ in carceribus detinebantur.

S. Theodori Epistolæ. Monasterii Studiensis quoque Alumnis in diversa sparsis, illa Domus, & quæ vulgo *Sacudion* dicebatur, datæ sunt uni ex ipsis Monachis, homini emasculato, nomine Leontio, qui Mœchianorum factioni se addixerat, & tunc Iconomachorum Principibus adnumerari meruit. Hujus Monachi ruinam S. Theodorus in pluribus Epistolis deflet, quod fratrum suorum persecutor evasisset. Ergo data Epistola S. Abbas afflictis Monachis solatium afferre conatur, & Jacobi, Confratris ipsorum, in carcere ex acceptis verberibus mortui Elogium concinnat.

ep. 31. 37.

Item

Item datis litteris Monachos dispersos non solum in Fide, sed etiam in bonis moribus confirmavit. *Fugiamus*, inquit, *mortifera concupiscentiæ tela! attendamus, quale sit nostrum contubernium; si locus est periculosus, migremus alio. Si scandalum adsit, tollatur. Si, solos esse, nocet, accersamus socium, cum maledictus sit ille, qui solus manet sine necessitate. Cetera omnia solerter observanda, cibus, potus, somnus, labor, atque ita reficiendum est corpus, ut Spiritui resistere non audeat.* Sæculum IX. A. C. 819. *ep.* 58. *ep.* 100. *ead. ep.* 37. *Eccles.* 4. 10.

S. Theodorus privatas quoque Epistolas dedit ad Episcopos Exules, videlicet ad Theophylactum Nicomediensem, ad Theophylactum Ephesinum, Petrum Nicenum, ad Fratrem suum Josephum Archiepiscopum. Præterea iisdem scripsit Epistolam simul ad omnes directam, in qua rogat, ut se consolentur, & eruditant. *Per litteras docete me*, inquit, *quomodo JEsus Christus in imagine sua adorandus sit. An sit alterius generis adoratio, ac ea, qua ipsemet adoratur, quod dicunt Hæretici, aut an sit eadem adoratio, quod nos dicimus? ne forte imaginis materiam adorem.* *II. ep.* 4. 26. 41. 70. 25. 101. 9. 31. *ep.* 87.

§. XXXVIII.

Regulæ de Pœnitentia.

Sanctus Theodorus in pluribus Epistolis

Sæculum IX. A. C. 819.

agit de modo illos recipiendi, qui in hac persecutione lapsi erant. *Si de Corpore nostro sunt*, inquit (id est de Congregatione Monachorum suorum) *nostrum est, ipsis adhibere remedium. Ergo pœnitentiam recipiant, a me Oresti injunctam, nimirum, Rerum Sacrarum Communione privati sint. Si quæritis, quamdiu? usque ad persecutionis finem. Verum, dicitis, si interim urgeat mortis periculum? tunc communicent. Speramus fore, ut remittatur eis hoc peccatum. Isti enim non sunt eo modo recipiendi, sicut illi, qui ab Hæresi convertuntur, sed tanquam tales, qui negarunt Nomen Domini, aut ad illud negandum cum Iconoclastis communicarunt; quia, ut docet S. Basilius, contemptus imaginis ad ipsam Personam refertur. Aliud dicendum de illis, qui nunquam fuerunt Catholici, & ad nos veniunt, ut primum Veritas eorum animis illucescit. Quamvis nec isti facile, sed ex multorum virorum Catholicorum consilio & sententia sint admittendi. Quod si, ut vobis videtur, sine pœnitentia recipiendi sunt, qui cum Hæreticis communicarunt, cur me ipsum tot periculis exposui? At rursus objicitis: Ipsi recipere Catholicos ad se venientes gaudent, & nullam eis pœnitentiam injungunt. Si bene faciunt; ergo etiam a nobis*

ep. 2.

nobis illi, qui JEsum Christum negarunt, magno honore excipiendi erunt? Sæculum IX. A. C. 819.

Quod spectat ad illos, qui nostræ Congregationis non sunt, quis sum ego, ut eis Regulas præscribam? Si autem volunt, ut ex lege Charitatis edicam, quid sentiam, idem ipsis, quod nostris faciendum puto. Si Presbyter metu perturbatus Edicto impiorum subscripsit, aut cum Hæreticis communicavit, Communione privetur. Si Interdicto a suis functionibus remotus fuit, Concilii erit, ipsum restituere. Si quis post lapsum denuo resurgens contra inimicos fidei pugnaverit, non ideo tamen suo arbitrio pristinum gradum occupet, sed tam ipse quam alii meminerint, lapsum fuisse. Si palam & fortitudine singulari decertaverit, nihil tamen aliud quam sola Communio ei concedatur. Cum vero illius, qui pœnitentiam injunxit, sit etiam aliquid addere vel demere, si persecutio non cesset, pensata culpæ gravitate, & pœnitentis fervore, absolvi poterit, antequam Synodus congregetur. Ceterum non sit vetitum cum talibus manducare, si modo ipsi Benedictionem ciborum non pronuncient.

S. Theodorus consultus a Presbytero, quem subscripsisse Decreto contra Imagines pœnitebat, respondet primo, non debuisse ipsum ad se recurrere, sed ad Episcopos. Deinde suadet, ut a functio-

Sæculum IX. A. C. 819.

nibus Sacerdotalibus penitus abstineat, nisi forte durante persecutione cuiquam Communionem præbere necesse fuerit. *Verum*, inquit, *nullus Episcopus solus concedere tibi valet, ut munere Sacerdotali plene fungaris, sed Auctoritate Concilii opus est.* (*) *Quod vero dicis, te cum subscriberes, clamasse: Adoro Sanctas imagines; respondeo, etiam Pilatum ore professum fuisse, se esse innocentem morte JEsu Christi, sed scripto ipsum condemnasse.* In alia Epistola docet, Presbytero, qui cum Hæreticis communicavit, annum unum alterumve a Communione abstinendum, & in eorum Ecclesias intrare non oportere. Alius Presbyter cum Episcopo Hæretico cibum ceperat. Ad hoc factum, *si ab ejus mensa recedat*, inquit, *munere suo iterum fungi poterit, postquam aliquamdiu pœnitentiæ causa abstinuerit. At vero ut ut maxima offerat reus, nunquam tamen propter ea, quæ offert, concedenda est ipsi absolutio. Ita enim dum absolvens alteri lucem affert, ipse tenebris obvolvitur. Tandem quæ metu impellente facimus, voluntate nostra fiunt, cum prohibitum sit, illos timere, qui corpus occidunt.*

Pœnitentia antiqua.

ep. 20.

ep. 32.

In

(*) Hodie, cessantibus Conciliis, Episcopus & quibus ille potestatem absolvendi dederit, absolvunt.

Sæculum IX.
A.C. 819.

In illa Epistola præterea sequentes regulas legere est; Si quis Catholicus accusatus, quod cum Hæreticis non communicet, signum Crucis fecerit, ut profiteretur, se cum eis communicare, nihil ei amplius negotii facessentibus Hæreticis, dimidium huic subeundum pœnæ quæ ei statuitur qui plane Hæresi communicarit. Si quis Presbyterum latitantem Hæreticis prodiderit; ut proditor veritatis in pœnam anno uno a Sacris abstineat. Si quis juraverit, se imagines non adoraturum, & post jusjurandum occulte adoret; tribus annis ille Divinis Mysteriis arceatur, & sciat, se clementissime haberi. Si quis aliquam imaginem deleverit; per annum a Communione prohibeatur. *ep. 40.*

Potest aliquis recte, dum peccata pœnitentia expiat, adscivere sibi socium ad levationem pœnæ, sed suo arbitrio eleemosynis non potest quidquam ex eo subtrahere, quod est definitum. Nam qui pœnam irrogat, novit omnino & personam & tempus & adjuncta perpendere, ut relaxet. Quoniam omnia Canones comprehendere non potuerunt. Plagæ dorso exceptæ aut alii pro Fide tolerati cruciatus maximorum peccatorum pœnam diminuunt; omnia tamen sunt in arbitrio illius, qui pœnam injunxit. *ep. 45.*

Qui sua voluntate lapsi sunt, vel solo *ep. 49.*

Sæculum IX. A. C. 819.

metu, tribus annis pœnitentiam ſubeant, & non communicent. Si verbera ſuſtinuerint, duorum annorum ſit pœna, ſi ex ignorantia peccaverint, pœna ſit unius anni. Non licet cum Hæreticis cibum ſumere ullo modo, aut cum Catholicis, qui cum Hæreticis communicant, niſi caſu aliquo neceſſario ſemel aut iterum. Non licet ſalutem dicere Hæreticis, aut eorum Oblationes recipere. In his Epiſtolis S. Theodorus ſæpe dicit, non ipſius ſed Epiſcoporum eſſe, hæc definire, quæ vero ipſe ſuggereret, conſilia eſſe non præcepta.

Tandem S. Theodorus ſperans ſe in illa perſecutione moriturum, edidit teſtamentum ad modum Epiſtolæ, quam fratribus ſuis abſentibus ſcripſit. In ea rogat fratres, ut ſibi veniam errorum in Regimine ſuo admiſſorum concedant, & pro ſe orent. Declarat deinde, ſe quantum in ipſo eſſet ignoſcere Leontio & ceteris Apoſtatis, & mandat fratribus, ut lapſis Dei judicium denuntient, quod ipſis graviſſimum immineret, niſi pœnitentiam agerent. Alia quoque multa ſcripſit in ſuo carcere, otio ſibi conceſſo ſapientiſſime uſus. Inter hæc ſunt vitæ quorumdam Fratrum ſuorum verſibus conſcriptæ, quas Naucratio Diſcipulo ſuo miſit.

Oper. init. p. 80. II. ep. 61.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Sæculum IX. A. C. 819.

Ærumnæ Theodori recentiores.

Cum Epistolarum istarum Catecheticarum una devenisset in manus Imperatoris, illico ad Orientis Præfectum misit, qui mandarent; tanto rigore Theodorum castigaret, ut timore perculsus deinceps litteras exarare non auderet. Præfecti Tribunus Epistolam ostendit Theodoro, qui signum cognovit. Tum jussit Nicolao Theodori Discipulo, qui eam scripserat, multas plagas, & ipsi Theodoro centum flagello infligi. Redit deinde ad Nicolaum & denuo renovatis vulneribus acriter verberat. Demum humi prostratus relinquitur gelido aere. Nam ista mense Februario fiebant. Theodorus quoque Abbas in terra jacens & anhelans diu nec quietem nec cibum capere potuit. Ejus vero Discipulus videns carissimi patris angustias, proprii doloris immemor linguam arentem affuso jusculo refocillavit; cumque sic abeuntem spiritum revocasset, vulnera ejus curare cœpit, usque adeo liventia, ut ex multis carnem arentem & corruptam exscindere coactus sit. Theodorus immensis febribus correptus per trium mensium spatium intolerandis doloribus conflictatus est; quibus necdum remittentibus adest Dux cohortis

vita. c. 23. vit. Nicol. p. 910. Theod. II. ep. 38.

vit. n. 95.

Sæculum IX. A C. 819.

ab Imperatore missus, qui adveniens nihil prius habuit, quam ut omnes carceris angulos & cavos scrutaretur, ut inveniret pecuniam, quam ab illis, qui S. Virum invisebant, afferri non dubitabat. Cum quærendo operam perdidisset, in Magistrum Discipulumque conviciis & verberibus debachatus eos Smirnam celerrime proficisci compellit. Id circiter mense Junio anno octingentesimo decimo nono factum. De die iter strenue prosequi cogebantur, & nocte injiciebantur compedes; ubi autem in illam civitatem pervenerunt, in manus Archiepiscopi Smirnensis Iconoclastarum principis traduntur. Is Theodorum in specum obscuram & subterraneam misit, ubi mensibus octodecim degit, & jam tertium in corpore debilitato centum plagas excepit. Theodorus nihilominus etiam ex isto loco datis ad Discipulos suos & speciatim ad Naucratium Epistolis præter alia dicit, se maxima lætitia percepisse, quod Papa ad defendendam bonam causam Constantinopolim scripsisset. Tandem Archiepiscopus Smirnensis Constantinopolim profecturus jamque accinctus itineri ad S. Virum dixit; rogaturum se Imperatorem, ut Ducem mitteret, qui ejus caput aut linguam saltem resecaret.

II. ep. 26. 63.

ep. 71.

vit. c. 3. *n.* 23. *ap. Boll. to.* 7. *p.* 222.

Interim

Interim Theophanes Abbas Singrianensis, quamvis ægrotaret, Constantinopolim deducitur. Imperator, postquam ad eum pervertendum frustra operam consumpsisset, Joannem Leconomantam, Sophistam inter Iconomachos facile primum, in eum immisit, & ipso quoque devicto, jussit Imperator S. Abbatem in Palatio Eleutherii angusto carcere detineri, ubi per biennium commorari cogitur, ipsius morbo (difficultate urinæ & calculo laborabat) nimium quantum ingravescente, cum omni medicina esset destitutus. Inde devectus in Insulam Samothraciam tribus tantum Septimanis vitam traxit, & migravit ad Cælum anno circiter octingentesimo decimo nono duodecima Martii, qua die Ecclesia ejus memoriam colit. Sæculum IX. A. C. 819. *Mart. Rom.* 12. *Mart.*

§. XL.

Leonis fata. Michael Imperator.

Tandem Imperatoris truculenta cædes finis persecutionis fuit. Nam Michael Dux Fœderatorum (ita certæ cohortes dicebantur) immanem crudelitatem non ferens Imperatori insidiabatur, & parta olim fortitudinis laude tumens quotiescunque de Leone sermo incidebat, linguæ neutiquam temperabat. Leo furentem comprehendi jubet in vigilia Natalis Domini anno octingentesimo vigesimo, *Scrip. post Theoph.* 21.

Sæculum IX. A. C. 820.

gesimo, & quæstione, cui ipse adesse sustinuit, ne in unam quidem diem dilata, convictum ad ignem condemnat, & præcipit in fornace balnei, quod in Regia erat, vivum se præsente comburi. Jamque eadem die parabatur supplicium, cum Imperatrix Theodosia accelerat gradus, & cum marito jurgatur, quod nullam reverentiam haberet sanctissimo Festo, quo Domini Nostri Corpus accepturus esset. Ne igitur iram Dei in se concitaret, Leo Michaelem *Papiæ* seu Regiæ Præfecto custodiendum tradit, vinculis ferreis pedes adstrictum, apud se clavem servans. Ad uxorem vero conversus ait: *Jam quidem a peccato isto me cohibes; sed tu & filii tui pœnas dabitis illi ipsi, cujus mortem differri postulas.*

Imperator editis oraculo sortibus turbabatur, & præsertim malum omen capiebat ex signis opere miniato in libro Bibliothecæ Imperatoriæ exhibitis, ubi futurorum Imperatorum fata notis mysticis adumbrata dicebantur. Inde noctem illam insomnem exigens perrupta, qua ad Papiam ibatur, portula domum ejus intravit. Speculatus quid ibi gereretur, obstupuit videns, quod Papias humi, & Michael damnatus in thoro alte extructo jaceret. Propius accedens, deprehendit eundem non anxie

xie noctem ducere, sed tranquillo sopo- Sæculum XI.
re, vinctum periculi sui immemorem. A. C. 820.
Discessit utrique ruinam structurus. At unus excubitorum, qui Imperatorem ex puniceis cothurnis agnoverat, rem Michaeli & Papiæ indicat. Itaque perterriti de effugiendo periculo deliberant. Simulat Michael se latentes animæ maculas velle confiteri, mittitque quemdam nomine Theoctistum, qui ab Imperatore licentiam peteret. Quod cum Imperator permisisset, Theoctistus non Confessarium sed conjuratos adit, denunciatque, nisi Michaelem celerrime discrimini eriperent, omnium conscriorum nomina ad Imperatorem delaturum. Ipsi in arena consilium arripiunt. Mos erat, ut Clerici in sua quique domo habitantes circa tertiam noctis vigiliam in templum progrederentur ad cantandas nocturnas Dei Laudes. Iis tum conjurati Clericos vestitu mentiti se permiscentes, pugionibus subter alas occultatis intrant, & per tenebras latitant, tesseram exspectantes. Erat vero illa tessera versus, qui reddi potest in hunc modum: *Sprevere summi cuncta amore Principis.* Nempe initium Hymni in laudem trium puerorum in fornace Babylonica illæsorum, quem Græci hodieque in eodem Officio matutino diei Natalis decantant. Hunc Leo Imperator ipse cantare sole- *Menol. 25. Dec.*
bat,

Sæculum IX. A. C. 820.

bat, tam amœna enim & grandi voce a natura præditus erat, ut illo ævo nemo magis.

Ubi igitur Imperator Hymnum intonuit, conjurati confertim irrumpunt, & primo per errorem invadunt Clericorum Magistrum, sive quod is corpore Imperatori similis erat, sive quod caput simili tegumento velaverat, quia perfrigida cogebat tempestas capita tegere. Sed is quidem detracto pileo & ostensa calvitie periculo se subtraxit, Imperator autem in penetrale Altaris se recipit, & arrepta pro clypeo sancta Cruce primos ictus depellit. Sed tot aggressoribus par esse non potuit. Itaque aliquis gigantææ staturæ infeliciter pugnantem ita cæcidit, ut brachium una cum humero abstulerit. Alius vero caput amputavit. His Leonis Armeni exitus fuit, (*) postquam solium occupasset annis septem & quinque mensibus. Corpus per urbem raptatum & in Hypodromum projectum. Quatuor filii navigio cum matre impositi in Insulam Protam avehuntur, & ibi emasculantur.

Leonis Armeni fatum.

Michael

(*) Hunc exitum sortitus est Leo Armenus, qui ut supra §. XI. vidimus, sperabat diu vivere & Imperium in filium suum & nepotes usque ad quartam generationem transmittere, si Cultum Imaginum eliminaret.

Michael vero e carcere Papiæ libe- Sæculum IX.
ratus, ut erat ferreis compedibus adſtri- A. C. 820.
ctus in ſolio conſidet, & ab omnibus, qui tunc in Palatio aderant, Imperator ſalutatur. Sub meridiem, vix malleo diffiſis compedibus, adhuc illotus, nec ulla alia re, quam decebat fieri, peracta, ad magnum S. Sophiæ templum procedit, cupiens manibus Patriarchæ coronari, & ab univerſo populo Imperator adorari. Natus erat Michael Amorii ſuperioris Phrygiæ urbe, Balbus ab impedita lingua dictus.

Haud multo poſt tempore Fortuna- *Egin. an. 821*
tus Patriarcha Gradenſis Conſtantinopolim confugit, coram Ludovico Imperatore accuſatus, quod ſeditioni a *Liudewit* Duce Pannoniæ commotæ faveret.

Sub illud tempus Corpus S. Marci Alexandria Venetias Urſo Epiſcopo Olivolenſi, & Juſtiniano Duce, fuiſſe translatum creditur. Habemus quidem hujus facti hiſtoriam permultis adjunctis deſcriptam; ſed de ejus antiquitate periti dubitant, & Venetiis exacte non ſcitur locus, quo Reliquiæ illæ conditæ ſint. Illud vero omnibus notum, quod Respublica S. Marcum Patronum ſuum veneretur.

ap. Baron. to. 9. an 820. n. 29. Boll. 25. Ap. to. II. p. 353. Tillemon. to. 2. p. 554.

§. XLI

Sæculum IX.
A. C. 820.

§. XLI.

Inventio S. Cæciliæ.

Conc. to. 4. p. 136. Anast. in Paschal.

Romæ inventum est Corpus S. Cæciliæ Martyris. Jam anno quingentesimo Ecclesia in Urbe a S. Cæcilia dicta, & unius Presbyteri Titulus, stabat, quam collapsam cum Paschalis Papa reparare cœpisset, maxima sollicitudine de inveniendo S. Cæciliæ corpore tenebatur, quod crederetur a Longobardis ablatum cum pluribus aliis, quæ olim sub Rege Aistulpho anno septingentesimo quinquagesimo quinto urbem obsidentes ex Cæmeteriis Romanorum furati fuerant. Ecce autem, quadam die Dominica Paschali Papæ in Basilica S. Petri de more vigilias celebranti & forte somno depresso apparuit S. Cæcilia, atque edocuit, a Longobardis corpus suum inveniri non potuisse, sed futurum, ut Pontifex illud inveniret. Nec fefellit Paschalem hæc visio; nam Corpus Virginis invenit in Cæmeterio Prætextati via Appia aureis indutum vestimentis, pariterque linteamina Sanctæ Martyris cruore imbuta. Simul Valerianus Virginis Sponsus inventus, & utriusque Reliquias Papa Romam in Ecclesiam S. Cæciliæ unacum corporibus Tiburtii, Maximi Martyrum, itemque Urbani & Lucii Pontificum transferri jussit.

Sup. Lib. XLIII. §. 16

De

Sæculum IX. A. C. 821.

De his Sanctis omnibus, si Lucium excipias, occurrit mentio in Actis S. Cæciliæ, quæ licet hac Translatione antiquiora videantur, recentiora tamen sunt, quam ut fidem plene mereantur. Inde nec tempus, nec locum, quo illustrissima Virgo Martyrium passa est, accurate scimus. Paschalis Papa in honorem Sanctorum istorum prope Ecclesiam S. Cæciliæ fundavit Monasterium, in quo Monachi Officium Divinum diu noctuque celebrarent. Hanc Ecclesiam munifice ornavit conferens vasa argentea plusquam nongentarum librarum: Præter alia Ciborium seu Tabernaculum quingentarum librarum, magnam vim velamentorum, & pretiosorum textilium, quorum aliquod Angelum S. Cæciliæ, Valeriano, & Tiburtio coronas imponentem exhibebat. Unde videmus, quod illa tempestate Actis memoratis fides habita sit.

ap. Sur. 22. Nov.

Tillemont. to. 3. p. 260. & 689.

§. XLII.

S. Benedicti Anianensis obitus.

In Francia S. Benedictus Anianensis eodem anno octingentesimo vigesimo primo e vita migravit, postquam Fratres Monasterii sui Indensis prope Aquisgranum ad eum perfectionis Regularis gradum perduxissent, ut Monachi ex diversis mundi partibus illuc advenientes non

vit. n. 50. 52. to. 5. Act. B. p. 211.

Sæculum IX. A.C. 821.

verbis, sed ipso exemplo & factis ad pietatem Monasticam informarentur; quippe Monachorum illorum habitus, incessus, modestia hospitibus pro salutari doctrina erat, nec quidquam de iis omnibus, quæ in Conventu Abbatum anno octingentesimo decimo septimo placuerant, negligebatur. Præterea Benedictus in Monachorum subsidium omnium Regularum Monasticarum collectionem edidit, quæ nota est sub nomine Codicis Regularum, & dividitur in tres Tomos, quorum primus Regulas Monachorum Orientis, secundus Monachorum Occidentis, & tertius Sanctimonialium complectitur. Scripsit etiam Regularum concordiam, in qua omnes ad Capita Regulæ S. Benedicti per modum Commentarii referuntur.

c. 56. Quamvis Benedictus multis atteretur infirmitatibus, nihilo tamen minus orationi & lectioni insistebat, semper genæ lacrymis madebant. Quatriduo antequam moreretur in Palatio erat Imperatoris, quem suis consiliis de more adjuvabat. Ubi febre se correptum sensit, ad domum, quam Aquisgrani habebat, se recepit. Tum vero tanta Episcoporum, Abbatum, ac Monachorum adfuit frequentia, ut Monachi ejus familiares ad præstanda obsequia accedere non possent. Primus omnium venit Helisachar

lisachar Abbas, qui ei usque ad supremum halitum assidue adhæsit. Sub noctem misit Imperator quemquam sibi a cubiculis cum mandato, ut Benedictus ad suum Monasterium deduceretur. Ubi illuc pervenit Benedictus omnes exire præcepit, & horis tribus solus permansit. Post hæc admissus Helisachar cum Præposito Monasterii percontatus est ut se haberet? ille nunquam se melius habuisse respondit, seque inter Choros Sanctorum coram Domino adstitisse. Altera die vocatis Fratribus monita salutaria dedit, inter alia confessus, se ab annis quadraginta octo, ex quo Monachus fuisset, nulla unquam die, nisi præmissis coram Deo lacrymis, cibum sumsisse. Ipsa die Imperatori & aliis quibusdam scripsit nempe Georgio Abbati Anianensi, & Nebridio Archiepiscopo Narbonensi. Imperatori monita dedit, ab aliis postulavit pro se orari. Tandem Spiritum emisit, annos natus septuaginta, undecima Februarii anno 821. Indictione decima quarta. Vitam ipsius scripsit Ardon Smaragdus ejusdem Discipulus. Anno sequente cum Tructesindus Abbas Anianensis electus fuisset, Ludovicus Imperator electionem confirmavit datis litteris, in quibus hortatur Monachos, ut Disciplinam a Benedicto invectam servarent, & suum iis promittit præsidium.

Sæculum IX. A. C. 821.

To.1.capit. p.623. Mabill.to.5.Act. B.p.192.

Sæculum IX.
A. C. 821.

§. XLIII.

Michael Exules revocat.

vit. S. Theo. Stud. n. 102.

In Oriente novus Imperator Michael relegatos ab exilio revocavit; quamvis enim ipse Imagines non adoraret, quemlibet tamen, quod lubebat, credere patiebatur, ut neminem sibi haberet offensum. Tunc igitur S. Nicetas Abbas Medicionensis egressus e carcere in suburbium Civitatis Constantinopolitanæ venit, ubi exactis annis tribus mortem oppetiit die Dominica, tertia Aprilis, anno octingentesimo vigesimo quarto, & ad suum Monasterium delatus est. Ipsa obitus die Ecclesia ejus memoriam colit. S. Theophanis quoque corpus in suum Monasterium Singrianense revectum est. Eodem tempore S. Theodorus Studita cum aliis e carcere liberatus, postquam annis septem integris ab anno 815. usque ad annum 821. captivus fuisset, ad Michaelem Imperatorem dedit Epistolam, in qua gratias agit. In ea Catholicum esse præsumit, hortaturque, ut ad reducendam Ecclesiæ pacem animum adjiciat. *Uniamur*, inquit, *vertici Ecclesiarum Romæ*, (*) *& per eam*

(*) His verbis sensum S. Theodori Studitæ ex Græco latinum reddit R. P. Sirmondus S. J. Profe-

eam tribus Patriarchis. In itinere Constantinopolim ubique magnæ reverentiæ signis excipitur, familiis & totis Congregationibus obviam procedentibus. Quisque felicem sortem sibi obtingere profitebatur, si ad se diverteret. Vitæ ipsius Scriptor aliqua [illegible] hac profectione ab eo edita miracula narrat. Sæculum IX. A. C. 821.

S. Theodorus Calcedonem perveniens invisit ad Nicephorum Patriarcham in suo Monasterio degentem, quia Constantinopoli esse non poterat, Adversario ipsius Sedem occupante. Is erat Theodorus *Cassitera* qui eodem anno 821. vitam finiit, postquam Patriarchæ Nomen annis sex gessisset. Successorem habuit Antonium Metropolitam Silæum, Iconoclastam fama notissimum, qui Sedem annis sexdecim tenuit. Inter ceteros qui ad salutandum Theodorum Abbatem venerant, adfuit Anachoreta, nomine Petrus, tractaturus cum Patre de siniſtra fama, quam sibi conflabant æmuli ejus vitam & acta reprehendentes. Abbas Theodorus cognoscens, *n.* 103. 104. *n.* 116. *Sup. n.* 15. *n.* 117.

Profecto illustrissimum ab Oriente contra Protestantes æque ac ipsos Græcos testimonium! nempe Roma, id est S. Petri Cathedra, illud vinculum est, a JEsu Christo ordinatum, sine quo Communio Ecclesiastica demonstrari non potest. In Schismate autem nulla salus.

Sæculum IX. A. C. 821.

Petrum Divinæ gratiæ ope virtutem consecutum esse excellentem, *Novum hoc*, inquit, *ac penitus intactum vitæ genus paululum remitte; pane quo ceteri vescuntur, utere, & vino interdum cibisque aliis quantum libet; ut his vesci videare, fastumque ex inedia cibique abstinentia devites, nullaque in re carpi possis. Cessa nudis pedibus ingredi, quia id necessarium non est, sed per hyemem a frigore illæsum te serva.* Quæ cum ille in hunc modum suasisset, ejus vicissim accusatores verbis admonuit, ne tantum virum temere proscinderent, sed potius virtutem revererentur.

n. 118.

S. Theodorus Studita.

Cum autem una cum selectis Episcopis & Nicephoro Patriarcha convenisset Theodorus, omnes inter se consilium inierunt adeundi Imperatorem, eique preces offerendi, ut & ipsi propriis Ecclesias reciperent, & qui eas occuparant, hæretici pellerentur. Michael Imperator præcepit, ut parti adversæ colloquerentur. Porro hoc audito Catholici omnium Episcoporum & Abbatum nomine Libellum ei in responsum tradiderunt, ut creditur, a Theodoro compositum. In eo dicunt: *Quod si humanum quidpiam esset, de quo sermo est, & quod in potestate Patriarchæ vel nostra situm, totum nos concedere oporteret. Cum autem de Deo agatur, cui*

II. ep. 86.

serviunt

ſerviunt omnia, non modo hic aut ille, ſed neque ſi Petrus vel Paulus, neque ſi Angelorum quiſpiam foret, mutare aliquid, licet minimum, audeat; nam ea ratione univerſum everteretur Evangelium. Jam vero ſermonem refellendi cauſa cum Heterodoxis conferre minime convenit. Quod ſi quid eſt ejusmodi, de quo ambigas, (*) id Patriarcha pie diſſolvere poterit. Jube recipi declarationem Veteris Romæ, prout olim & ab initio (**) paterna traditione transmiſſus mos fuit. Hæc enim ſuprema eſt Eccleſiarum Dei, in qua S. Petrus Sedem primus tenuit. Hæc Declaratio non erat alia quam Epiſtola Papæ Dogmatica, quam Methodius Monachus Nicephori Patriarchæ Romæ Apocri-

Sæculum IX. A. C. 821.

vit. Method. c. 1. n. 5. Boll. 14. Jun.

(*) In Verſione R. P. Sirmondi lego: *De quo ambigat aut diffidat divina ✝ Magnificentia veſtra.* Mirum! quod Græci hac voce principem compellent. † θείᾳ

(*) Quid ad ejusmodi Teſtimonia Proteſtans reſpondeat? Certe Theodorus Studita ab univerſa Eccleſia Vir orthodoxus habebatur. Nec minus certum eſt ex his ipſius verbis, quod fuerit Papiſta. Ubi ergo, mi Proteſtans, illa tempeſtate tua erat Antipapiſtica Eccleſia? Sed ſi Caveum Anglum audimus; Theodorus Studites fuit homo Iconomaniæ perditiſſime addictus, ſuperbus, bipedum procaciſſimus. Optima refutatio!

Sæculum IX. A. C. 821.

pocrisiarius noviſſime attulerat. Is enim comperta Leonis Armeni nece, & Exulum libertate, Conſtantinopolim rediit ſperans, Michaelem Imperatorem ad Fidem Catholicam reduci poſſe, & Nicephorum in Sedem ſuam reſtitui. Michael Imperator accepta Papæ Epiſtola nihil reſpondit.

Il. ep. 199.

Ad idem tempus, quo Imperator colloquium inter Catholicos & Heterodoxos ſuadebat, referenda videtur prolixa Epiſtola Theodori, nomine Catholicorum diſperſorum ſcripta, & ad Imperatores Michaelem & Filium ejus Theophilum directa, in qua Doctrinam de imaginibus, ſine dubio ut Imperatorem edoceret, ampliſſime explicat.

vit. Theod. n. 118.

Catholici in conſpectum Imperatoris admiſſi expoſuerunt, ſe ab Anteceſſore ipſius vim fuiſſe paſſos, ſedibus ſuis expulſos; ſacras imagines vero profanatas. Ille ad prolixam Patrum orationem reſpondit: *Tametſi*, inquit, *egregia & honeſta ſunt, quæ dixiſtis, mihi nequaquam ſunt amplectenda, qui hactenus imaginem nullam colui. Quocirca æquum eſt, me eum manere, qui fui, & vos pariter opiniones veſtras ſequi, per me enim licebit; ſed imagines in Regia urbe a vobis erigi prorſus nolo.* Ex hoc reſponſo Epiſcopi & Abbates cognoſcentes, quod ſurdo fabulam canerent,

rent, & intelligere non valenti, ſtatim Conſtantinopoli exceſſerunt. Cum Nicephorus Patriarcha quoque Michaeli Imperatori ſcripſiſſet, idem ille reſpondit, & pollicitus eſt, ſe eum in Sedem ſuam reducturum, ſi promitteret, Concilium Taraſii rejicere æque ac illud ſub Conſtantino celebratum, eaque omnia quæ pro vel contra imagines acta fuiſſent. At S. Patriarcha exilium prætulit. Sæculum IX. A. C. 821. *v. S. Niceph. c. 13. n. 83.*

§. XLIV.

Michaelis Imperatoris mores.

Michael natus erat Amorii in Phrygia ſuperiore, in qua Provincia nunquam non nidulabantur plurimi Judæi & Athingani, quoddam genus Hæreticorum, qui iidem eſſe dicuntur ac veteres Melchiſedeciani, & quorum poſteri vagabundi noſtri Cingari feruntur. Vidimus tamen nomen Athinganorum etiam Paulicianis ſeu Manichæis Armeniæ datum fuiſſe. Ex his duabus Sectis, nempe Judæorum & Athinganorum conflata eſt tertia, cujus errores Michael Majorum ſuorum traditione acceperat. Illius Religionis homines Baptiſmum recipiebant, & Circumciſionem rejiciebant; cetera totam Legem Moſaicam ſervabant. Quilibet enim domi ſuæ Judaicæ Gentis virum vel mulierem habebat, *Script. poſt. Theoph. p. 27 n. 3. Sup. L. IV. n. 34. Cang. Gloſſ. Gr. Goar. ad Theoph. p. 413.* *Sup. Lib. XLV. §. 54.*

Sæculum IX. A. C. 821.

bebat, quæ simul rebus domesticis & Ecclesiasticis præerat. Ergo Michael in turpi Secta enutritus vir rudis & rusticus rei Litterariæ & Logicæ studium contemnebat. Cum ipse vix litteras cognosceret, pueros nec in libris veterum Græcorum nec Christianorum erudiri permittebat.

Michael Imperator, etiam postquam Solium Cæsarum conscendisset, videri cupiebat in nulla arte magis excellere, quam ut scitissime internosceret mulos; an ad equitandum, vel ad clitellas aptiores essent, ut primo obtutu equos cursui vel pugnæ natos, juvencas fœcundiores & lactis abundantiores discerneret, & cuique matri suum fœtum reddere noviſſet. Quod ad Religionem spectat; futuram Resurrectionem non credebat, dicebatque, nullum dari Diabolum, cum Moyses nullibi de eo feciſſet mentionem, fornicationem esse rem licitam, Pascha congruo tempore non celebrari, & in Sabbato, quamvis id mori Græcorum adversaretur, esse jejunandum. Prophetas proscindebat, Judam affirmabat esse salvatum, & nullum aliud juramentum quam per Summum Deum recipiebat.

§. XLV.

Sæculum IX.
A. C. 821.

§. XLV.

Michael Catholicos perſequitur.

Quamquam vero Imperator initio animum ſimulaſſet non uni magis parti quam alteri faventem, brevi tamen poſtea odium prodidit in Catholicos præſertim in Monachos, quos ſpernebat, & exquiſitis torquebat ſuppliciis. Methodium Roma reducem, ut diximus, & Fidem Catholicam Conſtantinopoli libere docentem Imperator accuſat, quod turbas crearet & ſcandalum, jubetque ſeptingentis verberibus caſtigari. Nihil propius fuit, quam ut ſub percutientium manibus expiraret. Ita languidum primo in carcerem mittit, & deinde in Inſulam S. Andreæ prope Acridam relegat; ubi ſolus cum homine agreſti, ſeditionis reo in ſepulchro anguſto & tenebroſo includitur. Iconoclaſtis autem ſæpe ſuggerentibus, eum confeſtim ex horrendo carcere dimittendum, ſi JEſu Chriſti imaginem proculcare vellet, virili conſtantia ſemper reſpondit, malle ſe mortem ſubire, quam ejusmodi cogitationi locum dare. Itaque toto quo Michael imperavit tempore ibi captivus permanſit.

Poſt. Theop. p. 31. vit. Meth. c. 1. ap. Boll. 14. Jun. to. 21. p. 963.

Euthymius quoque Epiſcopus Sardenſis jubente Michaele Conſtantinopoli pulſus, quod Cultum Imaginum damnare

Sæculum IX. A. C. 821.

mnare nollet. Porro eodem Michaele mandante filius ipsius Theophilus eundem Sanctum Episcopum tamdiu bubulis cædi jussit, donec animam efflasset. Theodorum & Theophanem Jerosolymitanum, postquam cum ceteris exulibus a Michaele revocatis Constantinopolim rediissent, multos Iconoclastas atque etiam viros in Dignitate constitutos suis sermonibus & scriptis ad veram fidem convertentes æquo animo non tulit Joannes Leconomanta, qui in carcerem detrudi jussos adiit, & cum iis de Doctrina Catholica disputare cœpit; at cum facile victus recessisset, apud Imperatorem effecit, ut Constantinopoli pellerentur. Inter hæc Theodorus Studita responso accepto a Thoma Jerosolymitano Patriarcha rescripsit, & gratias egit. Præterea queritur in illa Epistola, aliquos non rescripsisse, & hoc solatio Catholicos privasse. His verbis Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum perstringere videtur. Ex iis vero, quæ subjungit Theodorus, videmus, ipsum hanc Epistolam scripsisse, priusquam Imperator bellum imaginibus aperte dixisset. Nam, *hyems transiit*, inquit, *sed ver necdum advenit.* Vult dicere, Ecclesiam necdum pace frui, quamvis cessaverit persecutio. *Inde factum*, inquit, *quod post acceptas Epistolas vestras*

Sup. n. 33. *vit.* 26. *Dec. c.* 9.

II. ep. 121.

ſtras eleemoſynæ admodum modicæ collectæ ſint. Non enim nobis fuit colligendi facultas in diverſis locis commorantibus, & procul ab urbe Conſtantinopolitana poſitis. Sed nec modo omnia, ut voluiſſemus, collecta, niſi ea, quæ ex adjuncto indice cognoſcetis. Illi autem, qui de ſuis largiti ſunt aliqua, ipſi beneficium accepiſſe putant, dum ipſis honor obtigit cum Sanctis locis communicandi.

Sæculum IX. A. C. 821.

Leone Armeno e vivis ſublato plures præterea Theodorus ſcripſit Epiſtolas, in quibus Regulas tradit, qua ratione in illa perſecutione lapſi recipiendi ſint. Dicit, Epiſcopi, qui poſt lapſum non abdicat Epiſcopatum, non eſſe ſinceram pœnitentiam. Item illum vere communicare cum Hæreticis, qui ſtipendium ab ipſis acciperet. Illud vero arbitratur, Epiſcopum poſt pœnitentiam peractam reſtitutum poſſe ad menſam Benedictionem pronunciare.

II. ep. 119.

II. ep. 139.

§. XLVI.

Ludovici Imperatoris pœnitentia.

In Occidente Ludovicus Imperator jam anno octingenteſimo vigeſimo primo in Comitiis Theodonis Villæ conjurationis Bernardi Regis Italiæ conſcios ab exilio revocaverat. Omnibus in conſpectum admiſſis veniam ſe dare dixit, & Bona

Sup. n. 35. *Eginh. n.* 821

Sæculum IX. A.C. 822.

Bona adempta reddidit. Theodulfus Episcopus Aurelianensis cum ceteris reis in exilium ejectus, quamvis semper insontem se damnari affirmaverit, ad Ecclesiam suam dimittitur, & in itinere a morte occupatur. Præter ejus Capitulare & Tractatum de Baptismo habemus ab ipso plura carmina in sex libros collecta, ceteris cunctis illius ævi meliora. Natus autem erat Theodulfus ultra Alpes. Inter alia celeberrimus est Hymnus, cujus initium: *Gloria laus & honor &c.* quem in laudem Civitatis Andegavensis (hic enim ipsi erat locus exilii) concinnavit. Ejusdem Hymni initium hodieque, cum in supplicatione Dominica Palmarum procedimus, cantatur. Theodulfo in Sede Aurelianensi Jonas successit. Eodem tempore Ludovicus Imperator Adalhardum & fratres ejus Valam & Bernarium ab exilio revocavit, atque Adalhardum, cujus desiderio ingenti Monachi tenebantur, compulit ad Regimen denuo capessendum Abbatiæ suæ Corbejensis. Verum haud diu post ad Regiam eundem revocavit.

Astron. eod.

Sirm. not. ad Sup. Lib. XLIV. §. 23. L. XLVI. §. 1.

Egin. ibid. Sup. n. 10.

Anno sequente octingentesimo vigesimo secundo Ludovicus Comitia Attiniaci celebrans, ex Episcoporum & Procerum consilio tribus fratribus suis junioribus Hugoni, Drogoni, & Theodorico, quos

quos invitos tonsurari jusserat, reconciliatus est. Publice confessus est hoc factum, illudque, quod nimio rigore in Nepotem suum Bernardum Regem Italiæ, Adalhardum Abbatem & Valam fratrem ejus usus fuisset; egit pœnitentiam publicam, exemplum Theodosii Imperatoris imitari cupiens. Omnia vel a se vel a parente suo contra æquitatem facta emendare studuit; in quem finem largissime eleemosynas distribuit, multas preces a viris Deo consecratis fundi jussit, ut Cælum sibi omnino propitium haberet. Sæculum IX. A.C. 822. *Sup. Lib. XIX. §. 21.*

In illo Conventu cum Ludovicus Imperator edixisset, teneri se magno desiderio omnes abusus, qui Episcoporum & Optimatum negligentia invaluissent, abolendi, viri præcipui voluntatem Principis summis laudibus extulerunt, & Abbas Adalhardus ob ætatem provectam venerabilis dixit, non meminisse se, a temporibus Pipini Regis unquam dignius de utilitate communi fuisse tractatum, si modo ea, quæ statuerentur, Subditorum obedientia ad effectum deduceret. Agobardus tunc Sedem Archiepiscopalem Lugdunensem tenebat; nam successerat Leidrado, qui sub initium Regni Ludovici Imperatoris in quoddam Monasterium Civitatis Suessionensis se receperat. Agobardus antea fuerat Chorepisco- *Agob. de disp. c. 2.* *Ado Chr.*

Sæculum IX. A. C. 822.

episcopus Ecclesiæ Lugdunensis, atque consentiente Imperatore & omnibus Galliarum Episcopis ordinatus est ejusdem Ecclesiæ Episcopus. Hic itaque in Conventu Attiniacensi præsens, & coram Imperatore contra Laicos Bona Ecclesiarum invadentes strenue perorans dicebat; illos in ipsum Deum peccare, qui Canones violarent, & perperam excogitari novas necessitatis causas, quas utique prævidisset Deus, quando Ecclesiæ suæ inspiravit, statuendas esse has Regulas æternum servandas.

§. XLVII.

Electio Episcoporum.

Satis exploratum est, in his Comitiis Attiniacensibus editum fuisse Capitulare, nec a vero abludit, illud ipsum esse, quod complectens articulos viginti novem plerumque ad annum octingentesimum decimum sextum refertur. Articuli secundi tenor est: *Quoniam Sacros Canones non ignoramus, & volumus Ecclesiam sua libertate gaudere, concedimus, ut Episcopus, qui tantum honorem mereatur, & idoneus ad onus ferendum sit, a Clericis & populo, ex illa ipsa Diœcesi, gratis, & sine acceptione personarum eligatur.*

Capit. l. 1. c. 83. Capit. Baluz. to. 1 p. 563. to. 7. Conc. p. 147. v. Coint. an. 822. n. 12. &c.

In aliquibus hujus Historiæ locis vidimus, quantum Electiones Episcoporum

rum a potestate Sæculari turbatæ fuerint, ex quo Franci aliique Barbari dominari cœperunt. Primus vero omnium Ludovicus Imperator edito hoc Decreto pleniſſimam libertatem Eccleſiæ reddidit. Ad eadem tempora refertur Tractatus exiguus de Electione Epiſcoporum a Floro Eccleſiæ Lugdunenſis Diacono ſcriptus. *Secundum Canones*, inquit ille, *& Traditionem Apoſtolicam, Sede vacante, aliquis ex Clericis ejusdem Eccleſiæ unanimi Clericorum & populi conſenſu eligendus eſt. Is in Decreto authentico nominatur, & ab Epiſcopis numero legitimo præſentibus conſecratur, quæ Ordinatio tanquam Divinum Judicium, ut edixit S. Cyprianus, habetur.* Conſtat, Epiſcopos in tota Eccleſia hoc modo fuiſſe ordinatos per annos prope quadringentos, Principum Sæcularium conſenſu nullatenus requiſito. Poſtquam vero Principes Chriſtianam Religionem ſuſceperunt, etiam ſcimus, Ordinationes Epiſcoporum fuiſſe plerumque liberas; cum enim unicus fuit Imperator, res erat impoſſibilis, ut omnium Epiſcoporum in vaſtiſſimis regionibus Aſiæ, Europæ & Africæ, ordinandorum cognitionem caperet.

Sæculum IX. A. C. 822.

Sirm. Præf. to 8. Conc. p. 1860.

Poſt. Agob. to. 2. p. 254.

Quod ſpectat ad conſuetudinem poſterioribus temporibus in quibusdam Re-

Sæculum IX. A.C. 822.

gnis natam consulendi voluntatem Principum, antequam ordinentur Episcopi, id expedit ad quietem & pacem inter Potestatem Sæcularem & Spiritualem conservandam; sed non est conditio necessaria ad legitimam ordinationem, quæ non est pars potestatis Regiæ, quia a Dei mandato & Ecclesiæ consensu proficiscitur. Episcopatus non hominum sed Spiritus Sancti Donum est. Inde graviter peccat Princeps, si suum beneficium putat, quod sola Divina Gratia confert. Florus deinde Ordinationem S. Martini & S. Eucherii Lugdunensis in exemplum & dictorum suorum testimonium affert.

§. XLVIII.

Alia Statuta.

c. 34. Imperator in eodem Capitulari confirmat Regulas Canonicorum & Monachorum Aquisgrani conditas. Tum plures abusus in Disciplina Ecclesiastica emendat.

c. 6. Servi non ordinentur nisi prius a Dominis suis manumissi. Qui subreptitie fuerint ordinati, deponantur. Servi Ecclesiæ publice in cornu Altaris manumittantur, priusquam ordinentur, si tanto honore digni habeantur.

c. 16. Episcopi Longobardiæ non exigant juramentum, nec dona ab illis, quos ordinant; uti facere

cere solebant. Inde dispicimus, istud Capitulare non nisi post fata Bernardi editum fuisse, cum prius Imperatori Ludovico in Longobardiam Jurisdictio non fuerit. (*) Per Crucis examen in veritatem alicujus facti non inquiratur. Alibi dixi, quid rei istud examen fuerit. Nempe ambæ partes adversæ tamdiu coram Cruce stantes perseverabant, donec qui prior in terram procumberet, etiam causa caderet.

Sæculum IX. A. C. 822.

c. 27.

De his agit Agobardus in Dissertatione sua contra sortem, quam appellabant Dei Judicium, id est, experimentum ignis & aquæ, & duella legibus Burgundiorum tolerata.

c. 1. to. 1. p. 391.

Ostendit, Deum vere tentari, quando hujusmodi superstitiones ad indagandam veritatem adhibentur, & affert plurimos Textus selectos hac super re tam ex novo quam ex veteri Testamento. Præcipue autem contra Duelli malitiam in hoc Scripto pugnat.

Hincm. de divort. tó. 1. p. 574.

In eodem Concilio Attiniacensi Ludovicus querelas cujusdam fœminæ nobilis,

(*) Nempe de Electione Episcoporum in Longobardia Ludovico pio cura non erat. Jurisdictionem vero supremam etiam in Longobardiam a Carolo Magno parente suo accepit, & exercuit, cum hunc ipsum Bernardum rebellem punivit.

Sæculum IX. A. C. 822.

bilis, nomine Northildis, contra Agembertum maritum ſuum totius Conventus arbitrio reliquiſſe creditur, & Epiſcopos idem judicium remiſiſſe ad viros Laicos uxores habentes, illarum rerum & legum ſæcularium ſe magis gnaros, juſſiſſe etiam, ut mulier eorum Sententiæ ſe ſubmitteret; porro ſi rea eſſet, & pœnitentiam peteret, eam Epiſcopi ſecundum Canones eidem injungerent. Optimatibus Laicis maximopere placuit hæc diſcretio Epiſcoporum, qui ipſis poteſtatem de cauſis uxorum ſuarum decernendi, non ſubtrahebant, & Jurisdictionem Sæcularem non invadebant.

Aſtron. an. 817.

Brevi poſt tempore apparuit, Ludovici Imperatoris curam de reformandis Clericorum moribus non omni fructu caruiſſe, cum Epiſcopi & Clerici baltea auro fulgentia, e quibus pugiones gemmis diſtincti pendebant, calcaria & veſtimenta pretioſa, quibus Laicorum luxum imitabantur, abjecerunt.

Canones Concilii Attiniacenſis.

Cap. to. 1. p. 626. to. 7. Conc. p. 1519

Haud multo elapſo tempore a Comitiis Attiniacenſibus Ludovicus Imperator, agens Tribure prope Moguntiam confirmavit quinque Articulos ab Epiſcopis anno ſuperiore in Concilio Theodonis Villæ pro ſecuritate Virorum Eccleſiaſticorum editos. Huic Concilio Theodonis villæ celebrato anno octingenteſimo vigeſimo primo interfuere Epiſcopi

piscopi triginta duo, ex quibus quatuor Dignitate Metropolitica eminebant, nimirum Aistulfus Moguntinus, Hildebaldus Colonienſis, Hetto Trevirenſis, & Ebbo Rhemenſis. Reliqui Galliæ & Germaniæ Episcopi Legatos miſerant. Anſam ad condendos illos Canones præbuit cædes Episcopi cujusdam nomine Joannis in Vaſconia ſævitia turpiſſima & inaudita interfecti. Ergo in illis Articulis decernitur: Si quis Subdiaconum vulneraverit, quinque Quadrageſimas pœniteat, trecentos ſolidos Episcopo pendat, præter pecuniam ex Lege vulnerato pactam. Si Subdiaconus ex vulnere mortuus fuerit, percuſſor quinque annos integros pœniteat, ſolidos quadringentos, & pactam pecuniam in triplum ſolvat. Solidi illius temporis quadraginta ſolidis noſtris, id eſt, duabus libris, ut uſus fert, æquivalebant. Servata proportione injuriæ Diaconis aut Presbyteris illatæ puniuntur, & interfector duodecim annis pœnitentiæ atque nongentis ſolidis mulctæ nomine damnatur. Ille vero, qui Episcopo inſidiatus eundem occiderit, carnem non comedat, vinum non bibat cunctis diebus vitæ ſuæ, cingulum militare deponat, absque ſpe conjugii in perpetuum maneat. Hujus Decreti Confirmationem ab Imperatore & Proceribus pete-

Sæculum IX. A.C. 822.

c. 1.

Le Blanc. mon. p. 96.

c. 3.

Sæculum IX. A. C. 822.

bant Episcopi, quia homicidas ad solvendas mulctas pecuniarias a potestate sæculari compelli oportebat.

Id igitur ipsis anno octingentesimo vigesimo secundo concessum, tuncque iidem Articuli, quantum spectat ad mulctas pecuniarias sine mentione pœnitentiæ Canonicæ, renovati. Et addidit Imperator: *Si quis huic Decreto non obediat, non tantum Sententiæ Canonicæ subjaceat, sed etiam Beneficium* (id est Feudum) *in Regno nostro tenere non possit, & ejus Allodialia* (id est Bona propria) *Fisco nostro addicantur. In carcere detineatur, usque dum Ecclesiæ præceptis satisfecerit.* Proceribus hoc Decretum approbantibus, & subscribentibus, Ecclesiastici Hymno *Te Deum Laudamus &c.* decantato Deo Gratias egerunt.

§. XLIX.

Rabani initia.

Mabill. Act. to. 6. p. 20.

Sancto Eigilo Abbate Fuldensi fatis functo successit Rabanus, natus Moguntiæ anno circiter septingentesimo septuagesimo sexto, a prima ætate Monasterii Fuldensis Alumnus. Anno octingentesimo primo Diaconus ordinatur, & anno sequente ab Abbate suo cum alio Monacho, nomine Hattone, Turonem mittitur, ut liberalibus Disciplinis & S. Scri-

Scripturæ scientia imbueretur Præcepto- Sæculum IX.
re Alcuino, qui Rabanum cognomento A.C. 822.
Maurum appellavit pro more virorum eruditorum illius ætatis, nomini suo barbaro nomen latinum conjungentium. Rabanus Turone redux præfuit Scholæ Fuldensi illo ævo celebratissimæ. Bibliothecam locupletem habebat Schola illa, ex qua Doctores celebres in totum orbem Christianum prodierunt; nam inter Rabani Discipulos memoratu digniores sunt Walafridus Strabus, postea Abbas Augiæ divitis, Lupus, postea Abbas Ferrariensis, Rudolphus, qui Magistri sui vitam scripsit, Odfridus Presbyter & Monachus Weissenburgensis prope Spiram, qui Evangelia in Linguam Teutonicam transtulit. Rabanus Presbyter ordinatus anno octingentesimo decimo quarto factus est particeps persecutionis, quam Monachi Fuldenses sub aspero Abbate Ratgaro passi sunt, quippe ille, quod erat Rabano carissimum, nempe libros, subtraxit & commentarios ab ipso conscriptos ad juvandam memoriam & ea quæ a Magistris audierat, facilius retinenda. Inter illas turbas pro- *Sup. n. 33.*
fectionem ad Terram Sanctam suscepisse creditur. Pace sub Abbate Eigilo redeunte, Rabanus iterum munus docendi subiit. Tum Eigilo defuncto Abbas Fuldensis eligitur, quod Monasterium

Sæculum IX. A.C 822.

annos viginti rexit. Tunc illa Congregatio centum quinquaginta Monachos numerabat, nec alio unquam tempore magis floruit. Rabanus maxima solicitudine Regularem Disciplinam custodivit, plures ædificavit Ecclesias, & magnam Reliquiarum vim Roma afferri curavit, quod tanti momenti res visa est, ut Rudolphus nihil ferme aliud in ejus vita enarret. Rabanum Reges & Imperatores maximi æstimarunt, unde factum, quod rem œconomicam Monasterii plurimum auxerit. Tandem litterarum studia egregie coluit, & Abbas electus aliis quidem, uti Candido Monacho, provinciam docendi artes liberales injunxit, at munus explicandi Sacram Scripturam sibi reservavit.

§. L.

Corbeja nova fundatur.

Corbeja nova quoque illo circiter tempore in Saxonia fundata multorum magnorum Virorum & Sanctorum Episcoporum Seminarium fuit. Caroli Magni perspicacitatem non effugerat, ad Religionem Christianam in illa provincia bello subacta stabiliendam necessario fundanda esse Monasteria, atque eo consilio multos de Gente Saxonum adolescentes in plures Abbatias Franciæ miserat sub Disciplina Regulari educandos, præser-

præsertim Corbejam sub Abbate Adalhardo, qui originem e Saxonia, forte per matrem suam, ducebat. Is non ignarus, quid optaret Rex, cui a consiliis erat, Saxones suæ curæ commissos interrogavit, an in illorum patria inveniri posset locus, exstruendo Monasterio aptus. Aliquis eorum, nomine Theodrudus, respondet, scire se hujusmodi locum in prœdio patris sui, & confestim illuc mittitur, ut exploraret, num in hanc rem ipsius parentes consentirent. Inde reversus retulit, id ipsum eis in votis esse. Volvebatur annus octingentesimus decimus tertius Carolo Magno in vivis agente. Ipso defuncto, & Adalhardo seniore in Monasterium Nigrum, vulgo *Noirmoutiers*, relegato, Adalhardus junior tunc Abbas Corbejensis, communicato cum Wala, qui illo se receperat, consilio, rursus ad fundandum in Saxonia Monasterium mentem adjecit, tota sua Congregatione consentiente. Visum est Abbati, exposcendum esse consensum Ludovici Imperatoris, quem cum Paderbornæ anno octingentesimo decimo quinto Comitia celebrantem ea ex causa adiisset, ille magna lætitia propositum approbavit. Tum etiam consensus Hatumari Episcopi Paderbornensis, in cujus Diœcesi locus ædificandi Monasterii situs erat, expetitus.

Sæculum IX. A. C. 822.

Transl. S. Vit. n. 5. to. 5. Act. p. 259. Mabil. to. 5. p. 306. n. 2.

Sup. n. 10.

Sæculum IX. A. C. 822.

Ergo manum operi admovent, & ser annis tenuit labor. Cum autem tam sterilis esset locus, ut Fratribus nec annona nec vestimenta suppeterent, omni Adalhardus Abbas ex Corbeja vetere eis transmittere cogebatur. Crescebat tamen in dies illa familia, ex nobilissimi Saxonum stirpibus nati illuc confluebant pueri magnæ spei ibi alebantur, omnes illi domui favebant.

Corbeja Nova.

Interim Adalhardus Senior Corbeja restitutus, comperto, quam pauper esset novellum Monasterium, promptissime pecunias mittit & mandata, ubicunque possent, alimenta & pecora coemendi. Impetrata deinde ab Imperatore licentia quærendi alium locum, ipsemet cum Fratre suo Wala Saxoniam petiit. Wala olim imperante Carolo Magno illius Provinciæ Rector, exercitibus præfuerat, & multis Beneficiis Saxonum animos sibi devinxerat. Itaque conspicientes eum habitu Monachali incedentem vix satis oculis suis credebant, ipsum Walam esse, carissimum antea Ducem. Confertim circumstant lætitia, amore & admiratione stupentes; nec Adalhardo Abbati, nec sociis ejus aures dare vacabat. Monachi vero Adalhardo & Walæ locum ad ripam Visurgis ostenderunt, quo transferre Monasterium ex Consilio Episcoporum & Nobilium illius

Vit. Val. c. 5.

c. 16.

illius Regionis ſtatutum. Illuc ſexta Auguſti anno octingenteſimo vigeſimo ſecundo reverſi, poſtquam circuiviſſent locum, in terram proſtrati Pſalmos convenientes & Litanias decantant. Tum fixis perticis & ductis funiculis primo Eccleſiæ & deinde Cellarum Ichnographiam informant. Epiſcopum deinde rogarunt, ut in loco extruendi Altaris Crucem erigeret, & eum Corbejam nuncuparet. Vigeſima ſexta Septembris tota Congregatio eo migravit, & celebrata eſt Miſſa. Hæc fuere novæ Corbejæ, quæ hodieque ſub nomine Corwey floret, exordia. Ludovicus Imperator S. Stephani Reliquias, ex Oratorio ſuo depromptas novæ Eccleſiæ contulit, unde illius Sancti nomen traxit. Vetus autem Corbeja, agros, quos in Saxonia poſſidebat, novellæ Congregationi donavit. Exſtat adhuc hodie Diploma Ludovici Imperatoris hanc Fundationem confirmantis vigeſima ſeptima Julii, Regni ſui anno decimo, Indictione prima, nempe anno octingenteſimo vigeſimo tertio datum. Ceterum Corbeja nova exinde Schola celebris & Seminarium extitit, unde Fidei Prædicatores, non ad Saxones modo ſed etiam alios Septentrionis populos adhucdum infideles mittendi, evocati ſunt.

Sæculum IX. A. C. 822.

Sub

Sæculum IX. A. C. 823.

Sub illud tempus, quo Corbeja fundata, Ebbo Archiepiscopus Rhemensis, consentiente Imperatore, Romam profectus est, petiturus licentiam prædicandi Fidem populis Septentrionalibus, præsertim Danis; hos enim in Aula sæpe viderat, eorumque cœcitas Episcopi zelum excitaverat. Concessit Paschalis Papa, quod postulabat, & pii laboris Socium Halitgarum Episcopum Cameracensem dedit. Itaque Ebbo sæpius in Daniam profectus, magnum convertit, baptizavitque Infidelium numerum; cui Prædicationi favens Imperator Ebboni donavit prœdium, quod tunc Velanao, hodie *Wedel* dicitur, ultra Albim positum, ut in illarum Regionum vicinia receptaculum haberet.

§. L.

Paschalis Papa accusatus.

Eginh. an. 823.

Inter hæc Ludovicus Imperator Lotharium filium primogenitum ad jus dicendum in Italiam miserat, cumque jam ad Patrem redire cogitaret, rogatus a Papa Romam petiit, ubi eum Pontifex in ipsa Paschali celebritate die quinta Aprilis anno octingentesimo vigesimo tertio Imperatorem coronavit. Lothario deinde in Franciam reverso ad Imperatorem Ludovicum defertur, Theodorum Ecclesiæ Romanæ Primicerium, & Leonem

nem Nomenclatorem ipsius generum in Palatio Patriarchali Lateranensi primum oculis orbatos & postea decollatos fuisse, (*) quod Lothario juveni Imperatori fideles permansissent. Non nulli vero Paschalem Papam accusabant, quod ipso Auctore, vel saltem consilium suggerente, patrata esset cædes. Ludovicus ut hanc causam accurate cognosceret, Adalungum Abbatem Monasterii S. Vedasti, & Humfridum Comitem Curiensem Romam mittere parabat; his autem profectionem necdum exorsis, adsunt Paschalis Papæ Legati, Joannes Episcopus Silvæ candidæ, & Benedictus Archidiaconus Romanus, rogantes Imperatorem, ne fidem haberet dicentibus, Pontificem hujus cædis conscium fuisse, & curaret, ne Paschalis Papæ fama hac calumnia amplius læderetur. Nihilominus misit Legatos suos Imperator, quibus, cum Romam pervenissent, non patuit ad cognitionem facti via; nam Paschalis Papa coram Legatis & populo Romano in Basilica Lateranensi præsentibus Episcopis triginta quatuor, item Presbyteris

Sæculum IX. A. C. 823.

Theg. c. 30.

(*) Non est obstupescendi locus, si Romæ ingentia facinora fuerint attentata. Nam Pontificum Principatus sæcularis adhucdum vacillabat, & longa erat via Roma Aquisgranum, unde exspectanda fuit Judicis sententia.

Sæculum IX. A. C. 824.

teris & Diaconis ab interemptorum nece Sacramento se purgavit. Interfectores exhibere noluit, quod ad familiam S. Petri pertinerent, affirmavitque, Theodorum & Leonem suo merito & ex æquo læsæ Majestatis reos fuisse jugulatos. Ut de his Imperator plenius edoceretur, Papa in Franciam remisit eundem Joannem Episcopum, Sergium Bibliothecarium, Quirinum Subdiaconum, & Leonem Militiæ Magistrum, qui cum Imperatoris Legatis ad Regiam remearunt. Ubi eos audivit Ludovicus, non credidit, ulterius in hujus cædis auctores esse inquirendum, utcunque cupiisset, sed indolem suam & mitissimum, quod a Natura acceperat, ingenium secutus acquievit.

Astron. an. 223.

§. LII.

Paschalis Papæ obitus. Eugenius II.

Eginh. an. 824. Anast. in Pasch. v. Papebr. Conat.

Paschalis Papæ Legati Romam reversi graviter ægrotantem habuerunt; nam paucis post diebus migravit ad Cœlum, nempe undecima Maji, anno octingentesimo vigesimo quarto, postquam sedisset annis septem, tribus mensibus & diebus septendecim. Duas celebravit Ordinationes, unam mense Decembri & alteram mense Martio. Multas Ecclesias Romæ & in aliis locis reparavit & ornavit. Hospitium Anglorum casu fortuito

tuito concrematum reſtauravit, Hoſpi- Sæculum IX.
tium S. Peregrini prope Baſilicam S. Pe- A.C. 824.
tri a Leone III. erectum, & Monaſterium fœminarum SS. Martyrum Sergii & Bachi reparavit, & facultatibus ditavit. Inter ornamenta, quæ Eccleſiis obtulit, duo memorantur, in quibus S. Virgo corpore aſſumpta repræſentabatur. Unde diſpicimus, Aſſumptionem jam illa ætate Romæ a fidelibus creditam. Collapſam Cathedram Pontificalem ad S. Mariam Majorem extruxit, ſcalas fecit, quibus ad eam aſcenderetur, ut libere Sacris operari & Miniſtris colloqui poſſet, quin impedimento eſſent mulieres, quæ haud procul ſtare ſolebant. Paſchalem Papam Eccleſia Romana inter Sanctos decima quarta Maji colit. *Mart. Rom. 14. Maji. Boll. t. 14. p. 391.*

Sacra Sedes vacavit usque ad diem Dominicam, quintam Junii, qua ordinatus eſt Eugenius ſecundus Archipresbyter Titulo S. Sabinæ. Is Romæ natus erat, Bœmundi filius, quem humilitas animi, ſimplicitas, Doctrina, munificentia commendabant. Non tamen omnino ſine turbis electus eſt, nam habebat æmulum. (*) Sed ſuperavit Pars Nobilium qui Eugenio favebant, ſeditque annis tribus, & tribus ferme menſibus. *Anaſt. in Eug. Eginh. an. 824.* Schiſma Decimum.

Illico

(*) Zinzinus is erat, Romanus, Presbyter Titularis, id eſt, Cardinalis.

Sæculum IX. A. C. 824.

Illico mittitur Quirinus Subdiaconus, qui Eugenii Ordinationem Ludovico Imperatori nunciaret. Is Lotharium filium suum iterum Romam mittere statuit, ut suo nomine cum novo Papa & Populo Romano necessaria Reipublicæ negotia componeret.

§. LIII.

Lotharius Romæ Jus dicit.

Coint. an. 824. n. 10. Astron.

Lotharius in hoc itinere comitem habuit Hilduinum S. Dionysii Abbatem & Archicapellanum. Ubi Romam pervenit, convocata Concione conquestus est, quod ex illis, qui Imperatori parenti suo & Francis Fidem servassent, aliqui per nefas interfecti fuissent, & alii contemptui haberentur. Quæsivit, cur tot querelæ contra Pontifices & Civitatis Romanæ Judices moverentur, & cum patuisset, multos fundos tum Judicum avaritia tum Paparum oscitantia iniquè fuisse Fisco addictos, præcepit, ut restituerentur. Consensit Eugenius Papa hilari animo, applaudente toto populo Romano.

Inter illos, qui Tribunal Lotharii adierunt, fuit Ingoaldus Abbas Farvensis ex Territorio Sabinorum. Is querebatur, quod oppressa Monasterii sui libertate Papæ tributum a se exegissent, & aliquos fundos vi adhibita eripuissent.

In

In accusationis hujus argumentum protulit veteres litteras Regum Longobardorum, qui Monasterii sui tutelam in se susceperant; item Confirmationem Caroli Magni & Ludovici Filii ipsius, in qua prohibebatur, ne quicunque demum, Papa, Episcopus, Dux, aut Optimatum aliquis, huic Monasterio tributum imperet, aut quidquam de Bonis subtrahat. Lotharius Imperator, his litteris inspectis, cum Proceribus tum Francis tum Romanis judicavit, earum auctoritatem oportere esse salvam, jussitque, nulla excusatione admissa, ut Bona Monasterio Farvensi subtracta restituerentur. Sæculum IX. A. C. 824.

Ut rata & firma essent hæc Decreta & futuris temporibus consuleretur, Lotharius edidit Constitutionem, in Basilica S. Petri promulgatam, quæ novem complectitur Articulos: *Nemo, nisi periculum vitæ incurrere velit, illos lædere audeat, quos Domnus Apostolicus vel nos speciatim defendendos susceperimus.* *To. 2. Cap. p. 18.* *c. 1.*

Decernimus, ut Domno Apostolico in omnibus justa servetur obedientia seu Ducibus & Judicibus ejus ad Justitiam administrandam. Lotharius Romæ.

Deprædationes pristini temporis neque vivente Pontifice neque defuncto ullatenus tolerentur. *c. 2.*

In Electione Romani Pontificis nullus sive Liber sive Servus aliquod impedi-

Sæculum IX. A. C. 824.

mentum ponere præsumat. Sed illi solummodo Romani, quibus antiquitus Constitutione Sanctorum Patrum concessum est, sibi eligant Pontificem. Volumus etiam ut Delegati constituantur a Domno Apostolico & a nobis, qui singulis annis nobis deferant, qua ratione Duces & Judices Jus populo dicant, & nostra Constitutio servetur. Decernimus itaque, ut omnes clamores contra socordiam Ducum aut Judicum primum ad notitiam Domni Apostolici deferantur, ut statim aut ipse per suos Nuncios juvet, aut nobis indicet, quomodo remedium afferre valeamus. Volumus etiam ut omnes, sive ex Senatu sint sive ex populo, interrogentur, sub qua lege vivere velint, ut secundum eam legem, quam profitebuntur, Auctoritate Domni Pontificis & Nostra judicentur. Nimirum aliqui legibus Romanorum, alii Longobardorum vivebant. Postea in illa Constitutione legimus: *Placuit etiam nobis, ut cuncti Duces & Judices, sive alii, qui ceteris præesse debent, in conspectum nostrum, dum Romæ sumus, veniant. Volumus enim & numerum & nomina scire, & singulos de ministerio sibi credito admonere.* Tandem Auctoritatem Imperatoris Auctoritati Papæ conjunctam in hac Constitutione ubique videmus.

cont. Paul. Diac. Capit. to. 1. p. 647.

demus. Summa Imperatoris potestas in ea clare deprehenditur sicut etiam in formula juramenti, quod Lotharius a Romanis præstari præcepit, cujus summa talis erat: *Promitto, me fidelem fore Imperatoribus Ludovico & Lothario, salva Fide quam Papæ promisi. Non consentiam, ut aliquis Papa, nisi Canonice eligatur, neque ut Papa electus consecretur, priusquam præsente Mandatario Imperatoris ejusmodi juramentum, quale Eugenius Papa scripto edidit, pronunciaverit.* Sæculum IX. A. C. 824.

§. LIV.

Visio Wetini.

Eodem anno octingentesimo vigesimo quarto e vivis excessit Wetinus seu Guetinus Monachus Augiæ divitis in Diœcesi Constantiensi, fuitque hujus viri obitus ex adjunctis plane singularibus memorabilis. Septem artibus liberalibus imbutus Magistri munus in illo Monasterio non sine laude obibat. Cum vigesima nona Octobris ægrotaret, lectulo se dedit, & somnio perterritus, rogavit sibi prælegi ultimum librum Dialogorum S. Gregorii, ubi plures mortuorum apparitiones refert, & de statu animæ post hanc vitam agit. Post *Act. SS. B. to. 5. p. 265.*

Sæculum IX. A. C. 824.

hanc lectionem, cum se in lecto ad quietem collocasset, eidem dormienti adstare visus est Angelus, qui ei in viam amœnissimam deducto montes miræ pulchritudinis & altitudinis ostendit, quibus ingens & igneus fluvius circumfundebatur. In eo torquebantur plurimi homines, & aliqui etiam Wetino minime ignoti. Conspiciebat Episcopos & Presbyteros & mulieres, quibuscum peccaverant. Dixitque ad eum Angelus: *Plerique Episcopi avaritiæ laborant, Aulæ negotiis implicantur, fastu in vestibus & in epulis delectantur; ad Salutem animarum vilipendunt. Deliciis & voluptatibus immerguntur, unde indigni fiunt, qui pro aliis apud Deum intercedant. Cur enim tempore pestis & famis populos juvare non potuerunt?*

Anno superiore octingentesimo vigesimo tertio Franciam pestis exitialis, & anno octingentesimo vigesimo pestis simul & dira fames afflixerant. Inter illos, qui in hoc purgatorio cruciabantur, Wetinus agnovit quemdam Principem, olim Regem Italiæ & Romæ; quod vehementer mirabatur, fuerat enim ille vir maximus, & in hoc Sæculo Ecclesiam potentissime defenderat. Dixit ei Angelus; *Hunc Principem, quam-*

Ann. Eginh. n. 8.

vis

vis præstitisset multa Deo gratissima, quorum mercedem non esset amissurus, libidinem tamen non repressisse, & eo vitio inquinatum longam vitam claussisse. Quasivero istud fragilitatis humanæ peccatum fuisset, quod multitudine bonorum operum potuisset obtegi. Nihilominus, subjunxit Angelus, *ad vitam cum electis prædestinatus est.* Dubio locus non supereſt, quin Princeps iste sit Carolus Magnus; (*) & quamvis hæc visio nihil supra somnium a naturali dispositione proveniens fuisse diceretur, inde tamen dispicimus, quæ opinio de Statu animæ ipsius, annis post obitum ejus decem, viris piis fuerit. Si credidissent, Carolum vitam posuisse adulterio aut Concubinatu illicito implicitum, inferno dignum judicare debuissent; nunc vero cum eum in purgatorium miserint, incontinentiam, cujus ipsum arguebant, non fuisse lethalem culpam putaverint, necesse

Sæculum IX. A. C. 824.

(*) In Annalibus Benedictinis Auctore Mabillonio ad hunc annum Carolus & alii absolute nominantur: *Ubi Sacerdotes, Monachos, Waldonem Abbatem, Adalhelmum Episcopum, Carolum Imperatorem piacularibus tormentis addictos conspexit, Comitesque non paucos &c.*

Sæculum IX. A C. 824.

est. (*) Inde autem incontinentiam suspicabantur, quod diversis temporibus novem habuisset uxores, iisque etiam in senectute abstinere non potuisset. Si enim ad secundas & tertias nuptias transire fragilitas credebatur, ob quam pœnitentia, integris annis duratura, secundum S. Basilium injungebatur, certe octavas & nonas inire peccatum veniale haberi poterat. Vide, quæ Theodorus Studita, illo ævo quo Carolus Magnus in vivis agens, de his scripserit.

Sup. n. 9.

Ad Amphil. c. 4. 24. 50. 53. 80.

Angelus deinde longe gratissimum Wetino spectaculum ostendit, nempe Beatorum Sedes, & certum fecit de Salute Geroldi, qui cum esset Comes Bavariæ sub Carolo Magno multa Bona Monasterio Augiensi diviti contulerat, in bello contra Hunnos anno septingentesimo nonagesimo nono occisus. Post hæc ab Angelo Duce varia monita pro Mona-

Sup. Lib. XVII. §. 15. I. ep. 50. inf. L. XLVII.

(*) Ita omnino judicare poterant pii viri ex verbis Angeli ad Wetinum dicentis, ut supra, Carolum, *eo vitio inquinatum longam vitam clausisse*. Ceterum contingere potuisset (sed non dico ita contigisse) ut Carolus peccatum etiam grave in purgatorio lueret, nempe tale, cujus culpam quidem non autem omnem pœnam, dum viveret, pœnitentia deleviisset.

Monachis ei data, & inter alia ut ne- Sæculum IX.
ceſſariis contenti viverent. Interro- A. C. 824.
ganti Wetino, ubi melius Inſtituti Monaſtici Diſciplina vigeret, Angelus reſpondit; eam in Regionibus tranſmarinis magis florere, quia Monachi ſpiritum paupertatis ibi ſervarent.

Quod an de Orientalibus Monachis an de Britannicis intelligendum ſit, incertum. Ceterum docet nullum magis ab hominibus horrendum eſſe crimen, quam quod ipſi naturæ adverſatur.

Sibi demum redditus Wetinus, priusquam illuxiſſet, viſa quantocius ceræ committi curavit, atque exacto biduo, ut prædixerat, ultimam clauſit horam, etſi nullum morbi lethiferi deprehenderetur indicium. Hæc viſa Hetto Abbas ſenior ejusdem Monaſterii proſa oratione litteris fideliſſime mandavit, & anno ſequente octingenteſimo vigeſimo quinto Walafridus Strabo ejusdem Congregationis Monachus tunc annos natus octodecim eadem metro reddidit. Nomina illorum & Caroli Magni, quos Wetinus in cruciatibus viderat, Acroſtychis deſignavit.

Sæculum IX. A. C. 824.

§. LV.

Capitulare Hettonis.

Hetto seu Aiton, ab anno ætatis suæ quinto Monasterii Augiensis Alumnus, Abbas electus est anno octingentesimo sexto in locum Waltonis, qui ad regendum Monasterium S. Dionysii in Francia vocatus fuerat. Anno sequente octingentesimo septimo Hetto ordinatur Episcopus Basileensis, retinens etiam Abbatiam Augiensem, (*) & anno octingentesimo undecimo a Carolo Magno Legatione fungi ad Imperatorem Constantinopolitanum jubetur. Scripsit hujus itineris Commentarium, qui intercidit. Missi ab ipso fuerunt ad S. Benedictum Anianensem ex Monachis suis duo, qui conscriptas consuetudines Monasticas ibi observari solitas Augiam deferri curarunt, ut inquisitionem ex mandato Imperatoris a Monachis Regularibus (id est Reformatis) instituen-

Act. to. 5. p. 273.

p. 274.

(*) Post hæc Abbatia Augiensis Episcopatui Constantiensi unita est, ita ut Abbatem Regularem non habeant. Augienses vero Monachi, varia Judicia tum in Curia Pontificia tum in Aula Cæsarea experti, his annis in alia Monasteria sparsi sunt, nova Colonia e diversis Monasteriis Benedictinorum advocata.

stituendam anteverterent. Hetto, cum anno octingentesimo vigesimo tertio morbo tentaretur, captata occasione, munera Episcopi & Abbatis abdicavit, & in Monasterio sub obedientia Erlebaldi, sibi in Abbatia Augiensi suffecti, reliquos vitæ dies exegit. Sæculum IX. A. C. 824. p. 275.

Tempore quo Hetto Ecclesiæ Basilensi præerat, ad informandos Parochos suos edidit Capitulare viginti Articulorum, quod cum Constitutione Theodulfi Aurelianensis affinitatem habet. In eo præcipit, primo discutiendam esse fidem Sacerdotum; quid ipsi credant, & quid aliis credendum proponant. Omnes Orationem Dominicam & Symbolum Apostolorum, tam latine quam barbare (id est germanice) discant. Item Salutationibus Sacerdotalibus (id est quando Sacerdos dicit: Dominus vobiscum, & alia in Missa similia) omnes respondere doceantur. Symbolum S. Athanasii a Sacerdotibus discatur, & ex memoria Die Dominico ad primam recitetur. Omnes Libros habeant sibi necessarios, nimirum, Sacramentarium, Lectionarium, Antiphonarium, Computum, † Canonem pœnitentialem, Psalterium, & Homilias in omnes totius Anni dies festos & Dominicas. Quæ hodie in tribus Voluminibus scilicet in Breviario,

to. 7. Conc. p. 1522. ex to. 6. Spicil.

c. 1.

c. 2.

c. 3.

c. 4.

† Calendarium.

Sæculum IX. A. C. 824.

viario, Missali, & Rituali collecta habemus. Olim uti adhucdum apud Græcos in pluribus dispersa erant.

Tempus legitimum baptizandi est Sabbatum Sanctum Paschæ, & Sabbatum Pentecostes, nisi superveniat necessitas. Trina autem fiat immersio. Festa serventur sequentia, Natalis Domini, Festum S. Stephani, S. Joannis, Innocentium, Octava Natalis Domini, Theophania, Purificatio Sanctæ Virginis, Pascha cum Octava, Rogationes tribus diebus, (*) Sabbatum & Dominica Pentecostes, S. Joannis Baptistæ, duodecim Apostolorum, maxime tamen SS. Petri & Pauli, qui Europæ sua prædicatione lucem attulerunt, Assumptionis S. Virginis, S. Michaelis, Dedicationis cujuscunque Ecclesiæ & S. Patroni, quæ sunt Festa localia. Reliqua Festa veluti S. Remigii, S. Mauritii, S. Martini a zelo bono populi originem trahunt. Jejunia vel a Rege vel ab Episcopo indicta observentur. Sacerdotes non habeant canes, nec accipitres ad venandum. Mulieres, etiam Deo dicatæ, cujuscunque obsequii specie ad Altare non accedant.

(*) In ipso Capitulari hic insertum est Festum Ascensionis Domini. Quod in Versione Gallica ex oscitantia omissum.

cedant. Si pallæ altaris lavandæ sunt, eas Clerici fœminis ad cancellos deferant, ubi etiam Presbyteri earum oblationes accipiant. Sæculum IX. A. C. 824.

Nullus Clericus migret de sua Parochia ad aliam, nec ad limina Apostolorum orationis causa, nec ad Palatium causa interpellandi, sine scientia & consensu Episcopi sui. Fideles ad limina Beatorum Apostolorum pergere cupientes, domi confiteantur peccata sua, quia a proprio Episcopo suo aut Sacerdote ligandi aut solvendi sunt, non ab extraneo. Hic sub voce Episcopi extranei Papa sicut alii manifeste comprehenditur. (*) Sacerdotes non diversa sentiant c. 18. c. 19.

(*) Hic exclamat P. Balduinus: Cela est bien hardi. Quanta audacia! Sed veritatem scribere Patri Balduino videtur facinus audacissimum. Interim constans est Regula, magis salutare esse Fidelibus (quando nulla obstant adjuncta) ut proprio Sacerdoti quam alteri peccata sua confiteantur.

Infert deinde P. Balduinus: *Ergo, si Fleurium audimus, Papa non est Pastor Ecclesiæ Universalis.* Et iterum, temeritatem esse non ferendam, Summo Pontifici detrahere velle Jurisdictionem universalem. At ista nullatenus sequuntur; nam nec Hettonis Episcopi nec Fleurii

Sæculum IX. A. C. 824.

sentiant in judiciis pœnitentium, nec unus minus alter plus, uni adulando alteri detrahendo, placere velit.

6. 24. Horas Canonicas tam nocturnas quam diurnas nunquam prætermittant, sed omnes psallant sicut in Ecclesia Romana psallitur. Hæc prima omnium est, quam observo de obligatione recitandi horas Constitutio.

§. LVI.

Concilia in Anglia.

Sup. n. 25. Sub illud tempus in Anglia duo Concilia intra biennium *Clifi* seu Cloveshoæ a Wulfredo seu Wilfrido Archiepiscopo Cantuariensi celebrata. Quenulfo Merciorum Rege, cujus supra memini-

---

rii mens hic est, affirmare, Summum Pontificem esse Episcopum extraneum in comparatione ad Ecclesiam Universalem, sicut alii Episcopi sunt (vel potius, ceteros Episcopos æquali cum Papa in universali Ecclesia potestate gaudere; quamvis quilibet Episcopus in suo sensu sit totius Ecclesiæ Catholicæ Episcopus, quales se etiam Episcopi veteres in subscriptionibus dicebant) sed utilius esse peregrinantibus, ut domi suo Episcopo vel Parocho confiteantur, quam Romæ, præsertim quia sæpe ejusmodi Pœnitentes ad devitandum Canonum rigorem Romam proficiscebantur, & absolutionem obreptitie vel subreptitie facile impetrare poterant.

minimus, anno octingenteſimo vigeſimo primo defuncto, poſtquam imperaſſet annis viginti quatuor, vacillavit Regnum illud usque ad annum octingenteſimum ſeptuageſimum quintum, quo penitus cecidit. Ei ſucceſſit Celulfus frater, quo pulſo, rerum potitus eſt Bernulfus ſed non diutius quam triennio. Ipſo regnante habita ſunt illa duo Concilia, quibus interfuit. In primo anni octingenteſimi vigeſimi ſecundi Wulfredus Archiepiſcopus querebatur, ſe a Rege Quenulfo tam atrocem paſſum perſecutionem, ut annis ferme ſex, ea, quæ Muneris Epiſcopalis ſunt, exercere non potuiſſet, & Baptiſmus in tota Anglia nemini fuiſſet collatus. His Archiepiſcopus addebat, Quenulfum Romam miſiſſe homines ſubornatos, qui ſe apud Papam calumniarentur, & quadam die, cum Londini eſſet, ſe in Regiam vocaſſe, & juſſiſſe, ut illico ex Anglia migraret, ſine ſpe reditus, quem nec Papa nec Imperatore aut quocunque demum homine intercedentibus impetraturus eſſet, niſi ſtatim certos agros trecentarum familiarum ſeu Colonorum ei cederet, & præterea centum viginti libras parata pecunia ſolveret. Itaque Archiepiſcopus tunc Regi obedire coactus eſt, & mortuo Quenulfo Cynedrita Abbatiſſa

Sæculum IX. A. C. 824.

Vil. Malmesb. lib. 1. p. 33.

to. 7. 1527.

Sæculum IX. A C. 824.

tissa filia ipsius & hæres tenebat agro illos, quos vero ex decreto hujus Concilii restituit. Alterum Concilium Cloveshoæ sub Archiepiscopo Wulfredo anno octingentesimo vigesimo quarto Indictione secunda celebratum. In eo lis inter Hebertum Episcopum Vigornien- sem & Monachos Bercleenses de Monasterio *Westburg*, quod Episcopo restitutum, composita est. Hujus Concilii Decreto trigesima Octobris dato Rex Bernulfus, Episcopi duodecim, Abbates quatuor, Eugenii Papæ Legatus (*) & multi Proceres subscripserunt.

to.7. p.1555.

(*) In ipsis Actis post ultimum Ecclesiasticum & ante primum Sæcularem subscripsit Papæ Legatus in hunc modum: *Nothelm præco a Domino Eugenio Papa.*

HISTO-

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER XLVII.

EUGENIUS II. PAPA.
LUDOVICUS IMPERATOR. MICHAEL BALBUS.

§. I.

Michael Imperator Colloquium suadet.

Sæculum IX. A. C. 824.

At Michael Imperator in Oriente implicitus erat bello civili contra Thomam, qui se Constantinum Irenis filium esse mentiebatur, & Leone Arme-

Post. Theg. n. 30.

Sæculum IX. A.C. 824.

Armeno adhucdum solium tenente Armeniam vicinasque provincias in suam potestatem redegerat. Postquam Michael regnum capessivisset, Thomas exercitum duxit in Thraciam & mense Dec. anno octingentesimo vigesimo primo Constantinopolim obsidione cinxit. Ergo Michael cum potentissimus sibi immineret hostis, veritus ne Imaginum Cultores se illi jungerent, consilium suggessit, ut cum Iconoclastis ad amicum colloquium congrederentur. Id enim dispicimus ex S. Theodori Studitæ Epistola ad Leonem Sacellarium seu Thesauro præfectum data, in qua dicit: *Eodem nimirum tendebat Leonis nuper Imperatoris conatus, ut cum Heterodoxis sermonem conferremus, & sic contrariam nobis sententiam ferret, sicut putabat, quin & ejus, qui nunc imperat, mens eadem fuit, cum ante tres annos nobiscum hac de re egit. Sed neque inclytus Pontifex noster, nec nos qui præsentes adstamus, id ferre potuimus. Non enim de rebus Sæculi carnisque hic agitur, de quibus judicandi potestas penes Imperatorem est, sed de cælestibus dogmatibus, quæ aliis commissa non sunt, quam iis quibus Deus ipse Verbum dixit: Quæcunque ligaveritis super terram erunt ligata & in Cælo & cetera, nimirum Apostolis*

II. ep. 129.

Sæculum IX. A. C. 824.

postolis & eorum Successoribus. Quinam porro sunt Successores? Qui Romanam nunc primam Sedem tenet, qui Constantinopolitanam secundam, qui Alexandrinam, Antiochenam, Jerosolymitanam. Hi quinque sunt Ecclesiæ vertices; penes hos Divinorum Dogmatum judicium. Imperatorum vero & Præsidum est opem ferre, & comprobare, quæ decreta sunt. Et infra: *Fieri ergo nulla ratione potest, Domine, ut coalescat hæc Ecclesia non consentientibus quinque Patriarchis. Quod si roget quispiam, quo pacto id fieri possit? Si excedant, inquam, Dei Ecclesiis Heterodoxi, & propriam Sedem Sacer Patriarcha quondam Nicephorus recipiat, qui coacto Episcoporum eorum conventu, cum quibus pro veritate certamen sustinuit, pacem conficiat, & Synodicas suas ad primæ Sedis Præsulem mittat. Si fieri non possit, ut ab aliis Patriarchis adsint Vicarii, id certe fieri potest, si velit Imperator, ut Occidentalis intersit, cui & potestas summa defertur Synodi Oecumenicæ* (*) *Quod si hujusmodi Synodum minime probet Imperator*

(*) Insigne Testimonium! favens illi opinioni, quæ Summo Pontifici Auctoritatem potestati Concilii Oecumenici æqualem vel majorem tribuit.

Sæculum IX. A. C. 824.

tor, quia, ut ipse ait, deflexit a Veritate Nicephorus Patriarcha, mittenda est ad Romanum Pontificem ex utraque parte Legatio, & inde Fidei accipienda certitudo. (*)

II. ep. 204.

Ad hæc tempora referri solet Theodori Epistola ad Theodoram Imperatricem, Leonis Armeni viduam, ejusque filium Basilium data, in qua gratulatur,

post. Theg. lib. II. n. 7. p. 30.

quod Hæresim Iconoclastarum abjecerint; sed de miraculo silet, quod referebant, Basilium coram imagine S. Gregorii Nazianzeni vocem recuperasse. Idque hanc narrationem suspectam reddit.

§. II.

Michaelis Imperatoris Epistola ad Ludovicum.

ibid. n. 10. p. 44. Conv. Paris. Supl. Conc. p. 106.

Tandem Michael Imperator fortuna favente Thomam bello vicit, qui captus necatur in medio mensis Octobris

(*) Plane illo ævo veritatis Catholicæ testis S. Theodoro Studita nullus illustrior extitit, cujus Testimonia, ab Ecclesia Græca & Orientali advenientia, Protestantes nulla exceptione eludere, nulla ratione diluere possunt. Cave autem in Sæculo Photiano satis ea refellere putat, dum dicit, Theodorum fuisse hominem Iconomachiæ perditissime addictum, superbia inflatum, Schismatis auctorem, furiosum.

bris anno octingentesimo vigesimo tertio. Sæculum IX. A. C. 824.

Anno sequente Michael Legationem in Franciam adornat, traditque amplissimam Epistolam ad Ludovicum Imperatorem, quem Regem Francorum & Longobardorum & ab iisdem dictum Imperatorem appellat. Narrat seditionem moviſſe Thomam, & a se devictum. Excusat, quod inter bellorum turbas non maturius ad Ludovicum misisset Legatos. Eos deinde singulos nominat, scilicet, Theodorum Protospatarium & Strategum, id est, Spatariorum Principem, & Ducem, Nicetam Metropolitam Myrensem in Licia, (*) Fortunatum Archiepiscopum apud Venetos, nempe Patriarcham Gradensem, qui Constantinopolim se receperat, Theodorum Diaconum, & Oeconomum S. Sophiæ, & Leonem Candidatum. In hac Epistola Michael Imperator pacem & amicitiam cum Ludovico Imperatore confirmat, & deinde loquitur in hunc modum: *Sup. Lib. XLVI. §. 40*

Sed & hoc vestræ Dilectioni manifestamus; quod multi tam de Clericis quam de populo a Traditionibus Apostolicis re-

(*) Ecce, S. Nicolai post annos plusquam quingentos Successorem! malum! quod iste jubente Principe Iconomacho & contra bonam causam Legationem susceperit.

Sæculum XI. A. C. 824.

cedentes, res novas & pernicioſas inve-xerint. Primum Cruces de Sacris tem-plis tollebant, & earum loco imagines ſtatuebant, coram quibus lucernas accen-debant, & adolebant incenſum, eundem iis honorem ac Cruci exhibentes. Apud imagines pſallebant, eas adorabant, & auxilium ab iis petebant. Aliqui autem linteaminibus has imagines circumdabant, & filiorum ſuorum de fonte Baptiſmatis Suſceptrices faciebant. Alii comam ca-pitis eorum, quam abſcindebant, adhibi-tis imaginibus, quaſi in ſinum earum de-cidere ſinebant. Alii Monaſticum habi-tum ſumpturi, ſuos capillos imaginibus offerebant. Quidam vero Sacerdotum colores de imaginibus radentes immiſcue-runt S. Sacrificio, quod communicare vo-lentibus dabant. Alii Corpus Domini in manus imaginum ponebant, unde illud communicare volentes jubebant accipere. Non nulli in privatis domibus pictis ima-ginum tabulis pro Altaribus utebantur, & ſuper eas Sacra Myſteria celebra-bant. Multa denique his ſimilia illicita fiebant.

Propterea Orthodoxi Imperatores & doctiſſimi Epiſcopi, congregato Concilio in ipſo loco, talia fieri prohibuerunt, ima-gines ex humilioribus locis in editiora, ubi prius erant, efferri juſſerunt, ut hæ picturæ eſſent Fidelium Doctrina, & ne

a ru-

a rudibus adorarentur, neque lucernas accenderent, neque incensum adolerent. Saeculum IX. A. C. 824.
Quidam nolentes recipere Concilia localia fugerunt hinc & adierunt antiquam Romam, calumnias Ecclesiæ inferentes; nos vero spretis eorum blasphemiis Fidem nostram Orthodoxam vobis manifestam facimus. Trinitatem unius Naturæ Divinæ in tribus Personis colimus. Credimus Incarnationem Verbi, Divinitatis & Humanitatis duas Voluntates & operationes prædicamus. Postulamus intercessionem Sanctæ Virginis Dei Genitricis & Omnium Sanctorum, Sanctas eorum Reliquias veneramur, & quidquid aliud a Beatissimis Apostolis traditum, & a SS. Patribus in sex Synodis constitutum est, confitemur & tenemus. (*)

(*) Abusus supra memorati aliqui sunt manifesti, & Confessio Fidei, ut sonat, Orthodoxa, sed Cardinalis Baronius de hac Epistola sic sentit: *Hactenus Epistola Iconomachi Imperatoris, quæ cum multa mendacia contineat, & errores multos in his quæ ad Catholica Dogmata spectant, hominem æque fraudulentum ac impium repræsentat, qui vera multa mendaciis miscens apparere conatus sit esse Catholicus.* Observandum etiam, quod sex solummodo Conciliorum mentio fiat, & supprimatur septimum.

Sæculum IX. A. C. 824.

Mittimus igitur ad Romanum Papam Epistolas nostras cum Evangelio aureis lapidibus pretiosis ornato, Patena & Calice similiter aureis, ut offerantur in Ecclesia Apostolorum Principis S. Petri a Legatis nostris, quos ut cum honore & securos Romam deduci jubeatis, falsos vero Christianos, qui Ecclesiam calumniantur, inde expelli rogamus. Dona etiam addita erant Epistolæ Ludovico Imperatori destinata Texta aliquot pretiosa. Epistola autem data erat Constantinopoli, decima Aprilis, Indictione secunda, nempe anno octingentesimo vigesimo quarto. Legati iidem libros, qui S. Dionysii Areopagitæ opera esse credebantur, Græce scriptos attulerunt, eosque Abbas Hilduinus tanquam Donum sibi a Cœlo missum suscepit.

Areop. ap. Sur. 9. Octo.

Eginh. an. 824.

Ludovicus Imperator Legatos Michaelis, Rothomagi mense Novembri anno octingentesimo vigesimo quarto ad colloquium admissos, Romam deinde, ut ipsi petebant, dimisit. Imo etiam Fortunatum, Patriarcham Gradensem misit, Papæ rationem redditurum fugæ suæ, cujus causam nullam afferebat, nec Legati Græci quidquam in ejus defensionem meminerant. Suo autem nomine Ludovicus Romam duos Legatos ire jussit Freculfum Episcopum Lexoviensem, & Adegarium, qui cum Papa, cum ipsius

Synod. Par. in Suppl. Cont. Gall. p. 109.

ipsius Mandatariis, & Episcopis Romæ præsentibus sibi commissa tractarunt. Tum ex mandato Ludovici Imperatoris petierunt Pontificis licentiam & consensum, ut ab Episcopis suis Quæstionem de Imaginibus examinari juberet, & sic Pontifex veritatem, in quam ipsius Auctoritate fuisset inquisitum, rejicere non posset. Concessit Eugenius Papa hanc Imperatori facultatem, cumque Legati Francorum rediissent, Ludovicus Imperator multis Regni sui Episcopis mandatum dedit, ut prima Novembris anno sequente Parisiis congregarentur. Sæculum IX. A. C. 825.

§. III.

Capitulare Aquisgranense.

Interim mense Majo ejusdem anni octingentesimi vigesimi quinti Comitia egit Imperator Aquisgrani, ubi creditur edidisse Capitulare, quod alii ad annum octingentesimum vigesimum tertium referunt. Id complectitur universalia ad omnes Subditos Ludovici monita, & mandata Delegatorum in Regni Provincias. Sunt autem Articuli viginti octo. Imperator hortatur Episcopos, ut gregibus sibi commissis invigilent præsertim Monasteriis, in quibus observantiam Regulæ custodirent. *Rogamus vos*, inquit, *ut nobis in nostro Regimine veri adjutores existatis, & ubicunque sive culpa cu-*

Cap to 1 p. 631. *Coint.* 822. *n.* 22. 825. *n.* 6. *Capit. to.* 1. *p.* 361.

Sæculum IX. A. C. 825.

juspiam Abbatis, Comitis, aut alterius Personæ obstaculum deprehenderitis, id nobis insinuare non differatis, ut & nostra Auctoritate id emendemus, & vestram ut decet conservemus. Presbyteros vestros edocete, & admonete, si populi in illis quidquam juste reprehenderint. Ecclesias reparate, & custodite reditus, vos autem & vestri Archidiaconi nihil de Ecclesiis accipiendo aliis exemplum prabete. Scholas ad infantes & ministros Ecclesiæ edocendos, sicut vos facturos Attiniaci promisistis, ubi id necdum perfectum est, instituite.

c. 6. Exhortatur Comites, qui Rectores Provinciarum & Judices locales erant,

c. 23. ut cum Episcopis concordes vivant, ut Ecclesias & pauperes defendant, Ministros Ecclesiæ in adimplendo suo munere adjuvent.

c. 7. Laici omnes in iis, quæ ad Religionem spectant, Episcopis & Presbyteris obediant. Vult Imperator per commune testimonium, id est, Episcoporum de Comitibus, Comitum de Episcopis

c. 12. sibi referri, an Comites Justitiam diligant & faciant, & quam religiose Episcopi conversentur & prædicent. Episcopi econtra & Comites Principem admoneant, si talia sint, quæ ipsius famæ, aut

c. 13. Reipublicæ saluti nocere valeant. Archiepiscopi & Comites Urbium Metropoliti-

c. 24.

politicarum a Cancellario Imperatoris Capitularia accipiant, ea Episcopis ceterisque Comitibus illius Provinciæ mittant, describi & publice recitari curent. Cancellarius vero nomina Episcoporum & Comitum, qui ea acceperint, notet, & Imperatori perscribat, ne quis mandata ista negligere audeat. Sæculum IX. A. C. 825.

Sequitur enumeratio Delegatorum & Mandatariorum per Provincias, qui *Missi Dominici* vocantur. Duo erant Delegati in qualibet Provincia, Episcopus & Comes. Inter Episcopos qui hic nominantur, memorabiliores sunt: Heistulfus Archiepiscopus Moguntinus, Hetto Trevirensis, Hadaboldus Coloniensis, Ebbo Rhemensis, & Rotadus Suessionensis ipsi substitutus in hoc officio; nimirum Ebbo negotiis ad Rempublicam spectantibus, aut Prædicatione Fidei in Dania occupabatur. Præterea inter hos Delegatos leguntur Jeremias Archiepiscopus Senonensis, Guilebertus Rothomagensis, & Landranus Turonensis, videlicet Archiepiscopi omnes. In tribus ultimis Articulis Delegatorum officia præscribuntur, quorum est Episcoporum moribus invigilare, Comitum etiam & ministrorum minorum, Querelas supplicantium audire, in ipsis locis omnes causas, quas poterunt, finire, ceteras ad Imperatorem deferre. Ceterum id mune-

Sup. Lib. XLVI. § 50

26. 27. 28.

Sæculum IX. A. C. 825.

ris quidem Episcoporum auctoritatem & honorem augebat; at fieri non poterat, quin ea cura ipsos a Regimine proprii gregis, quod præcipuum Episcoporum Officium est, abstraherentur.

§. IV.

Conventus Parisiensis.

Sup. Lib. XLIV. §. 31

Conventus Parisiensis mense Novembri, ut Imperator jusserat, celebratus est, & omnes Episcopi vocati, excepto Modovino Augustodunensi, quem morbus domi detinuit, adfuere. Lecta est Epistola Hadriani Papæ ad Constantinum & Matrem ejus Irenem data, dixeruntque Episcopi Franciæ, Papam recte quidem illos reprehendere, qui Imagines comminuerent, sed etiam imprudenter præcepisse, ut superstitiose adorarentur. Concilium quoque in hac causa celebratum, id est Nicenum secundum, damnarunt, & multo magis Concilium Iconoclastarum a Constantino Copronymo coactum. Censuram Caroli Magni in Concilium Nicenum Libris Carolinis insertam approbarunt, quam Responsis Hadriani Papæ satis refelli non putabant. Jusserunt deinde recitari Michaelis Imperatoris Epistolam, & ex ore Treculfi & Adegarii, quæ Romæ egissent, audierunt. Tandem prælegi præceperunt Textus Scripturæ & Patrum,

Sup. Lib. XLIII. §. 7.

Sup. Lib. XLIV. §. 46. & 58.

Patrum, quos per anguſtiam temporis colligere licuerat, eosque miſerunt ad Imperatorem Ludovicum per manus Halitgarii Epiſcopi Cameracenſis, & Amalarii etiam Epiſcopi, qui Imperatorem Aquisgrani ſexta Decembris anno octingenteſimo vigeſimo quinto convenerunt. Sæculum IX. A. C. 825.

Hi itaque attulerunt Conventus Pariſienſis Epiſtolam, omnia, quæ acta erant continentem, & Epiſcoporum conſilium, ut nempe Ludovicus Imperator Papæ & Imperatori Conſtantinopolitano ſcriberet. *Non ignoramus*, ajunt, *quanto dolore conſpicere cogaris, illos, qui ſuprema Auctoritate pollent, a via recta deflectere, cum ipſorum eſſet errantes ad eam reducere.* Et poſt alia: *Quia vero Salus fratrum noſtrorum a nobis parvi pendenda non eſt, nec Summa Poteſtas temere argui debet, viſum eſt tibi ſuadere, ut ſermonem ad illos dirigas, qui te ad hanc quæſtionem agitandam excitarunt* (nempe ad Græcos) *ſic omnia, quæ reprehenſibilia videntur, magis in illos cadent, quos liberius liceat arguere, & quorum ſcandalum facilius tolerari poſſit. Sic etiam, ſi compatiendo ad Græcorum infirmitatem te paulo demiſeris, Romanos laudaveris, eorumque poteſtatem extuleris, & nihilominus veritatem ex Scriptura & Patribus leniter oſtenderis, ſperan-* p. 109. p. 110.

Sæculum IX. A. C. 825.

sperandum est, fore, ut Partis utriusque saluti consulas.

Post hanc Epistolam legebantur Patrum Testimonia in quindecim Titulos digesta, quorum primus pugnat contra illos, qui Imagines volebant abolitas. Secundus Titulus ex Auctoritate S. Gregorii Papæ probat, Imagines legitime servari posse. In duodecim Articulis sequentibus illi refutantur, qui eas adorant, aut nimio cultu honorant; ibique accurate vox, adoratio, explicatur. Putant hi Patres, se discrimen inter Crucem & Imagines demonstrare, & ubique secundum Concilium Nicenum impugnant. Istam Collectionem sequebantur exemplaria duarum Epistolarum, nempe unius ab Imperatore Ludovico ad Papam mittendæ, & alterius a Papa ad Michaelem Imperatorem.

p. 112.
p. 113.
p. 119.
t. 8.9.12.
p. 121.
t. 13.14.

Conventus Parisiensis contra Imagines.

In Epistola ad Papam Ludovicus Imperator eum exhortabatur, ut sua Auctoritate uteretur ad reddendam Orienti pacem, & reducendum Imaginum usum ad illud inter contemptum & superstitionem medium, quod Franci necessarium existimabant. Quærebat, an non e re esset, si ambo communi nomine Legationem ad Orientales dirigerent. Rogabat, ne suspicaretur Papa, exemplar Epistolæ ea mente sibi missum fuisse, ut doceretur, sed ut Imperator, quid sentiret,

p. 131.

ret, candide aperiret. Declarat, se Synodum non ideo convocasse, ut aliquid definiretur, sed ut quæstio, sicut Papa permisisset, examini subjiceretur. Exemplar Epistolæ a Papa ad Michaelem Imperatorem dividitur in tres Articulos. Primo afferuntur argumenta ex ratione, deinde ex Auctoritate, quibus tertio additur consilium. Auctor Sacræ Sedis potestatem summe extollit, ostenditque, Romanam illam esse Sedem, ad quam Fideles omni tempore non solum ad definiendas Fidei Quæstiones, sed etiam ad omnes contentiones in Ecclesia dirimendas confugissent. (*) Affirmat, in Ecclesia Gallicana a primis temporibus S. Dionysii (quem a S. Clemente Papa missum credit) S. Hilarii & S. Martini illud semper fuisse observatum, ut nemo habere imagines compelleretur, idemque prohibitum esset nemini, nec unquam hac de re ortam fuisse disceptationem. Hujus libertatis causam reddit; quod, licet in orbe terrarum nulla conspiceretur imago, ideo tamen Fides, Spes & Charitas nullum paterentur dispendium. Ceterum neque imagines his tribus virtutibus nocere, si modo nullus Religionis cultus eis exhiberetur.

Sæculum IX. A. C. 825.

p. 132.

Affert

(*) Inde videmus, quod Franci non crediderint, hanc quæstionem ad Fidem pertinere.

Sæculum IX. A. C. 825.

Affert deinde S. Gregorii Auctoritatem, & in Epilogo Michaelem Imperatorem hortatur, ut in Ecclesias sibi subjectas pacem reveheret.

§. V.

Jeremias & Jonas Romam mittuntur.

to. 7. Conc. p. 1648.

Cum Halitgarius & Amalarius hos libellos ad Ludovicum Imperatorem detulissent, isque sibi recitatos approbasset, misit eos ad Eugenium Papam opera usus Jeremiæ Archiepiscopi Senonensis & Jonæ Episcopi Aurelianensis, adjuncta alia Epistola, in qua rogat Papam, ut cum ipsis utpote Præsulibus Sacrarum litterarum Doctrina & arte disserendi instructissimis de Legatione in Græciam adornanda conferret. *Non eo animo*, inquit, *Episcopos hos misimus ad te cum collectione Textuum, ut quasi ignorantem doceremus, sed ut, pro officii nostri ratione in arduo negotio te adjuvemus.* Hortatur deinde Pontificem, ut causam istam pertractet ea moderatione, quam tam Græci quam Romani laudare cogerentur. Præter hanc Epistolam duo Episcopi Jeremias & Jonas mandata acceperant hujusmodi; *Sed & vos ipsi tam patienter & modeste* † *cum eo de hac Causa Disputationem habeatis, ut summopere caveatis, ne nimis ei resistendo*

ibid. p. 1649.

† sunt ipsa ex Actis verba.

stendo eum in aliquam irrevocabilem per- Sæculum IX.
tinaciam incidere compellatis; sed paula- A. C. 825.
tim verbis ejus quasi obsequendo magis quam aperte resistendo ad mensuram, quæ in habendis imaginibus retinenda est, eum deducere valeatis. Si id feliciter effeceritis, & Papa indicaverit, quod Legatos suos ob eandem causam in Græciam mittere velit, volumus ut eum interrogetis, si placeat, ut nostri Legati pariter cum suis in Græciam pergant. Et si hoc se velle responderit, volumus ut promptissime litteris vestris nos de hac re certos faciatis simul & de vestro adventu ad nos, ut eo tempore, quo vos ad nostram veneritis præsentiam, Halitgarium & Amalarium nobiscum inveniatis. Hos ut conjectura est Imperator in Græciam missurus erat.

Non nulli Synodi Parisiensis Scriptorem Agobardum Archiepiscopum Lugdunensem esse putarunt. Saltem in Doctrina illis Episcopis consentiebat, ut apparet ex ejusdem Tractatu de Imaginibus sub idem tempus verisimiliter scripto; nam in eo in aliquos abusus, de quibus querebatur Michael Imperator, vehementius invehitur. Hic vero Agobardi Tractatus nulla ferme alia parte constat quam collectione locorum ex S. Augustino & quibusdam aliis Patribus excerptorum, quibus demonstrare niti- c. 34.
tur,

Sæculum IX. A. C. 825.

tur, ſolum Deum adorare licitum eſſe, eundem nulla ſpecie poſſe repræſentari, nec ullum Cultum imaginibus Sanctorum, nec etiam relativum exhiberi debere. Nec concedere vult, ut Sanctæ dicantur; quin imo dicere audet, exemplo a Serpente æneo adducto, confringendas eſſe, ſi populus iis abutatur. Tandem non alia de cauſa ſervandas eſſe, quam ad noſtram Doctrinam & rerum præteritarum memoriam. Paucis, nemo ex omnibus Eccleſiæ Gallicanæ Scriptoribus in materia de cultu Imaginum Agobardo magis Græcis adverſatur.

c. 32. *c.* 31. 33. *Mabill. in Præf. to.* 5. *Act. n.* 30. 44.

Neſcimus, quænam Conventum Pariſienſem & Epiſcoporum Jeremiæ & Jonæ cum Papa Collationem ſecuta fuerint; illud vero exploratum, Francos adhucdum per aliquod tempus eandem Doctrinam de imaginibus retinuiſſe; eas nec abolendas eſſe nec adorandas, item Concilium Nicenum ſecundum non recepiſſe, ſeque in hoc Articulo Auctoritati Papæ, illud approbantis, non ſubmiſiſſe; & nihilominus æque certum eſt, eorumdem cum S. Sede Communionem nec uno momento fuiſſe interruptam. (*)

§. VI.

(*) Nempe cum Summi Pontifices viderent, abeſſe contumaciam, Francos nulla ſententia publice

§. VI.

Sæculum IX. A. C. 826.

Herioldus Rex Daniæ convertitur.

Herioldum Daniæ Regem, & solio jam anno octingentesimo decimo quarto dejectum, & profugum, Ludovicus Imperator excipiens hortatus fuerat, ut ad Christiana Sacra transiret, sic enim amicitiam inter ipsos fortius coalituram, & Christianos ad opem ferendam alacrius coituros. Post plura molimina, necdum potiri regno potuerat, cum ad Imperatorem, Ingelhemii mense Junio anno octingentesimo vigesimo sexto Comitia celebrantem venit. Tunc vero ad fidem se convertit, & cum Regina Con-

Ann. Egin. 826. Astron. eod. Theg. c. 33. vit. S. Anchar. n. 10.

publice lata damnarunt. At vero certe errarunt Franci, cum Romanos cultus in imagines superstitiosi accusarunt, errarunt, cultum relativum rejicientes antiquissima traditione fundatum, errarunt maxime quod tamdiu Concilium Nicenum secundum Universale non receperint. Audiamus ultima verba adnotationis R. P. Jacobi Sirmondi S. J. in Editione Parisiensi Act. Conc. *His igitur prætermissis, quæ absurda sunt, ideoque a Bellarmino & Baronio Maximis Cardinalibus accurate refutata, atque a Gallis postea ipsis, mutato consilio, receptaque imaginum veneratione, damnata, reliquum est ut Ludovici ad Eugenium Epistolam &c.*

Sæculum IX. A. C. 826.

Conjuge magnaque Danorum multitudine in Ecclesia S. Albani Moguntiæ baptizatus est. Ludovicus Imperator Regem & Juditha Imperatrix, ejus secundis nuptiis uxor, Reginam e fonte Sacro suscepit. Intelligens autem Imperator, Herioldum post abjectam patriam Religionem multo difficilius in majorum suorum Regnum restitui posse, Riustriensem Comitatum in Frisia ei donavit, quo cum familia exul se reciperet, si fortuna adversaretur, & muneribus cumulatum dimittere parabat. Hic primus illius gentis Rex Christianus legitur.

Ne vero solum & sine auxilio Religiosorum virorum abire sineret, virum pium solicite quærere cœpit, qui proficiscentem comitaretur, & Regem cum suis in Religione novissime susceptæ confirmaret.

Hac de re Imperator in Comitiis publice mentionem ingessit, & nemine occurrente, qui tanto zelo ageretur, ut profectionem periculis plenam in se susciperet, solus Wala unum Monachorum suorum obtulit. S. Adalhardo secunda die Januarii eodem anno octingentesimo vigesimo sexto fatis functo frater ejus Wala in Abbatem veteris Corbejæ electus fuerat. Corbejæ novæ, haud diu abhinc in Saxonia fundatæ Warinus, qui Adalhardo successerat,

Abbas

Abbas erat. Ergo Wala in Comitiis Ingelhemensibus præsens Ludovico Imperatori respondit, habere se in sua Congregatione Monachum, ardenti desiderio pro Deo patiendi incensum, optimis moribus & donis instructum, paucis, huic operi omnino idoneum. *Nescio tamen*, adjecit, *an grave onus subire velit.* Is vocabatur Anscharius. Cumque Imperator jussisset, ut accerseretur ad Regiam, & Wala Abbas ipsi significasset, qua de re sermo esset, Anscharius ad omnia, quæ sibi pro Dei Servitio præciperentur, paratum se esse dixit. Idem sibi propositum in conspectu Imperatoris professus est, & Abbate dicente, id se non præcipere, sed hanc molitionem ipsius arbitrio relinquere, constanter respondit, animo firmo constitutum habere, ut proficisceretur. Ubi res emanavit in plures, qui Walam Abbatem comitabantur, obstupescebant, quod Anscharius eo adduci posset, ut patriam, parentes, Monachos, quibuscum enutritus fuerat, relinqueret & in Regionem extraneam iret inter homines ignotos & barbaros victurus. Aliqui insanum esse propositum dicebant, alii dehortabantur. Ipse nihilominus in sententia persistens, quamdiu Wala Abbas apud Imperatorem moratus est, nam quotidie Regiam adibat, domi manere, in vi-

Sæculum IX. A. C. 826.

Sæculum IX. A. C. 826.

nea Palatio proxima ſolus degere, orationi ac lectioni vacare.

§. VII.

S. Anſcharius in Dania.

vit. to. 6. Act. SS. Ben. p. 79.

Anſcharius adoleſcentulus Monaſterio Corbejenſi ad Sommonam traditus, ad pietatem excitatus eſt multis viſionibus, quas ſolummodo amicorum intimis communicavit, & non prius quam e vita exceſſiſſet, quod ipſe multis precibus efflagitaverat, vulgatæ ſunt. Munus docendi in illo Monaſterio ipſi injunctum, cumque Corbeja nova in Saxonia fuiſſet fundata, ſtatim illo miſſus eſt, ut & ibi Magiſtri officio fungeretur.

n. 9.

Tunc igitur, cum hominum conſortia fugeret, & ad iter capeſſendum in

n. 12.

Daniam omnia pararet, Monachus nomine Autbertus, qui tunc etiam cum Wala Abbate in Palatio verſabatur, ad eum venit, & interrogat, ſerione illam profectionem moliretur? ſuſpicatus eſt primum Anſcharius, fraudem quæſtioni ſubeſſe, qua a propoſito dimoveretur. Sed Autberto affirmante, quod ſinceriſſimo animo ageret, dixit, ſtatutum ſibi eſſe, proficiſci. *Ego vero*, reſpondit Autbertus, *non permittam ut ſolus eas, comes ero individuus pro Dei amore, ſi modo facias, ut mihi abeundi facultatem Abbas tribuat.* Anſcharius Walæ

ex

ex Palatio redeunti obviam procedit dicens, sibi suscipiendi itineris socium esse oblatum, & cum Autbertum nominasset, Abbatem in admirationem rapuit. Erat enim Autbertus nobilissimis natus parentibus, quem Abbas arcanorum conscium, & rebus domesticis præfectum habebat. Ipsum ergo Autbertum interrogat, & abeundi licentiam concedit, utrique edicens, nemini se ex Congregatione sua præcepturum, ut ipsis famularetur, nisi sponte ire vellet, quia inhumanum sibi videretur, quemquam compellere, ut inter Infideles versaretur. Sæculum IX. A. C. 826.

Wala ambos deduxit ad Imperatorem, qui eorum proposito maxime delectatus, dedit eis supellectilem Sacram, cistas, tentoria, aliaque ad longum iter necessaria. Præcepit vero, ut Herioldum & suos in fide confirmarent, ne in pristinos errores relaberentur, sed ad convertendos alios plures animum adjicerent. Itaque profecti sunt nullum servulum habentes, nam Herioldus Neophytus, quanti faciendi essent viri, ignorabat, & Dani ipsius comites alienis etiam moribus imbuti parum in eos intenti erant. Hinc itineris principium non sine gravi difficultate fuit. Ubi Coloniam pervenerunt, Hadelbaldus Antistes eorum necessitati compatiens navem eis peculiarem, ubi sua reponerent,

Sæculum IX. A. C. 826.

concessit duabus mansiunculis instructam. Hæc cimba Regi Herioldo tam commoda visa, ut una Cellula ipse uteretur, altera Monachis relicta. Unde deinceps cum eisdem familiarius agere cœpit, & ipsius etiam famuli promptius Sanctis Viris obsequi. Ita secundo Rheno vecti, Frisia peragrata ad Daniæ fines pervenerunt. At Herioldus, cum necdum secure in patria degere posset, remansit in Frisia illam Ditionem, quam ab Imperatore dono acceperat, incolens.

Anscharius & Autbertus in illa Provincia cum ipso remanserunt, & jam inter Fideles jam inter Paganos versati prædicando & erudiendo quotquot poterant, convertebant. Multi fidem amplexi sunt, votis ac conatibus piis respondente successu. Duo viri Religiosi quærebant pueros, quos emerent, & in Dei Servitio educarent. Herioldus Rex de suis aliquos dedit, unde Scholam plus quam duodecim puerorum congregarunt. Adsciti etiam aliunde adjutores, quorum ope ac subsidio Christiana Religio in illis partibus mirifice propagata. Cum ita duobus amplius annis laborassent, Autbertus morbo correptus, in Saxoniam ad novam Corbejam deducitur, ubi felici transitu extremum diem clausit.

§. VIII.

Sæculum IX.
A.C. 826.

§. VIII.

S. Theodori Studitæ obitus.

In Oriente S. Theodorus Studita in gravem morbum incidit menſe Novembri ineunte. Gliſcente vero ejus periculi fama Epiſcopi complures, Cœnobiorum Antiſtites, aliique homines pii adeſſe feſtinarunt, ut moriturum ultimo conſpicerent. Cum lingua officium negaret, accito Notario debili voce dictavit, quæ ad circumſtantes dicturus fuiſſet. Tum remittente morbo ſuis pedibus incedens Eccleſiam petiit, ibi Sanctum Sacrificium celebravit, erat enim Dies Dominica illius menſis quarta. Rurſus congruam habuit ad præſentes orationem; poſtquam autem illis dediſſet Communionem, & cum ipſis cibum ſumſiſſet, lectulo iterum decubuit, advocavitque Oeconomum, quem de aliquibus neceſſariis edocuit. Naucratius is erat, fidelis ejus Diſcipulus & qui præfecturam poſt eum geſſit. Sexta die Novembris, S. Pauli Epiſcopi Conſtantinopolitani & ſub Conſtantio Confeſſoris memoriæ Sacra Theodorus Eccleſiam rurſus petit, tum Sacris operaturus tum verba facturus ad Fratres. At ſequente nocte ingraveſcente vi morbi, cum per biduum magnis doloribus fuiſſet excruciatus, ſenſit ſibi obitum inſtare, & fra-

vit. n. 123.

Suv. Lib. XIII. §. 8.

Sæculum IX. A. C. 826.

tribus exceſſum ſuum annunciavit. Duos alios dies in hunc modum exegit accedentibus benedicens Crucisque ſignum imprimens.

Die autem Dominica undecima Novembris S. Mennæ Martyris honori ſacra, cum ſenſim deficere ſe animadverteret, conſuetas laudum preces inchoari jubet, oleo infirmorum ungitur, & Communionem in viaticum animæ & munimen accipit. Mox etiam luminaria ſuccendi, & recitari hymnos in funeribus dici ſolitos innuit. Diſcipulorumque corona circumſtante, ac cantante Pſalmum longum centeſimum decimum octavum, quem Græci hodieque in exequiis recitant, appoſitus eſt ad Patres ſuos. (*) Annos natus erat ſexa-

Euchol. p. 109.

(*) Præfationis ad Tomum quintum Variorum Operum Jacobi Sirmondi S. J. Presbyteri, nitidiſſimæ Editionis Venetæ, anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo octavo, hoc eſt exordium: *Quis quantusque vir fuerit Theodorus Studites, ſive ſanctitas vitæ & facta ejus præclara; ſive Doctrina, eloquentia & ingenii monumenta ſpectentur: quantaque viri auctoritas & exiſtimatio in Eccleſia Orientali extiterit; tum Vita a Michaele monacho, qui cum ipſo vixit, accurate conſcripta . . . . tum etiam quæ collegimus Veterum de eo teſtimonia: ac demum Elogia ſane luculenta a nobis ex Baronii*

Sæculum IX. A. C. 826.

sexaginta sex obiitque extra urbem Constantinopolitanam in Peninsula S. Triphonis, unde primum in Principis Insulam & post spatium annorum octodecim in Monasterium suum Studiense translatus est. Naucratius Theodori Successor datis litteris circularibus ad illos omnes, quos persecutio in diversa sparserat, obitus ejus adjuncta enarrat. Vitam vero ipsius Michael Studita ejus Discipulus aliquanto post scripsit. Ejusdem memoriam Ecclesia Græca ipsa die undecima Novembris, & Ecclesia Latina die sequente colit.

vit. n. 131. Combef. to. 2 Auct. Bibl. p. 855. Mart. Rom. 12. Nov. Menol. 11. Nov.

§. IX.

S. Theodori Testamentum.

Præter illud Testamentum, cujus supra meminimus, reliquit & aliud amplius, quod Platone adhuc dum in vivis agente scripserat. In eo leguntur primo Fidei ipsius Confessio, tum multa ad Abbatem Successorem suum & Monachos suos monita, tanquam totidem Instituti Monastici præcellentes Regulæ. Ad Abbatem dicit: *Non possidebis ex Mundo hoc*

Sup. Lib. XLVI. §. 38 Oper. init. p. 80. c. 7.

ronii Annalibus subtecta . . . abunde docent. Econtra, idem Sanctus Theodorus Caveo Anglo in Sæc. Phot. est homo petulans, superbia inflatus, Regimini Ecclesiastico, ac rebus maximi momenti, illotis manibus, sese immiscens.

Sæculum IX. A.C. 826.

quicquam ne quidem unicum argenteum.
Non divides animum & cor tuum alii
curis & solicitudinibus, sed totum t
fratribus & filiis spiritualibus dabi
Non erogabis in propinquos aut amicos
olim tuos ex Monasterii rebus quicquam.
Non possidebis Servum, nec tuos in usu
nec proprii Monasterii, nec ad agros ex
colendos, hominem qui ad imaginem De
factus est. Christi exemplo pedibus ito
facies, aut pullus asini erit jumentum
tuum. Curabis ut Fratribus omnia sint
communia usque ad usum acus. Non
frequenter egredi proprium ovile defe
rens sine necessitate. Catechesin se
Collationem non omittas ter qualibet
hebdomada vel per temetipsum vel per
alium quempiam. Non ineas amicitiam
cum Canonica; neque ingrediare Mona
sterium illarum. Non aperies ostium
Monasterii tui ad intromittendam fe
minam ullam sine magna necessitate.
Non loquaris mulieri nisi cum duabus
ab utraque parte personis astantibus.
Si fieri possit, mulieri extra mutuum in
spectum loquere. In domo Sæculari, in
qua etiam mulieres sint, non diverse
beris. Non habebis in cella tua Disci
pulum adolescentem, sed ministeria tua
obeant diversi fratres. Non uteris ve
stimento pretioso, præterquam Sacerdo
tali. Non eris delicatus ac lautus ne

que

que in privato sumtu tuo; neque cum Hospites recipis. Non recondas aurum in Monasterio tuo, sed quidquid in unoquoque genere redundabit indigentibus largire. In œconomos & cellerarios curam rerum domesticarum transferas, tibi curam animarum reserves; rationem tamen uniuscujusque administrationis exiges. Non facies vel ages quicquam in re ulla, sive ad animam spectet, sive ad corpus ex judicio proprio. Sed aliorum judicium duorum vel trium, prout subjecta res postulat, adhibebis. Ex his monitis dispicere licet, qualis viris piissimis in Oriente vitæ Monasticæ Idea fuerit. Sæculum IX. A. C. 826.

Eadem Doctrina deprehenditur in Epistola Theodori ad Moniales, quæ ab ipso aliqua oratione erudiri petierant. *Hortor vos itaque*, inquit, *non ad ea quæ circumstant exempla intueri, maxime vero non ad simulatam, quam pleræque moniales præferunt, conversationem tepidam, sed ad egregia exemplaria Sanctorum, quorum vitas habetis præ manibus. Quandoquidem nec pictor ex deformibus, sed ex decoris imaginibus ac vetustate conspicuis imaginem expresserit.*

§. X.

S. Theodori Opera.

Cetera S. Theodori Opera, ut ea enumerat

Sæculum IX. A. C. 826.

merat Michael Studita, erant parva & magna Catecheſis, Volumen panegyricum in dies Feſtos Domini, nec non Deiparæ, & S. Joannis Baptiſtæ, Liber verſibus jambicis de primis hominibus usque ad Noe & filiis ejus, libri quinque Epiſtolarum, Liber Dogmaticus contra Iconomachos, & Inſtitutiones ad Monachos ſuos verſibus Jambicis. Habemus Catecheſim parvam centum triginta quatuor ſermonibus diſtinctam in dies Feſtos totius anni, & in alia pietatis Chriſtianæ argumenta. Magna Catecheſis eſt inſtitutio amplior de officiis Monachorum necdum translata nec edita. At publicæ lucis factæ ſunt ducentæ ſeptuaginta quinque epiſtolæ in duos Libros diviſæ, & integra collectio mille circiter epiſtolarum fuiſſe videtur. Item ſuperſunt aliqua opera adverſus Iconomachos, & centum viginti quatuor Epigrammata verſibus Jambicis. Græci complures cantus ſuos Eccleſiaſticos ipſi tribuunt.

n. 33. *Auct. Biblio. PP. Pariſ. to.* 2. *p.* 1280. *Elench. oper.*

Antirrh. II. n. 38.

S. Theodorus Concilii Trullenſis ubique reverenter mentionem facit, quod partem eſſe putaret Concilii Oecumenici ſexti, quæ opinio omnibus Græcis communis erat. Verum de Concilio Niceno ſecundo in epiſtola ad Arſenium dicit: *Roma Synodum non habuit pro Oecumenica ſed pro locali, & quæ proprium locorum iſtorum errorem emendaſſet.* Ne-

1. *epiſt.* 27.

1. *ep.* 38.

que

Sæculum IX. A. C. 826.

que enim aliorum Patriarcharum Vicarii erant, qui pro iis sedebant. Romani autem non propter Synodum, sed ob aliam causam huc missi venerant; quare & depositi, ut fertur, post reditum fuerunt ab eo qui miserat, quamvis coactos se fuisse causarentur. Alii quidem ex Oriente adfuerunt, sed a nostratibus persuasi & inducti non autem a Patriarchis missi, qui nihil hac de re, ne postea quidem scilicet ob metum Arabum, sciverunt. Hoc autem idcirco faciebant homines nostri, ut Hæresi adhærentem populum facilius ad orthodoxam Fidem pertraherent, si persuasissent, Oecumenicam esse Synodum. Cum Theodorus in Oriente in hunc modum loqueretur, non est obstupescendi locus, in Francia Concilii Niceni secundi Auctoritatem difficulter fuisse receptam. At vero hanc ipsam Synodum fuisse Oecumenicam Theodorus posteriore tempore professus est, nam in pluribus epistolis suis Oecumenicam vocat, & dicit, a quinque Patriarchis fuisse receptam. Tandem Petro Episcopo Niceno reconciliationis suæ modum cum Nicephoro Patriarcha referens ait: *Dixerunt, nos a Tarasio descivisse, & S. Concilium Nicenum secundum locale appellare, sed jam probavimus, & illum in Sanctis Patribus a nobis haberi, & nos Synodum Oecumenicam verbis scriptisque con-*

II. ep. 162. 166. 72.

II. ep. 127. *vit.* 120.

Sæculum IX. A. C. 826.

confiteri. Licet uſpiam aliquando quibusdam aliter reſponderimus; quæ quidem non oportet, ſicut nec ea, quæ tum aliter acta fuerunt, nunc inquirere & refricare. Id enim tumultus cauſam præbet, nec ullum emolumentum affert.

§. XI.

Concilium Romanum.

to. 8. p. 103. Romæ Eugenius Papa celebravit Concilium, cujus Decretum decima quinta Novembris, anno Imperatoris Ludovici decimo tertio, Lotharii decimo, Indictione quarta, nempe anno octingenteſimo vigeſimo ſexto datum eſt. Adfuerunt cum Papa Epiſcopi ſexaginta duo, omnes ex Italia & illis Provinciis, quæ Francis parebant. Primus erat Petronax Ravennas. Adfuerunt etiam Presbyteri octodecim, Diaconi ſex, & complures Clerici. Theodorus Diaconus nomine Pontificis legit brevem ſermonem, qui toti Conſtitutioni pro præfatione eſſet, eumque ex Concilio Gregorii ſecundi mutuaverat. Unde conjecturæ locus eſt, Romanos illa ætate nec orationem in promptu proferre, nec de ſua penu quidquam depromere potuiſſe. Tum Canones triginta octo editi, plerique ad emendationem Clericorum ſpectantes. Presbyteros officium ſuum ignorantes Epiſcopus admoneat, & ſuſpendat, ut tempus habeant, quo erudiantur, & ſi hæc

Snp. l. XLI. §. 39.

c. 4.

si hæc indulgentia nihil profecerit, etiam deponantur. Metropolita eandem industriam ad corrigendos suos Suffraganeos adhibeat. Magnam illorum temporum ignorantiam fuisse in Italia necesse est; hinc etiam in illo Concilio præcipitur, ut scholæ instituantur in Ecclesiis Cathedralibus, in Parochiis, aliisque locis, ubi necessariæ viderentur. Prope Ecclesias Cathedrales Claustra extruantur, in quibus Clerici vitam communem ducant, habeantque Præpositos idoneos & Episcopo subjectos. Hæc vi Decretorum Concilii Aquisgranensis circa Canonicos acta videntur. Episcopi Parochos ignotos non immittant, non explorato incolarum consensu. Nec Presbyteros ordinent nisi eis certos Titulos & Ecclesias destinent, ne in domibus Sæcularium manere cogantur. Sæculum IX. A. C. 826. c. 34.

Presbyteri usuras non accipiant, non venentur, non occupentur labore rurali, & si domo egrediantur, ubique veste Sacerdotali incedant, ut ad opera Ecclesiastica semper parati sint, & Sæcularium hominum insolentiæ non pateant. Veteres boni non vetabant, Presbyteros agriculturæ operam dare, ut vidimus in S. Felice Nolano, quem S. Paulinus tantopere deprædicavit. Forsitan ob Barbarorum dominatum hic labor in opinione hominum jam tunc viluerat. Episcopi *Sup. add. an. 2. to. Lib. VIII. n. 51.* c. 19.

Sæculum IX. A. C. 826.

pi & Clerici habeant Procuratores, qui
suas & Ecclesiarum suarum causas in ju-
dicio agant, ne ipsi a functionibus Eccle-
siasticis abstrahantur. Verum in crimi-
nalibus per se ipsos causam dicant. Pres-
byteri non teneantur in judicio testes
esse, nisi sint testes necessarii. Episcopi
bona Parochiarum aut aliorum piorum
locorum in usus proprios non conver-
tant, nec exigant quidquam ultra quam
antiqua consuetudine accipere licuit.
Presbyteri nullius oblationes recipere
recusent. Id forsan privatæ vindictæ
causa non nunquam fiebat.

c. 20.
c. 13.
c. 16.
c. 26.
c. 17.

Fundatores possint constituere Pres-
byteros in illis Monasteriis vel Oratoriis,
quæ fundaverint, accedente Episcopi
consensu, cui illi Presbyteri subsint.
Abbates sint Presbyteri, ut majore aucto-
ritate præsint. Episcopi corripiant Mo-
nachos, qui vestem quidem gerunt, sed
Monachorum mores non exhibent, & ad
observandam Regulam compellant. Ac
e Monasterio dimittatur Monachus, qui
vi adhibita immissus fuit, nisi id merito
suo & ob commissum crimen ipsi obtige-
rit. Quædam personæ, maxime autem
feminæ in balneo corpus lavando, cantio-
nes obscenas recitando & saltitando dies
Festos consumebant; præcipitur Presby-
teris, ut hæc scandala tollant.

c. 21.
c. 27.
c. 28.
c. 23.

§. XII.

Sæculum IX.
A. C. 827.

§. XII.

Eugenii II. Obitus. Valentinus Papa.

Eugenius Papa anno sequente octingentesimo vigesimo septimo vigesima septima Augusti obiit. Cumque vacasset Sedes diebus non amplius quatuor, electus est Valentinus, & in Dominica, die prima Septembris ordinatus. Erat patria Romanus Petri Filius, atque in Palatio Lateranensi enutritus, Subdiaconus ordinatus est a Paschali Papa, qui eum ab obsequiis habere voluit, & postea Diaconum ordinavit. Eundem Eugenius Papa amavit ut filium, quem a latere suo avelli non patiebatur. Valentinus Archidiaconi officio fungebatur, quando ad summum Pontificatus apicem promotus est; sed ecce! decima Octobris excessit e vita, cum sedisset sex non amplius septimanis. Sacra Sedes reliquo hujus anni tempore vacavit. *Papebr. Con. Anast.*

§. XIII.

Hilduinus & Eginhardus Reliquias transferunt.

Illa tempestate complures Reliquiarum translationes in Historia Ecclesiastica celebres contigerunt. Hilduinus Abbas S. Dionysii in Francia, & Archicapellanus, Abbatiæ S. Germani de pratis quo- *Sup. lib. XLVI. n. 53. Act. SS. Bened. to. 5. p. 287. Boll. to. 2. p. 278.*

Sæculum IX. A. C. 827.

que & S. Medardi Sueſſione præerat. Is Romam profectus anno 824. Eugenii Papæ amicitiam ſibi conciliavit; quod Rodowino ad S. Medardum Sueſſione Præpoſito præbuit occaſionem Abbatem ſuum excitandi, ut quasdam Reliquias inſignes Roma ad ſuum Monaſterium transferri curaret. Ille ipſum Rodowinum illo mittit cum litteris Ludovici Imperatoris commendatitiis ad poſcendum Corpus S. Sebaſtiani. Primum repugnabat quidem Pontifex; ſed ne Imperatorem ſibi redderet offenſum, cuidam Epiſcopo, nomine Joanni in mandatis dedit, ut Sancti ſepulchrum, quod extra Romanam Civitatem erat, aperiret. Eductum eſt corpus & translatum ad S. Petrum, unde illud Rodowinus ad Monaſterium Abbatis Ingoaldi, id eſt Farvenſe, & inde in Franciam deportavit. Tandem Sueſſionem pervenit, ubi Reliquiæ in Eccleſia S. Medardi, ſecunda Dominica Adventus, nona Dec. anno octingenteſimo vigeſimo ſexto maxima celebritate exceptæ ſunt. Multa miracula in itinere & his plura, Reliquiis in Eccleſia depoſitis, patrata narrantur. In Hiſtoria hujus Translationis legitur, Rodowinum etiam corpus S. Gregorii Papæ, cuſtodibus pecunia corruptis, clam abſtuliſſe. Nihilominus hodieque hoc Corpus atque etiam S. Sebaſtiani apud ſe ſervant

Tillemont. art. to. 4. p. 535.

Sup. eod. n. 53.

c. 15.

vari Romani contendunt; unde sequitur, vel Romanos Francorum simplicitati illusisse, dum alia corpora pro Reliquiis S. Sebastiani & S. Gregorii supposuerunt, vel illorum corporum particulas tantum Suessionem fuisse allatas; quod Ado illius ævi Scriptor de S. Sebastiano diserte affirmat. Sæculum IX. A. C. 827. *Ado Chro.*

Eginhardus Caroli Magni epistolis præfectus, inter Proceres clarissimus, scientia & virtutibus inclytus, defuncto Principe secessit, & relicta uxore quasdam Abbatias regendas suscepit. Ex illis Monasteriis alterum erat Michlenstadense inter Mœnum & Neccarim positum, ubi curavit condi Monasterium, & cupiens habere Reliquias alicujus Sancti, cui dedicaretur, Romam misit Ratlaicum Notarium suum cum quodam Diacono Romano, nomine *Deusdona*, qui receperat, se ei Reliquias daturum. Cum in itinere Suessionem divertissent, quidam Presbyter nomine *Hun*, Hilduino jubente, se viæ comitem adjunxit, ut S. Tiburtii corpus afferret. Ubi Romam pervenerunt, Diacono *Deusdona* fidem fallente, Cæmeteria extra civitatem scrutari cœperunt, & inventa corpora SS. Marcellini & Petri illustrissimorum Martyrum clam abstulerunt, cum pulvere, quem de corpore S. Tiburtii supereſſe crediderunt; illud enim jam antea surreptum

Reliquiæ transferuntur. *Act. SS. Ben. to. 5. p. 414. Hist. Transl. ap. Sur. 2. Jun. Boll. to. 1. Jun. p. 181. Tillemont. to. 5. p. 199. 663.*

Sup. l. VIII. §. 47. Tillem. to. 5. p. 199.

Sæculum IX. A. C. 827.

reptum fuerat. Præterea a *Deusdona* acceperunt aliqua ossa SS. Martyrum Marii & Marthæ uxoris, Audifacis & Habacuc filiorum eorum, quos Ecclesia decima nona Januarii colit. Ergo Ratlaicus corpus S. Petri & partem corporis S. Marcellini Michlenstadam attulit; quippe *Hun* furatus aliam partem, eam Suessionem cum ceteris Reliquiis detulerat. Hæc mense Octobri anno octingentesimo vigesimo septimo agebantur. Easdem Reliquias deinde Eginhardus transferri jussit ad Monasterium Mulinheimense, cui etiam præerat, duobus miraculis sibi satis indicatum ratus, Dei placitum non esse, ut Michlenstadæ permanerent. Auctoritate Hilduini interposita effecit, ut *Hun* partem de corpore S. Marcellini surreptam restituere cogeretur, eique insuper *Deusdona* Reliquias S. Hermetis, S. Proti & S. Hyacinthi Roma transmisit.

v. Boll. 19. Jon. to. 2.

Mart. Rom. 28. Aug. 11. Sept.

Ab ipso Eginhardo prolixe scriptam habemus historiam hujus Translationis, in qua enarrat magnum numerum miraculorum, quibus hæ reliquiæ claruerunt in omnibus locis, ad quæ delatæ sunt; nam earum particulas quibusdam Monasteriis donavit. Ex narratione hujus historiæ satis dispicimus, quanto devotionis fervore Christiani in illo Sæculo Reliquias coluerint, & quanto desiderio eas

eas habendi flagraverint. Non labori, non sumptibus parcebant, sed ad eas acquirendas curam maximam conferebant. Illud vero negari non potest, quosdam usque adeo huic zelo indulsisse, ut modum non tenerent, cum variis fraudibus ad rapiendas Reliquias uterentur, & alter alteri eas furaretur. Nec forte erraret, qui diceret, in eodem spiritu tunc temporis tot Martyrum aliorumque Sanctorum acta fuisse conscripta, tum ut vetera ornarentur & augerentur, tum ut nova invenirentur, ubi deficiebant antiqua, ne in Festis Sanctorum recens translatorum Lectiones deessent. Haud diu post Monasterium Mulinheimense inde nomen *Seligenstadt*, quod hodieque retinet, accepit. Sæculum IX. A. C. 827.

§. XIV.

Ansegisus Abbas Fontanellensis.

Eginhardus præter alias Abbatias Fontanellensem seu *S. Vandrille* tenebat, quam cum post annos septem sponte sua abdicasset, eam Ludovicus Imperator dedit Ansegiso Monacho, quem sub Eginhardo Architectis suis præfecerat. Ansegisus ex nobili Francorum prosapia ducens originem Fontanellam accessit adolescens Regiminis locum tenente Girowaldo seu Gerwoldo, a quo non multo post ad Aulam perductus, & Carolo Magno traditus est. Ei Carolus duo Cœ- *vit. S. Anseg. to. 5. Act. p. 630.*

Sæculum IX. A.C. 827.

nobia, unum S. Sixti in Suburbio Rhemensi, quod hodie intra mœnia continetur, & in Parochiam erectum est, alterum S. Memmii apud Catalaunum, quod hodie Canonici Regulares tenent, contulit, quæ cum aliquamdiu rexisset Ansegisus, ea reliquit, & a Carolo Abbatiam Flaviacensem, seu S. Geremari in Diœcesi Bellovacensi anno octingentesimo septimo obtinuit. Erat tunc hoc Monasterium ædificiis pene destitutum & in summam egestatem redactum; sed intra breve temporis spatium illud penitus restauravit. Cum agriculturæ esset studiosus nunquam non habebat horrea frumento variisque frugibus abundantia, quæ liberali animo in indigentes spargebat, nam vir mitissimus omni quo poterat modo necessitatibus proximi subveniebat. Carolo Magno fatis functo Ludovicus Imperator sæpe in Legationibus ejus operâ usus eundem Monasterio Luxovienſi anno octingentesimo decimo septimo, Regni sui quarto, item Fontanellensi anno octingentesimo vigesimo tertio, præter Geremarense, quod retinebat, præfecit. Itaque simul tribus Abbatiis fruebatur, quibus vero novam & meliorem formam dedit.

Cum munere Abbatis Fontanellæ fungeretur Ansegisus tot præclara gessit, ut redivivus Wandregisilus aut Ansbertus

tus, magna Fontanellæ lumina, haberi posset. Sub ejus decessoribus quibusdam duris & negligentibus, quia Monachis necessaria non dabant, Status Regulæ S. Benedicti jam prope casurus videbatur, collabebantur ædificia, laxabatur Disciplina, Regulæ oblivio succedebat. Ansegisus e Luxovio Monachos Dei timentes evocavit, qui monasticas leges jam pæne Fontanellæ abrogatas non minus factis quam verbis edocerent. Commodissimum dormitorium construi jussit, Refectorium quoque & Capitulum, quæ variis picturis a Madalulfo Ecclesiæ Cameracensis pictore celebri decorari curavit. Ut a Monachis omnis querulandi tolleretur occasio, communicato cum ipsis consilio omnia quæ ad victum & vestitum erant necessaria, constituit, & prædia assignavit, ex quibus fruges, quantum opus esset, atque ad reliqua necessaria coemenda etiam parata pecunia suppeditarentur. Præterea tribus suis monasteriis vasorum pretiosorum, ornamentorum Ecclesiæ, & librorum magnam copiam præcipue ex operibus SS. Patrum donavit.

Sæculum IX. A. C. 827.

S. Ansegisus.

p. 659.

Ansegisus Abbas, cum videret Capitularia Caroli Magni & Ludovici filii ejus in pluribus foliis pergamenis separatis esse dispersa, veritus ne labentibus temporibus ex hominum memoria delerentur,

Præf. Cap.

Sæculum IX, A.C. 827.

tur, eorum Collectionem anno octingentesimo vigesimo septimo Indictione quinta, anno Ludovici regnantis decimo tertio edidit, quam in Libros quatuor divisit. Primus in articulis centum sexaginta duobus complectitur Caroli Magni Capitularia, quæ ad causas Ecclesiasticas pertinent. Liber secundus complectitur Capitularia Ecclesiastica Ludovici in articulis quadraginta octo, tertius articulis nonaginta & uno Capitularia Caroli ad res profanas pertinentia, & quartus articulis septuaginta septem Capitularia Ludovici itidem ad res Sæculares spectantia. Ad finem Libri quarti tres additiones Capitularium imperfectorum vel renovatorum subjunxit. Hæc Ansegisi Abbatis Collectio exinde semper celeberrima extitit, & statim post Capitularia Ludovici Imperatoris atque Successorum ejus, tanquam Auctoritate publica pollens, citata legitur.

Collectio Capitularium.

Baluz. præf. n. 41. 42.

Eodem anno octingentesimo vigesimo septimo S. Hildegrimus Ludgeri frater Episcopatus sui anno quadragesimo septimo migravit ad Dominum. Is Catalauni ad Matronam Episcopus inter primos illos viros fuit, quos Carolus Magnus ad Fidem Christianam in Saxonia prædicandam elegit. Cum eum initio Carolus Salingestadium misisset, ubi Monasterium S. Stephani honori sacrum fundaverat,

Chr. M. S. ap. Mabill. to. 5. Act. p. 618.

v. Sup. lib. XLV. §. 31.

daverat, ipse Sedem suam deinde transtulit Halberstadium, ubi Ecclesia necdum satis stabilita, triginta quinque tamen parochias instituit. Sæculum IX. A. C. 828.

§. XV.

Gregorius IV. Papa.

Valentino Papa fatis functo Sacra Sedes tres prope menses vacavit, quia licet ejus Successor Gregorius titulo S. Marci Presbyter electus fuisset, Consecratio tamen dilata fuit, dum Ludovicus Imperator consuleretur. Is Mandatarium Romam misit, qui cum electionem examinasset & approbasset, Gregorius IV. die Dominica, Vigilia Epiphaniæ, quinta Januarii anno octingentesimo vigesimo octavo Papa ordinatus est, & Sedem Sacram tenuit annis sexdecim. Eum natione Romanum, genere clarum, Joannis filium, Paschalis Papa Subdiaconum, & deinde meritis insignem, Presbyterum ordinavit. Eugenio & Valentino ejus Successore intra breve temporis spatium mortuis Romani unanimiter ad Gregorii pia facta conversi reluctantem eligunt. Complures reparavit Ecclesias, & largis oblationibus auxit. *Astron. an. 827. Ann. Bertin. 827. Papebr. Anast.*

Gregorius Corpus S. Gregorii Papæ, cujus nomen gerebat, ex vetusto sepulchro, quo conditum fuerat, nempe ex porticu Basilicæ S. Petri, in ipsam Eccle- *Joa. Diac. IV. vit. S. Greg. c. 80.*

Sæculum IX. A.C. 828.

siam transtulit, ubi ejusdem nomini consecravit Oratorium, cujus Absidem aurato & musivo opere pinxit, Altare vero undique argenteis tabulis ornavit. Sub illo Altari depositio corpore, singulis annis S. Gregorii Festum celebrabatur, & ejus Pallium, theca reliquiarum, & cingulum ipsa paupertatis nota venerabile Fidelibus exhibebantur, quibus osculum infigerent. Eo pariter transtulit corpora S. Sebastiani & S. Tiburtii ex cœmeteriis educta, & quodlibet subter separata Altaria collocavit. Ex hac narratione Anastasii Bibliothecarii illo tempore Romæ degentis dispicitur, quod dixi, fieri non potuisse, ut integra Sanctorum corpora, sed solummodo partes in Franciam translatæ fuerint; nisi dicamus, quod Romani Francos ludifecerint.

Sup. lib. XXXVI. §. 51.

Anast.

Gregorius Papa Ecclesiam quoque S. Marci, ruinam minantem, cujus titulo Presbyter insignitus fuerat, a fundamentis restituit, eique dona pretiosissima, quibus Ciborium seu tabernaculum argenteum librarum mille accensendum est, obtulit. Illo etiam corpus S. Hermetis transtulit, qua occasione usus Eginhardus digitum hujus Sancti Martyris industria *Deusdona* Diaconi obtinuit. At vero Pontifex non reparandis solum Ecclesiis intentus fuit, sed quod majus est, Civitatem Ostiensem adversus incursiones

Eginh. l. IV. transl. S. Marc. c. 25.

nes Sarracenorum ex omnibus Insulis orisque vicinis prædas agentium munivit. Sæculum IX. A. C. 828.

§. XVI.

Musulmanni in Creta.

Nec sine causa Gregorius Papa timebat Italiæ suæ; quippe Musulmanni in Hispania, cujus pars non admodum fertilis est, cum tot alendis hominibus solum non sufficeret, colonias emiserunt, bello civili inter Michaelem & Thomam exorto ipsorum molimini favente. In complures Insulas appulsis nullæ obsistebant naves, quo minus milites immitterent, nam cunctæ ad Constantinopolitanæ urbis præsidium fuerant advocatæ. Cum igitur exploraſſent, quam fertile solum esset in Creta, anno sequente redeunt. Tum omnibus viris in terram expositis Dux eorum naves flammis comburi jubet, ut præcisa spe reditus, sibi victoria ibi sedes esse quærendas scirent. Photino Protospathario, quem Imperator cum copiis illo miserat, prœlio victo, urbem in loco *Candax* ab incolis dicto moliuntur indice Monacho. Hæc nempe Candia est, a qua tota Insula nomen accepit. Inde in Insulam effusi Sarraceni armis suorum præsidio destitutam sibi subjiciunt. Triginta civitates deditionem fecerunt, ex quibus una tantum mores suos

Post. Theopha lib. II. n. 21. p. 46.

Sæculum IX. A. C. 828.

suos & Religionem Christianam retinuit. Illo tempore Cyrillus Episcopus Gortynensis Martyrium passus est, quod JEsu Christi Fidem abjicere noluisset. Eum non nulli Scriptores cum antiquo Episcopo sub Decio Martyrii palmam adeptum confuderunt, quem alii in Ægypto passum dicunt.

§. XVII.

Musulmanni in Sicilia.

In alia orbis parte Musulmanni ex Africa in Siciliam appulsi Panormum ceperunt. Elapsis aliquot annis Turmarchus aliquis, seu militum in Sicilia Tribunus, nomine Euphemius, cujusdam Monialis amore captus, e monasterio raptam in matrimonium accepit. Tunc vero puellæ fratres querelam contra Euphemium deferunt ad Michaelem Imperatorem, simili sacrilegio pollutum; quandoquidem Tecla uxore sua elata tori consortem sibi delegerat Euphrosinam, filiam Constantini, ex Irene geniti, in Insula Principis institutum monasticum professam. Nihilominus recepto accusationis libello, & mandatis ad Strategum, seu Siciliæ Præfectum, missis præcepit, ut si crimen probaretur, lege in eum ageret, juberetque, naribus mutilari. Euphemius autem cognito periculo milites & quosdam Duces in seditionis socie-

Chr. Cass I. c. II. Post Theoph. n. 27.

c. 24.

societatem trahit, Strategum, ut imperata faceret, venientem repellit, & ad *Emir* (*) seu Satrapam Africæ confugit. Pactis quoque initis promittit Saraceno, Siciliam se ei traditurum, & annui tributi nomine pecuniam multam exsoluturum, si sibi Imperatoris nomen concederet, & militum auxilia suppeditaret. Satrapa haud sane paucas ei copias dedit, quibus auctus Euphemius Syracusas venit summi imperii insignibus conspicuus. Verum ipso post breve tempus in eadem civitate perempto Sarraceni, Sicilia potiti, exinde oras maritimas Calabriæ & Longobardiæ, nempe tam Græcis quam Francis subjectas, infestantes, & frequentissime a piraticis navibus excurrentes, quocunque pervenissent, perniciem afferebant. Sæculum IX. A. C. 828.

Ergo ut Sarracenis incurrentibus firmos muros opponeret Gregorius, & ostia tiberina muniret, urbem Ostiensem totam prope collapsam restaurare aggressus est. Eam a fundamentis eduxit, muris prælatis, & vallis profundis circumdedit. Ingruentes hostes cataractæ a portis, & baliste saxa prægrandia contorquentes a muris arcebant. Hanc Papa de suo nomine Gregoriopolim dixit; nec ullus

(*) *Emir* dicebantur, ex genere Mahometis oriundi.

Sæculum IX. A. C. 828.

ullus Anteceſſorum ejus opus, quod huic par eſſet, utilitati publicæ conſecraverat.

§. XVIII.

Cauſa Abbatis Farvenſis.

le Blanc. diſ. hiſt. n. p. 161.

Gregorio IV. Papa ſedente Ingoaldus Abbas Farvenſis obtulit libellum ſupplicem Imperatoris Delegatis, qui ſententiam pronunciarunt ipſi faventem; res autem ita ſe habuit. Cum Joſephus Epiſcopus & Leo Comes ex Ducatu Spoletano, jubente Ludovico Imperatore miſſi ad judicandam illam cauſam Romam pervenissent, & pro tribunali ſederent in Palatio Lateranenſi, præſente Gregorio Papa, quem comitabantur Leo Epiſcopus & Bibliothecarius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Theodorus Epiſcopus, Petrus Dux Ravennatenſis & plures alii ibi nominati, Ingoaldus Abbas Monaſterii S. Mariæ in Acutiano Territorii Sabinenſis (ſcilicet Farvenſis) quem comitabatur Adulfus orator ſuus, expoſuit, quod Pontifices Hadrianus & Leo vi adhibita invaſiſſent hujus Monaſterii poſſeſſiones & Bona, fundos nempe; nam quinque deinde nominantur. Subjunxit Abbas: *Hæc bona nobis reſtitui cum ſæpe, ſedentibus Stephano, Paſchale & Eugenio, poſtularemus, id tamen obtinere non potuimus. Nunc igitur, ut æquitas petit, & vobis ab Imperatore*

peratore mandatum est, ea nobis resti- Sæculum IX.
tuite. A. C. 829.

Delegati Gregorium Papæ Procuratorem interrogant, quid ad hæc responderet. Ille dixit: *Verum quidem est, quod hos fundos nomine Ecclesiæ Romanæ teneamus, sed legitime, quoniam eorum dominium ad Monasterium S. Mariæ nunquam pertinuit.* Tum Delegatis jubentibus, ut Ingoaldus postulationis suæ argumenta afferret, ille Donationes a Desiderio Rege & Carolo Imperatore confirmatas protulit. Cum deinde Judicium in sequentem diem dilatum fuisset, produxit testes omni exceptione majores, qui dixerunt, se esse memores, quod Monasterium S. Mariæ tempore Longobardorum, & postea regnante Carolo Imperatore, illorum fundorum, de quibus jam sermo esset, possessionem habuisset. His auditis Delegati judicarunt, Mandatarium Papæ hos agros Mandatario Monasterii debere restituere. Ille vero id facere detrectavit, & ipse Papa dixit, non posse se eorum sententiæ acquiescere, donec cum ipsis in conspectum Imperatoris veniret. Postquam Papa hoc edixisset, Delegati hujus judicii Actum conscribi jusserunt, quod hodieque inter Tabulas Farvenses ad jura Monasterii conservanda exhibetur; datum est vero Romæ, anno Ludovici Imp. decimo

Sæculum IX. A. C. 828.

cimo sexto, Indictione septima, mense Januario, seu anno Salutis reparatæ octingentesimo vigesimo nono.

§. XIX.

S. Nicephori Constantinopolitani Obitus.

Boll. 13. *Mart. to.* 7. *p.* 293. *Labe Script. to.* 1. *p.* 102.

In Oriente Nicephorus Patriarcha obiit in loco exilii sui, anno postquam e Sede sua Constantinopolitana fuisset detrusus decimo quarto, seu a reparata Salute octingentesimo vigesimo octavo, die secunda Junii anno ætatis suæ circiter septuagesimo. Complures nobis reliquit Libros, videlicet, Historiæ compendium ducentorum ferme annorum a morte Mauritii Imperatoris usque ad Irenem & Constantinum, item Catalogos Chronologicos Patriarcharum, Regum & Principum Hebræorum, Græcorum & Romanorum, tum Patriarcharum, qui Sedes quinque Ecclesiæ majores tenuerunt. Aliqua opera Nicephori contra Iconomachos scripta occurrunt, atque etiam ipso Auctore editi creduntur septendecim Canones, ex quibus unus prohibet, ne ille Sacris initietur, qui usque ad annum ætatis suæ vigesimum illis vitiis, quibus juvenes immergi solent, deditus fuerit, etiamsi conversus videatur. Nicephorus inter Sanctos colitur decima tertia Martii, qua die ipsius Reliquiæ, annis octo-

Bibl. PP. Paris. to. 6. *p.* 135.

Mart. Rom

octodecim post obitum ejus, Constantinopolim delatæ sunt. Sæculum IX. A. C. 828.

§. XX.

Claudius Taurinensis Iconoclasta.

In Francia quoque Sacræ Imagines hostem habuerunt Claudium Episcopum Augustæ Taurinorum. Is natione Hispanus, Felicis Urgelitani Discipulus, olim Presbyteri officio in Aula Ludovici Imperatoris functus, illam laudem adeptus fuerat, quod in Sacrarum Scripturarum scientia esset eruditissimus. Anno octingentesimo decimo quarto scripsit Commentariorum libros tres in Genesim, anno octingentesimo vigesimo primo in Exodum quatuor, rursusque alios in Leviticum anno octingentesimo vigesimo tertio, rogatus a Theodemiro Abbate amico suo, qui Congregationi centum quadraginta Monachorum sub Regula S. Benedicti militantium præerat. Præter memorata Claudius scripsit Commentarium in S. Matthæum, quem anno octingentesimo decimo quinto Justo Abbati Carroviensi dedicavit. Omnes S. Pauli epistolas explicavit. Dructerano Abbati Soliniacensi Expositionem Epistolæ ad Galatas, & Ludovico Imperatori Expositionem Epistolæ ad Ephesios inscripsit. *Mabill. præf. 1. Sæc. 4. n. 23. & to. 1. Annal. p. 45. Coint. an. 828. n. 53. 54.*

Sæculum IX. A. C. 828.

Ludovicus Imperator, cum sciret, magnam populi partem in Italia veritatem Evangelicam non esse satis edoctam, Claudium jussit ordinari Augustæ Taurinorum Episcopum, qui primum prædicare & docere studiosissime cœpit. Inter alios abusus, quos oppugnare oportebat, patebat cultus imaginum nimius; is enim in superstitionem degenerabat. Hunc ut emendaret Claudius, cum medium tenere debuisset, ad partem alteram extremam deflexit, & zelo a prudentiæ & discretionis regulis alieno omnes imagines & cruces ex omnibus Ecclesiis suæ Diœcesis delevit, confregit, eliminavit. Qua re comperta Theodemirus Abbas urgente charitate virum admonuit data epistola, in qua asserebat, servandas esse icones, quamvis affirmare non auderet, esse etiam adorandas. Claudius his amici sui monitis fastidiose & superbe respondit datis litteris, quibus titulum imposuit: *Apologia contra Theodemirum*, in ea loquitur in hunc modum: *Episcopatum suscipere compulsus, cum Taurinum veniissem, Ecclesias omnes abominatione & imaginibus plenas inveni. Nunc vero, quia ego solus cœpi destruere, quod omnes adorabant, omnes maledicta in me conjiciunt.* Et post alia, *dicunt: non credimus imagini, quam adoramus, numen ineſſe, sed eam colimus in honorem illius, quem*

ap. Dung. Auct. Bibl. PP. Paris. to. 2. p. 900. Claudii Apologia.

quem repræsentat. Respondeo: si, qui cultum Dæmonum abjecerunt, Sanctorum imagines colunt, nondum reliquerunt Idola, nec rem sed nomen mutaverunt. (*) *Sive enim in pariete imagines S. Petri & S. Pauli, sive effigies Jovis, Saturni aut Mercurii pingatis, nec Dii sunt, nec Apostoli, nec Homines. Itaque eidem errori aliud nomen datis. Si vero homines adorare* (**) *oportuit, profecto cum viverent potius adorandi erant, utpote Dei imago, quam post mortem, cum lapidibus similes facti sunt. Et si non licet adorare opera Dei, multo minus opera hominum adorare fas erit.* Sæculum IX. A. C. 828.

Cultum Crucis speciatim oppugnabat dicens: *Si Crux adoranda est, quia JEsus Christus ei affixus fuit, quantam rerum multitudinem eodem cultu prosequi debebimus? nam in cruce sex non plus horis pependit, sed in sinu Virginis Matris suæ novem mensibus fuit. Ergo nobis adorandæ sunt feminæ Virgines, præsepia, quia ibi fuit depositus, lintea, quia iis fuit involutus, cimbæ, quia iis sæpe vectus est,*

(*) Istud nullo modo sequitur; quia nec imaginem, nec hominem per imaginem repræsentatum, Deum esse credunt, nec cultum, soli Deo competentem, exhibent.

(*) Quin imo, Fideles semper etiam vivos homines pios & sanctos honorarunt, & rogarunt, ut pro se apud Deum intercederent.

Sæculum IX. A. C. 828.

asini, quia in aliquo sedit, agni, leones, lepides, quia bis nominibus sæpe significatur, spinæ, arundines, lanceæ, quia passionis ipsius instrumenta fuerunt. Non præcepit Christus hominibus Crucem adorare, sed eam portare, videlicet propriæ voluntati renunciare.

Quod autem dicis (sermo ad Theodemirum dirigitur) *a me homines, pœnitentiæ causa Romam ire volentes, a proposito abstrahi falsum est, hoc iter nec approbo, nec damno, quia illud nec omnibus nocere, nec omnibus prodesse scio.* Et infra: *male accipimus verba illa Evangelii:* TU ES PETRUS, *& reliqua, si per professionem Romanam & Intercessionem S. Petri vitam æternam consequi speramus. Christus non dixit Petro: quidquid solveris in Cœlo, erit solutum & in terra. Hoc Ministerium illo tantum tempore Præsulibus datum est, quo in hoc Sæculo degunt.* Tandem dicebat, Apostolicum (id est in illius ævi stilo Papam) non illum esse, qui in Sede Apostoli sederet, sed qui tantæ Dignitatis officia impleret. Hi fuere Claudii Taurinensis errores.

§. XXI.

Dungalus scribit adversus Claudium.

Mabill. ead. præf. n. 39.

Claudii litteras refutavit Dungalus Advena & Monachus Recluſus, ut creditur, in Monasterio S. Dionysii in Francia.

cia. Opus suum Ludovico & Lothario Imperatoribus anno circiter octingentesimo vigesimo octavo inscripsit, dicit enim, ante biennium Quæstionem de Imaginibus in Palatio fuisse agitatam, nempe in aliquo Colloquio statim post Collationem Parisiensem habito. Dicit, in illo Conventu Palatino prohibitum fuisse, ne quis deinceps usque adeo desiperet, ut Angelis, Sanctis aut eorum Imaginibus Divinos honores exhiberet, econtra vero etiam nemo ausu temerario præsumeret imagines destruere, delere aut contemnere, secundum eam Doctrinam, quam S. Gregorius ad Serenum scribens asseruisset. Deinde Dungalus complurium Scriptorum Auctoritatem affert præsertim Poemata S. Paulini, ut demonstret, in Ecclesia Imagines antiquissimo usu fuisse servatas. Tum affirmat, Claudium, negando Sanctos esse honorandos, reducere errores Eunomii & Vigilantii. Ad secundam Claudii propositionem, qua Crucis honorem lædit, Dungalus respondet, Christianos, exemplum Apostoli sequentes, gloriari in Cruce; noluisse JEsum Christum, ut Passio sua tanquam erubescenda a Fidelium oculis absconderetur, sed ut Crucis memoria in Ecclesia continuo recoleretur. Deinde complura adducit testimonia, quibus probat, omni tempore Cruci honorem habitum

Sæculum IX. A. C. 828.

Auct. Bibl. PP. 900.

p. 911.

p. 929.

Sæculum IX. A. C. 828.

fuisse. Tandem ad tertiam Claudii propositionem contra peregrinationes pias & invocationem Sanctorum respondet, complurium Patrum Testimoniis usus. Nam Dungalus in hoc opere parum e ratione pugnat, sed plerumque ex Au ctoritate; nec immerito, cum in hac controversia Traditio & constans usus Ecclesiæ optimum sit argumentum. In

p. 947. Operis sui conclusione dicit; Sacris pi cturis, Cruci & Reliquiis Sanctorum ho norem convenientem esse exhibendum iis vero neutiquam sacrificandum, au Cultum soli Deo debitum ipsis tribuen dum; item affirmat, Claudium, dum Crucem abjicit, se Incarnationis Passio nisque hostem profiteri. *Unde*, subjun git, *mirum non est, quod eum Judæi lau dent, dicantque, Claudio Christianorum nullum esse sapientiorem, ipseque in vicem Judæos & Sarracenos magnis laudibus ex tollat.* Tum addit: *Qua ratione fieri*

p. 948. *possit, ut Episcopus JEsu Christi Crucem exhorrescens Ministerio Ecclesiastico rite fungatur? quomodo baptizet, Sacrum Chrisma benedicat, manus imponat, cui quam Benedictionem impertiatur, aut Missam celebret, cum, si S. Augustino cre dimus, ex his actionibus Ecclesiasticis mul la sine signo S. Crucis rite peragi queant. In Litaniis aliisque Ecclesiæ precibus Clau dius nullius Sancti memoriam colere vult,*

nec

nec eorum Festa celebrare. Prohibet, ne fideles per diem in Ecclesia cereos accendant, aut orantes demissis oculis terram intueantur. Denique plura alia impia committit, quæ etsi ea a viris fide dignis acceperim, memorare animus refugit. Quale vero illud est, quod ad Synodum Episcoporum venire recuset dicens, esse Conventum asinorum? (*) *At nimia est Episcoporum*

Sæculum IX. A. C. 828.

(*) En, exquisitum Lutheri modum, quem in disputando tenebat, ut si non argumentis saltem improbitate Adversarii depellerentur.

Tigurini a Luthero lacessiti in Responso anno millesimo quingentesimo quadragesimo quinto latine & germanice edito hominis insolentiam castigant in hunc modum: *Prophetæ & Apostoli Dei Gloriam non suam quærebant. Non extollebantur superbia, non pertinacia rigebant, sed labor eorum ad procurandam peccatorum salutem unice tendebat. Lutherus econtra Philautia laborat, pervicax est homo & supra omnem modum petulans. Quoscunque, si ejus opinionibus non suffragentur, temere præceps ad Diabolum ablegat. In omnibus ejus monitis & increpationibus Spiritus malignus deprehenditur, nihil vero minus quam amici sinceri candor, aut boni patris affectus invenitur.* Fleurii Continuator subjungit; hos Lutheri furores ejus Sectatoribus merito esse erubescendos. *Quis enim ferat*, inquit, *in Lovanienses Theologos triviali impudentia ludentem, & illis vocibus:* VACCULTAS THEOLOGICA, CACOLYCA ECCLESIA *utentem?* Bossuet. Rainald. hoc anno.

Sæculum IX. A. C. 828.

porum patientia, nec tali viro parcere deberent.

§. XXII.

Ludovicus Imperator quatuor Concilia celebrari jubet.

to. 7. Conc. p. 1581. vita Valæ lib. II. c. 2. tom. 5. Act. p. 492.

Sub finem anni octingentesimi vigesimi octavi Ludovicus Imperator Aquisgrani Conventum egit, ubi in causas malorum, quibuscum Respublica conflictabatur, inquisitum, & deliberatum, quæ remedia adhiberi oporteret. Wala seu Vala Abbas Corbejensis ætate venerabilis, genere & meritis clarus acriter peroravit, conquestus, duas Potestates Ecclesiasticam & Sæcularem inter se collidi. Sæpe Imperatorem relictis, quæ muneris sui sunt, Divinis se ingerere, quæ ad eum non pertinerent, econtra Episcopos rebus Sæcularibus immiscerí. Præterea, Bona Deo consecrata profanari, & Sæcularibus dari. Ad hunc articulum Proceres responderunt, rem publicam sic attritam esse, ut ad præsentes necessitates sufficere non valeret, nisi rebus Ecclesiæ ejusque Vasallorum juvaretur. *Quæso vero, edicite,* respondit Wala, *si aliquis oblationem suam super Altare deposuit, & alius superveniens eam rapiat, quid nominis huic facinori datis?* Dixerunt esse Sacrilegium. *Itaque nemo,* reposuit Wala ad Imperatorem conversus, *pietatem tuam*

Sæculum IX. A. C. 828.

tuam fallat. Res plena periculi est, contempta Canonum & Ecclesiæ hoc vitium toties anathematizantis Auctoritate Bona aliquando Deo consecrata ad usus profanos trahere. Hinc si res publica sine Bonorum Ecclesiasticorum subsidio sustentari non possit, quærendus est modus summa religione, quo regno consulatur. Si Episcopi obsequia militaria præstare teneantur, id fiat ea ratione, quæ Dignitatis eorum Sanctitatem non lædat. Nempe ipsi in hostem procedere non cogantur, quod etiam Carolus Magnus relaxaverat. Illud etiam Wala commemoravit; Disciplinam omnino periclitari in illis Monasteriis, quæ Laicis committerentur. Questus est, Episcopatus secundum Canones non conferri, & ordinem Electionis non servari. Tandem invectus est in Capellanos Palatii seu Clericos cum comitatu Principis, quocunque ille iret, ambulantes, qui cum non essent Monachi sub Regula viventes, nec Clerici Episcopo subjecti, avaritiæ & ambitioni dediti Sæculo servirent. Dicebat enim omnem Christianum oportere esse Canonicum, id est Clericum secundum Canones vitam ducentem, vel Monachum, vel Laicum. Sin minus, hominem esse sine præposito & sine Capite, ideoque ad gregem Hæreticorum acephalorum ablegandum.

Sup. lib. XLV. §. 26.

Sæculum IX. A. C. 828.

Tandem in his Comitiis Aquisgranensibus Imperator decrevit, ut Concilia quatuor cogerentur, & quæ in iis tractanda essent, prius digererentur in omnes Regni partes Delegatos mittere constituit, qui in octava Paschæ anni sequentis octingentesimi vigesimi noni iter ingrederentur. Concilia in Octava Pentecostes congreganda erant, & eodem tempore in toto regno jejunium triduanum imperabatur. In mandatis habebant Delegati, ut in facta Episcoporum inquirerent; an temporalia vel spiritualia magis curarent, quales haberent ministros, Chorepiscopos, Archipresbyteros, Archidiaconos, Vicedominos, Parochos. An solicite gregem edocerent, an bonæ essent inter suos famæ. An Episcopi Ecclesias visitantes Parochis oneri essent & populo, an plura, quam fas esset, exigerent. Quo loco res Monasteriorum starent, omniumque Ecclesiarum, quæ auctoritate Principis in Beneficium datæ erant, id est, quarum Reditus ab aliis, quam qui Titulum possidebant, percipiebantur. Hæc omnia cognoscimus ex Imperatoris Epistola ad omnes suos Subditos directa.

p. 1593. *n.* 5.

p. 1591.

In alia Epistola encyclica timoris sui causam Imperator apertius indicat. *Quis enim non sentiat*, inquit, *Deum peccatis nostris ad iracundiam esse provocatum*

Imperatoris Epistola.

Sæculum IX. A. C. 828.

tum, cum videat tot annis mala ingentia in Regno nobis commisso grassari? vexant patriam fames continua, lues pecora corripiens, pestis depascens homines, frugum penuria, morbi varii, & populorum egestas. His accesserunt anno præterito improborum defectio, & incursiones Christiani nominis hostium, qui Ecclesias incenderunt, Christianos in captivitatem abstraxerunt, Servos Dei occiderunt. Seditiosi, de quibus hic est sermo, erant Aizon & Wilemundus in Hispaniæ finibus, & Infideles, Franciam lacessentes, Sarraceni, qui rebellibus auxilia attulerant, Bulgarique, qui in Pannoniam irruperant. *Eginh. an. 827.*

Tum Imperator in sua Epistola prosequitur: *Quapropter statuimus ad placandam Divinam Majestatem, ut in quatuor locis celebrentur Concilia, nempe Moguntiæ, Parisiis, Lugduni & Tolosæ, quo Metropolitæ cum suis Suffraganeis conveniant. Conciliorum autem Decreta solerti cura custodiantur & nullatenus ante tempus ad aliorum notitiam perveniant, donec ad nos delata fuerint.* In Epistola illa omnes Metropolitæ nominantur, videlicet, Autgarius Archiepiscopus Moguntinus, Hadabaldus Colonienſis, Hetto Trevirenſis, & Bernuinus Vesuntinus. Archiepiscopatus Senonenſis Jeremia nuper defuncto vaca- *Coint. an. 828. n. 9.*

Sæculum IX. A.C. 829.

vacabat. Ebbo tunc erat Archiepiscopus Rhemensis, Regnoardus Rothomagensis, & Landranus Turonensis. Agobardus tenebat Sedem Metropoliticam Lugdunensem, Bernardus Viennensem, Andreas Tarantasinam, Benedictus Aquensem, & Agericus Embrodunensem. Tandem in Concilio Tolosano aderat Notho Archiepiscopus Arelatensis, Bartholomæus Narbonensis, Adalelmus Burdegalensis, & Agiulfus Bituricensis. Inde dispicimus, totius Regni Episcopos ad hæc Concilia fuisse vocatos.

§. XXIII.

Concilium Parisiense sextum.

Præf. to.7. Conc. p.1598

Scimus quidem quatuor illa Concilia fuisse celebrata, sed Parisiensis Acta solummodo ad nos usque pervenerunt, data die Dominica, sexta Junii, anno octingentesimo vigesimo nono, quarta post Pentecosten septimana, quod Festum hoc anno in decimam sextam Maji incidebat.

Ad hanc Synodum convenerant Episcopi quatuor Provinciarum, Rhemensis, Senonensis, Turonensis, & Rothomagensis, atque inter Concilia Parisiensia sexto loco ponitur. Celebrata est Synodus ista in Ecclesia S. Stephani antiqui, quæ non amplius exstat. Erat autem Ecclesiam Cathedralem adeuntibus ad dextram,

tram, sicut hodieque ad siniſtram viſitur Baptiſterium ſeu Eccleſia S. Joannis rotunda. In collapſa S. Stephani Eccleſia olim Confirmatio conferri ſolebat. In Concilio igitur Pariſienſi adfuere viginti quinque Epiſcopi, quos inter fama potiores ſunt quatuor Metropolitæ, Ebbo Rhemenſis, Aldricus Senonenſis, Regnoardus Rothomagenſis, Landranus Turonenſis, & deinde Jonas Aurelianenſis, Jeſſeus Ambianenſis, Rothadus Sueſſionenſis, Hildemannus Bellovacenſis, antea Monachus Corbejenſis, Freculfus Lexovienſis, Halitgarius Cameracenſis, Hubertus Meldenſis, & Inchadius Pariſienſis.

Sæculum IX. A.C. 829.

Baluz. not. ad Cap. Coint. ann. 829. n. 105. 112.

Aldricus noviſſime Archiepiſcopus Senonenſis ordinatus fuerat, & forte eodem Concilii die prima. Nam eadem die, ſexta Junii, Eccleſia Senonenſis ejus Feſtum celebrat. Is in territorio Waſtinenſi ex genere nobili natus, adoleſcens in Monaſterio Ferrarienſi ſuſceptus ſub Sigulfi Abbatis Diſciplina ad pietatem inſtitutus eſt. Inde ad ſe evocatum Jeremias Archiepiſcopus Senonenſis cognitis ejus præclaris dotibus Diaconum & deinde Presbyterum ordinavit. Tum ab Imperatore Ludovico ad Regiam venire juſſus, cum hominum impiorum Religionem oppugnantium ſophiſmata ſapientiſſimo reſponſo confutaſſet,

Mabill. obſ. to. 5. act. p. 566.

Sæculum IX. A. C. 829.

taſſet, Principis animum ſibi adeo conciliavit, ut ei in Palatio docendi munus & inter viros, quos ad conſilium vocare ſolebat, locum dederit. Aldricus etiam Pipini Regis Aquitaniæ Cancellarius fuit; at deinde Abbas Ferrarienſis electus ad illud Monaſterium rediit, unde ad regendam Eccleſiam Senonenſem invitus aſſumptus eſt. Hanc Sedem annis decem tenuit, Sanctis poſt mortem adſcriptus.

Freculfus Lexovienſis, olim Monachus Fuldenſis, eximiæ Doctrinæ laude floruit. Habemus ab ipſo Chronicum ſeu Compendium Hiſtoriæ Univerſalis in duas partes diviſum. Primam diviſit in libros ſeptem, a creatione Mundi usque ad JEſum Chriſtum, inſcripſitque Heliſacaro Abbati Centulenſi, olim Magiſtro ſuo, qui ſe ad concinnandum hoc opus excitaverat. Partem ſecundam inſcripſit Judithæ Imperatrici, ad erudiendum principem adoleſcentem Carolum filium ejus. Dividitur ea pars in libros quinque, & a JEſu Chriſto usque ad S. Gregorium, ſeu annum circiter ſexcenteſimum perducitur.

Bibl. PP.

§. XXIV.

Canones de Sacramentis.

Acta Concilii Pariſienſis dividuntur in tres libros, quorum primus articu-

los

los quinquaginta quatuor, plerosque ve- Sæculum IX.
terum Canonum auctoritate nixos com- A. C. 829.
plectitur. In articulo tertio dicitur; Ecclesiam a duabus potestatibus Sacerdotali videlicet & Regali gubernari, & deinde de Officiis Episcoporum, id est, de tota Religione agitur. De Baptismo dicit Concilium; Fide Christiana ubique invecta, cum parvuli baptizentur, antequam ad maturam ætatem perveniant, necesse est, ut quod in imbecilli ætate nequiverunt, postea discere satagant. Quod quia ab usu recessit propter quorumdam incuriam, satis defleri non potest. Nempe quod infantes in Catechesi non instruerentur. Multi præstituta a Canonibus tempora ad Baptismum conferendum partim ignorantia partim præsumptione non servant (videlicet Festa Paschæ & Pentecostes) quisquis igitur hanc constitutionem violaverit, nisi emendaverit, factum non fore impunitum sciat. Non admittantur ad suscipiendos e Sacro fonte alios, qui rudes sunt, quia erudire illos tenentur, pro quibus in Baptismo Fidejussores coram Deo extiterunt. Illi quoque, qui pœnitentiam publicam agunt, ad officium Patrini nec in Baptismo, nec in Confirmatione admittantur.

c. 6.

c. 7.

c. 5.

Ab ordinibus Ecclesiasticis excludantur, qui in ægritudine, vel quocunque alio

c. 8.

Sæculum IX. A. C. 829.

alio modo contra Canones, (id est extra tempus præscriptum) baptizati fuerunt. Confirmatio illis solum diebus, in quibus baptizare licet, conferatur, nec unquam Episcopi, nisi urgente necessitate, post perceptionem cibi & potus per manuum impositionem Spiritum Sanctum tradant.

c. 33.

Presbyteri, sub pœna Depositionis relictis Ecclesiis Deo consecratis in domibus aut hortis Missam non celebrent, quamvis adsint oratoria extructa & ad id ipsum ornata. Præstat Missæ non interesse, quam interesse in tali loco, in quo non licet. Atqui non licet Missam celebrare extra Ecclesiam nisi in itinere, si Ecclesia longe distet. Tunc enim id necessitas exigit, ne populus Missa & Communione privetur. Sed & tunc quoque super Altare ab Episcopo consecratum Sacris faciendum est. Lege *Deut.* 12. 13. non permittitur holocausta offerre in omni loco, sed solum in eo, quem elegerit Dominus. Prohibetur etiam, ne Presbyteri Missam soli celebrent. Unde

c. 47.

c. 48.

dispicimus, Missas privatas & voce demissiore frequenter celebrari cœpisse.

Complures Sacerdotes, inquit Concilium, *sive ex socordia, sive ex ignorantia pœnitentibus alias pœnitentias, ac Canones præscribunt, injungunt, habentque quosdam libellos, quos pœnitentiales*

tiales vocant. Hinc omnes ſtatuimus, ut quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſi hos libellos depravatos ſolerter conquiri jubeat, & in ignem mitti, ne Presbyteri rudes iis ad fallendos Fideles amplius utantur. Iidem Presbyteri ab Epiſcopis ſuis accurate edoceantur, quam prudenter & diſcrete, qui confitentur, interrogandi ſint, & quis modus in pœnitentiis injungendis tenendus. Hactenus enim Presbyterorum culpa multa crimina non ſine maximo animarum periculo fuere impunita. Illud maxime inculcatur, ut novi Libelli pœnitentiales rejicerentur, quibus pœnitentes vana ſpe lactabantur, ſed ſervaretur veterum Canonum rigor in reprimenda impudicitia abominanda, tunc vitio communi & pervagato. Nemo ad confitendum Monaſteria adeat. Monachi Presbyteri neminem niſi Monachos ſuæ Congregationis confitentes audiant. Quilibet illi confiteatur, qui poteſtatem habeat ipſi pœnitentiam Canonicam injungendi, & ſi Epiſcopus jubeat, reconciliandi. Hic diſpicimus, quomodo pœnitentiæ rigor, privatorum ignorantia & temeritate, cœperit relaxari.

Sæculum IX. A. C. 829.

c. 43.

c. 46.

§. XXV.

Canones ad Clericos pertinentes.

Abuſus pernicioſus eſſe putatur, quod c. 26.

 c. 20.

Sæculum IX. A.C. 829.

per annum duo secundum Canones Concilia non celebrentur, & præcipitur, ut saltem unum singulis annis convocetur. *Episcopi in omnibus Patrum exempla sequantur, & non sine indignatione nostra,* inquiunt qui in hoc Concilio aderant, *comperimus, quod aliqui ex nostris Fratribus in loco separato dormiant, & continentiæ suæ testes non habeant. Prohibemus, ne id imposterum fiat, sed volumus, ut Episcopi omnibus bonum exemplum præbeant, & omnem detractionis materiam tollant.* Id est, illa jubetur servari consuetudo qua Clericus unus alterve individuus Episcopi contubernalis erat, & quem Græci Syncellum dicebant.

Concilium rursus arguit Episcopos, quod magis delectentur societate & convivüis Laicorum quam Clericorum, atque Abbates Abbatissæque pravum Episcoporum exemplum sequantur. Tandem quod Episcopi a civitate, in qua Sedem Pontificiam habent, sæpe discedant, atque ad loca longe dissita se conferant tum avaritiæ tum voluptatis causa.

Sup. Lib. XXV. §. 5.
Sup. Lib. XXXV. §. 43.
c. 21.

In istorum Canonum titulo, qui aequalis vetustatis notas habet, legitur, Episcoporum aliorumque Prælatorum Officium esse, excepto casu necessitatis, ut Horas Canonicas cum Clericis suis recl-

recitent, cum iis quotidie ex Sacris Litteris collationem habeant, & cum iis manducent. Sæculum IX. A. C. 829.

Clerici aut Monachi non ſuſcipiant in ſe munus Villici, Procuratoris, aut Mercatoris, & præſertim Monachi non ſe implicent cauſis vel Eccleſiaſticis vel Sæcularibus, niſi obedientia & neceſſitate cogente. c. 28.

Presbyteri a ſuis Eccleſiis non diſcedant, & Epiſcopi Presbyteros in loca remota non mittant ad ſua negotia curanda vel mandata perficienda, dum interea Fideles vel Confeſſionis vel Baptiſmi auxilio deſtituti moriuntur. c. 29.

Ex his videmus, de Parochis ſermonem eſſe. Id ipſum diſpicitur ex alio Canone, ubi præcipitur, ut Presbyter unicam habeat Eccleſiam & unicum populum, quia oportet, ut ſingulæ Eccleſiæ habeant ſuum Presbyterum, ſicut ſingulæ Civitates ſuum Epiſcopum, cum ſinguli Eccleſiis ſuis digne adminiſtrandis vix ſufficiant. c. 49. Canones Concilii Pariſienſis.

Epiſcopi moribus Presbyterorum aliorumque Clericorum depoſitorum invigilent, & pœnitentiæ ſubjiciant. Nam aliqui Depoſitionis pœnam flocci facientes more ſæcularium vivebant, vitio immerſi. c. 35.

Reprimatur licentia Clericorum errantium, qui non ſolum ab Epiſcopis & Abbatibus, ſed etiam a Comitibus aliisque Proceribus recipiuntur. c. 36.

Sæculum IX. A. C. 829.

Ad hunc effectum consequendum petatur auxilium Imperatoris præsertim in Italia, ubi Clerici ex Germania & Gallia fugitivi sine scrupulo recipiuntur.

c. 27. Sup. Lib. XLV. §. 25.

Chorepiscopi Confirmationem non conferant, & aliis officiis Episcopo reservatis non fungantur. Ergo Decretum, quo Chorepiscopi jam anno octingentesimo secundo supprimi debebant, executioni datum non fuerit. Episcopi Archidiaconos suos singulari cura observent, & cohibeant, ne plura a Fidelibus, quam fas sit, exigent.

c. 25.

c. 30.

Mandatum Imperatoris, quo jubentur Scholæ fundari, executioni detur, atque ut cognosci possit, an id fuerit effectum, quilibet Magister Discipulos suos in Concilio Provinciali producat.

Sanctimonialibus non præficiantur Abbatissæ viduæ, quæ prius vitam Monasticam non fuerunt professæ. Presbyteri velamen Monasticum nec Viduis,

c. 39.

c. 40. 41.

nec Virginibus sine licentia Episcopi dent. Abbatissæ autem suo arbitrio illud nunquam conferant. Multo minus fœminæ se ipsas velent. Canonici &

c. 34.

c. 40. 44.

Monachi in Monasteria puellarum sine licentia Episcopi aut Vicarii ejus pedem non inferant. Si veniant ad colloquendum, adeant exedram vel atrium testibus piis præsentibus utriusque sexus. Si ad concionandum veniant, in loco publico

c. 46.

blico perorent, si ad Missam celebran- Sæculum IX.
dam, intrent cum suis Ministris & Mis- A. C. 829.
sa finita sine mora exeant, si ad excipien-
das confessiones, ante Altare confiten-
tes audiant præsentibus testibus haud
longe stantibus.

Fœminæ ad Altare ministrare, Vasa c. 45.
Sacra tangere, & multo minus Corpus
& Sanguinem populo præbere non præ-
sumant.

§. XXVI.

Liber secundus & tertius.

Liber secundus Concilii Parisiensis arti-
culos tredecim de Officiis Regis, de
verbo ad verbum ex Tractatu exiguo Jo-
næ, Episcopi Aurelianensis, in Concilio
præsentis, descriptos complectitur, quem
Tractatum Jonas anno superiore octin- *to. 5. Spicil.*
gentesimo vigesimo octavo Pipino Regi *p. 57 v. præf.*
Aquitaniæ inscripserat, & quinque capi- *ejusd. tomi.*
ta Tractatus sui de Institutione Laicorum
inseruerat.

In fronte Libri tertii visitur Epistola
Episcoporum ad Ludovicum & Lotha-
rium Imperatores; nam semper conjun-
gebantur. In ea rationem reddunt illo-
rum omnium, quæ in Concilio, ut jussi
fuissent, egerant. *In articulos divisi-*
mus, inquiunt, *quæ ad Religionem Chri-*
stianam spectant, officia nostra, emenda-
tionem nostram, & quæ populos moneri

Sæculum IX. A.C. 829.

oportet. Hæc ad vos mittimus, ut legatis, & ad examen vocetis. Libro secundo inseruimus quosdam articulos necessarios de officiis vestris, quos tanquam monita salutaria familiari libertate vobis offerendos esse existimavimus. Sequuntur aliqui articuli ex illis, quos in Conventu nostro edidimus, excerptos & quos executioni dari a vobis postulamus. Quippe viginti septem articuli quibus Liber tertius constat, plerique ex primo repetuntur. Septem priores articuli sunt illi, quos Episcopi maxime necessarios judicabant, alios decem effectui dari poscebant. In illis mentionem faciunt de multis superstitionibus quæ de moribus Gentilium remanserant, de Magis, de Hariolis, Sortilegis, Veneficis, Divinatoribus, somniorum Interpretibus, de iis qui possunt turbare aerem, grandinem immittere, fructus & lac auferre.

Hæc Episcopi possibilia esse credere videntur.

c. 6. 11. 10. In his itaque efflagitant, ut in nullis Oratoriis domesticis, nec in ipsa Regia Sacra peragantur. Ut Concilia convocentur. Ut Scholæ publicæ in tribus saltem Imperii Civitatibus erigantur. In

c. 12. Clericos fugitivos inquiratur. Petunt

c. 13. ut quidam Episcopatus, qui subtractis bonis interierant, restituantur. Ut Mona-

c. 15. steria

Sæculum IX. A.C. 829.

steria sibi collata Laici conservent, & penitus collabi non sinant. Cædes & privatorum vindictæ acerrime puniantur. Tandem majoris præ ceteris momenti est articulus de reprimendo abusu utriusque potestatis. *Nihil magis*, inquiunt Episcopi, *Disciplinæ Ecclesiasticæ & Reipublicæ nocet, quam quod a longo jam tempore Principes causis Ecclesiasticis se ingerant, & Episcopi tum ignorantia tum cupiditate plus justo negotiis sæcularibus implicentur.*

§. XXVII.

Institutio Laicorum Jona Auctore.

Institutio Laicorum a Jona Aurelianensi scripta est in gratiam Matfridi, ejusdem Civitatis Comitis, qui Episcopum suum rogaverat, ut quam brevissime posset, præcepta sibi conscriberet, quæ implendo & ipse & alii Christiani in matrimonio vitam Deo gratam ducere possent. Hic Tractatus, etsi sit brevis, dividitur in tres libros, quorum primus & tertius omnibus Fidelibus, secundus vero conjugibus utilis est. *to. 1. Spicil. init.*

Primo agit de obligatione, quam omnis Christianus in Baptismo subit. Transiens deinde ad Confirmationem, hortatur, ut ejus collatio non differatur. Quod argumento est, jam illa ætate Sacramentum Confirmationis a Baptismo *ib. 1. c. 7. c. 8. ib. II. c. 14.*

Sæculum IX. A. C. 829.

plerumque fuisse separatum. Hortatur parentes & patrinos, ut pueros in fidei Doctrina erudiant. Queritur, admodum raro fieri, ut pœnitentia secundum veterum Canonum præcepta injungeretur, & aliquos peccatores, quo indulgentius haberentur, ad Sacerdotes Disciplinæ Ecclesiasticæ ignaros accedere.

lib. I. c. 10.

c. 16. Dicit, Fideles pro more in Ecclesia recepto peccata graviora Presbyteris confiteri, ut eorum Ministerio Deo reconcilientur, leviora autem & quotidiana cuicunque obvio; fatetur tamen, istud confitendi genus vix inter alios quam inter Monachos retineri. Nempe aliqui, præter Confessionem Sacramentalem peccatorum mortalium necessariam, culpas leviores aliis non Presbyteris confitebantur, ut humiliarentur, eorumque consilio & precibus adjuvarentur.

Jonas præterea queritur, plerosque Laicorum Sanctam Communionem tribus solum præcipuis anni Festis accipere, & hortatur, ut sæpe sed rite dispositi communicent. Rursus carpit, quod

c. 19. multi Dynastæ a Parochis partem Decimarum, & aliorum proventuum ex Ecclesiis sui Patronatus, tunc præcipue, quando frequentissimus esset populi

c. 20. concursus, exigerent. Quod Laici Presbyteros pauperes usque adeo vilipenderent, ut iis pro famulis uterentur, & ad capien-

capiendum secum cibum non admitte- Sæculum IX.
rent. In aleatores vehementer invehi- A. C. 829.
tur, & contra eos, qui venatui immodi- c. 23.
ce indulgebant, atque ideo ab officiis
Divinis aberant, & pauperes opprime- c. 24.
bant.

Comites aliique Optimates jus quidem dicebant, sed plerique superante socordia causas pauperum negligebant, & a divitibus munera accipiebant. Suadet, ut ægrotantes Ministerio Presbyterorum ungantur, & complures arguit, quod divinatores consulerent, quis morbi exitus esset futurus. Item reprehendit, quod pauperum sepulturæ extra curam essent, & destructis sepulchris domus eorum loco ædificarentur. Hoc opus pro temporum illorum methodo sententiarum ex Scriptura & Patribus excerptarum unus prope contextus est. *lib. III. c. 14.* *c. 15.*

§. XXVIII.

Halitgari Tractatus de Pœnitentia.

Halitgarus in hoc Concilio Parisiensi præsens Episcopatum Attrebatensem & Cameracensem ex anno octingentesimo decimo sexto gerebat, atque Ebbonis Archiepiscopi Remensis in sua Missione Danica anno octingentesimo vigesimo secundo socius fuerat. Anno octingentesimo vigesimo octavo a Ludovico Imperatore Constantinopolim Le- *Sigeb. illust. Bald. l. 1. Flod. II. hist. Rem. c. 19.*

Sæculum IX. A.C. 829.

gatus mittitur, in qua profectione verisimile est ipsum Romam petivisse. Halitgarum igitur Ebbo, cum cerneret, nullam certam & constantem regulam in libellis pœnitentialibus, quibus plerumque Presbyteri utebantur, reperiri, enixe rogavit, ut Tractatum de Pœnitentia scriberet, Patrum sententiis & Canonum Decretis consentaneum. Quod ille se facturum recepit.

to. 14. *Bibl. PP. Lugd. p.* 906. *Coint. an.* 830. *n.* 47.

Halitgari Opus ad nos usque pervenit, cui Titulus, de Remediis peccatorum, & de Ordine Pœnitentiæ, atque in libros sex dividitur. Liber primus agit de vitiis, ut ajunt, capitalibus, & eorum remediis, atque e S. Gregorio & S. Augustino, libris que de vita contemplativa S. Prospero adscriptis excerptus est. Liber secundus itidem ex Patribus excerptus de Virtutibus tam Cardinalibus quam Theologicis agit. Tertius complectitur regulas pœnitentiæ, quoad potiorem partem ex Canonum Codice, quem Carolus Magnus ab Hadriano Papa accepit, collectus. Quartus pœnitentias Laicorum, & quintus Clericorum continet, ex eodem Codice, ex Decretalibus Pontificum posterorum, & ex Collectione Martini Bracarensis erutus. Liber sextus est Ordo pœnitentialis, quem Halitgarus ex Tabulis Ecclesiæ Romanæ

manæ accepisse se affirmat, estque singulari attentione dignus. Sæculum IX. A. C. 829.

Exordium ducitur a modo, quo Episcopus aut Presbyter pœnitentem excipiat, & dicitur: *Quando Christiani ad pœnitentiam veniunt, eis jejunia injungimus, & ipsi cum eis jejunamus una alterave septimana, aut quamdiu possumus; ne nobis quoque illud objici possit, quod olim Judæorum Sacerdotibus; nos onera gravia imponere in humeros hominum, digito autem nostro nolle ea movere. Non possumus hominem lapsum erigere, nisi inclinemur. Nec Medicus graveolentiam ægrotantium potest effugere. Ita etiam sine magno labore, sine precibus, sine lacrymis peccatores sanare non possumus. Quando bonum consilium pœnitenti suggeris, illico etiam pœnitentiam congruam injunge, ne obliviscaris, quanto tempore eum jejunare oporteat, & ne cogaris ab eo petere, ut suam confessionem iterato exponat.* (*) *Ceterum non omnes Clerici, qui in hunc librum inciderint, eum legant, sed solum illi, quibus hæc doctrina necessaria est* (scilicet Presbyteri) *necessitate postulante & absente Presbytero Diaconus pœnitentem ad Sanctam Communionem*

Ap. Men. not. ad Sacr. p. 138. ap. Martenne to. 2. p. 43. ordo. 2. Pœnitentiale Halitgari. *Matth. 23.*

(*) Ex his colligitur, Sacram absolutionem non statim pœnitentibus fuisse collatam.

Sæculum IX. A. C. 829.

nem recipere poteſt. Nimirum ſi in eo ſigna ſinceræ pœnitentiæ videat, poteſt Evchariſtiam præbere, quamvis abſolutionem non acceperit. (*) *Ergo Presbyter unacum pœnitente ſe coram Deo humillime demittat, & ſi aliquis ad confitendum advenerit, moneat, ut expectet aliquantulum, donec ipſe conclave intraverit ad orandum. Tunc cum pœnitens Presbyterum triſtem & flentem peccata aliena viderit, majorem proprii peccati horrorem concipiet. Poſtquam pœnitens jejunia præſcripta ſervaverit, ſuadeat ei Presbyter, ut plura alia ſponte recipiat. Qui jejunare non poteſt, jejunia eleemoſynis ſecundum menſuram facultatum ſuarum injunctis redimet. Si mancipia ad te venerint, non tam crebra ac divitibus jejunia eis impera, ſed mediam ſolummodo pœnitentiæ partem injunge.* A vero abludit, hæc ſancta præcepta tunc nova fuiſſe, & S. Ambroſium peccatoribus pœnitentibus collacrymantem vidimus.

Sup. Lib. XIX. §. 22.

Deinde ſingulis criminibus pœnitentia ſua, ſed mitius quam in antiquis Canonibus, ſtatuitur. Commiſſo homicidio voluntario Laicus non graviore pœniten-

c. 1.

(*) Niſi id forte ita intelligendum ſit; quod pœnitens antea a Presbytero abſolutionem a peccatis & necdum Evchariſtiam acceperit.

nitentia quam annorum ſeptem damnatur, ex quibus annos tres in pane & aqua jejunandum eſt. Presbytero autem ſpatium annorum decem præſcribitur. *c. 2.* Adulterium punitur pœnitentia annorum trium. *c. 3.* Rapina annorum quinque, furtum ſimplex jejunio trium quadrageſimarum in pane & aqua expietur, maleficium pœnitentia ſeptem annorum, *c. 4.* divinatio, ſors Sanctorum, aliæque ejusmodi ſuperſtitiones trium annorum, *c. 5.* uſura trium annorum, vulnus inflictum, ſi ſanguis fluxerit, quadraginta dierum, & crapula ſeptem dierum. Clericis eo gravior ſemper injungitur pœnitentia, quo altior eſt ordinis gradus, in quo eminent. *c. 7.*

Tertio nubentibus trium hebdomadarum jejunium injungitur, quarto aut quinto nuptias repetentibus jejunium hebdomadarum viginti & unius, quod temporis ſpatium ultra quinque menſes extenditur. Halitgarus haud diu poſt Concilium Pariſienſe anno circiter octingenteſimo trigeſimo fatis functus Theodericum Succeſſorem habuit. *Coint. an. 831. n. 25.*

§. XXIX.

Agobardi Tractatus adverſus Judæos.

Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis in ſe concitaverat odium Judæorum

Sæculum IX. A. C. 829.

rum, quorum magnus numerus in illa Civitate erat, quod eorum mancipia baptizaret. Is quatuor quinqueve annis ante Concilium Lugdunense datis hac de re ad Adalardum, Walam fratrem ejus, & Helisacharum, Procerum in Palatio præcipuos, litteris, *Peto a vobis*, inquit, *consilium, quid faciendum mihi sit de mancipiis Judæorum Ethnicis, quæ illi comparaverunt. Servi tales apud illos nutriti, inter nos discunt linguam nostram, audiunt de Fide, vident Dies Festos celebrari, commoventur, confugiunt ad Ecclesiam, Baptismum postulant. An repellendi sunt? At vero Apostoli eorumque Discipuli non expectaverunt dominorum licentiam, ut servos baptizarent.*

de Bapt. Jud. manc. to. 1. p. 98.

Illud in hoc negotio difficultatem pariebat, quod compluribus legibus cautum esset, ne Judæi haberent servos Christianos. Itaque qui conferebant Baptismum Neophytos dominis subtrahebant, & poterant aliqui servi Religionem simulare, ut libertatem consequerentur. Sed istud incommodum removerant Leges, potestatem facientes Episcopo & omnibus Fidelibus baptizatos pretio redimendi. Hinc Agobardus subjungit: *Nolumus ut Judæi pretio pro servis dato priventur, nam illud, prout in Sacris Canonibus constitutum est, ea*

eis offerimus; verum illi id recusant accipere, putantes Curiam Cæsaream sibi favere. Nimirum Judæi damnum reputabant, si ex servis suis lucrum captare non possent, & cogerentur eos vendere. Sæculum IX. A. C. 829.

Querelas deinde affert Agobardus contra Judæorum Magistrum, nempe Præpositum jurium eorum conservatorem, nomine Everardum, qui eorum causam contra Ecclesiam defendebat.

Conjectura est, hunc Everardum haud multo post ab Imperatore Mandatum impetrasse, quo prohibebatur, ne invitis Judæis eorum mancipia Ethnica baptizarentur. Hac de re scripsit Agobardus Epistolam ad Abbates duos Hilduinum & Walam tunc in Palatio maxima auctoritate pollentes. In ea ex Evangelio egregie probat, nemini Baptismi Gratiam esse denegandam. (*) De Baptizandis Judæorum Mancipiis.

Iterum-

(*) Omnino suspicari licet istud Mandatum a Ludovico Pio subreptitie fuisse impetratum. Atque in Epistola Agobardi ad Hilduinum Archicapellanum Ludovici Imp. & Walam Corbejensem Abbatem hæc verba leguntur, relata a R P. Pagi: *Quoddam præceptum Judæi circumferunt, quod sibi datum ab Imperatore gloriantur, in quo continetur, ut mancipium Judaicum absque voluntate Domini sui nemo bapti-*

Sæculum IX. A. C. 829.

Iterumque queritur contra Judæorum Magistrum, minitantem, se facile impetraturum, ut ab Imperatore Delegati mitterentut, qui editum Mandatum executioni darent. Dicit, se pro Neo-conversis lubentissime pretium esse daturum, & fatetur, non esse licitum, Judæis liberos aut servos vi adhibita eripere, sed sponte venientes excipere.

tom. I. p. 102.

Sub idem tempus Agobardus datis ad Nebridium Narbonensem Archiepiscopum inter seniores Franciæ totius Præsules maxime venerabilem rogat, ut ad reprimenda Judæorum molimina secum operam jungat. *Hoc anno*, inquit, *Diœcesim meam visitans cunctis denunciavi, ut a societate Infidelium, non paganorum, nulli enim inter nos reperiuntur, sed Judæorum separarentur. Deprehendi, aliquos cum Judæis Sabbatum servare, die Dominica laborare, & jejunandi præcepta violare. Complures mulieres eis servientes tum mancipia, tum mercenaria, aut corpus suum aut animam corrumpi patiuntur, nam dicunt Judæi, se esse Patriarcharum & Prophetarum progeniem. Quin imo complures de infima plebe usque*

baptizet. Quod a nobis omnino non creditur, ut a facie Christianissimi & Piissimi Imperatoris tam contraria Ecclesiæ Regulæ sit egressa sententia.

que adeo infatuantur, ut dicant, solos Judæos esse populum Dei electum, ipsosque veram Religionem custodire. Itaque probibui, ne cum Judæis biberent, manducarent, aut habitarent; sed quidam missi ab Imperatore & maxime Everardus, qui Judæorum nunc Magister, sub obtentu Edictorum Imperialium religiosum opus nostrum destruere tentarunt, quibus nos neque ad horam cessimus; eo quippe adduci non possumus, ut credamus, Religiosissimum Principem mandata Divinæ legi usque adeo adversa edidisse. Rogo vos igitur, vos, inquam, quos tanquam firmas Ecclesiæ columnas omnes suspicimus; ad Episcopos vicinos scribite, & hortamini, ut conjunctis nobiscum viribus Ecclesiam a tanto malo liberare contendant. Sæculum IX. A. C. 829.

Tandem Agobardus super hac re ad ipsum Imperatorem dedit Epistolam, cumque dicat, se id feciisse, postquam omnia cum Confratribus contuliisset, scripta creditur illo tempore, quo celebratum est Concilium Lugdunense anno octingentesimo vigesimo nono. De illo Concilio quidem nihil ad nos pervenit, in supradicta vero Epistola, cui titulus: *De insolentia Judæorum*, Agobardus loquitur in hunc modum: *Venerunt ad me Judæi Epistolam ad te datam ferentes, aliamque Vicecomiti Lugdunensi red-* Agobardi Epistola ad Imperatorem. to. 1. p. 9.

Sæculum IX. A. C. 829.

diderunt, in qua continentur mandata ut iis contra me auxilium præstet. Quamvis Epistolæ istæ & nomen tuum & sigillum præferant, a te fuisse profecta tamen non credidi. His vero non parum insolescebant Judæi minantes, nos vi ad obedientiam compellendos a Delegatis, qui missi essent, ut se ab injuriis Christianorum ulciscerentur. His vix dum limen egressis adest Everardus, eadem mihi ingerens, & addens, Majestatem tuam Judæorum causa mihi vehementer succensere. Ipso digresso intrarunt Guericus & Fridericus Delegati tui manibus tenentes Mandatum tuum & nescio quod Capitulare. Tunc vero Judæi maximæ lætitiæ indicia dederunt, fugerunt Christiani, aut latibulis se abdiderunt. Aliqui comprehensi, omnes ingenti terrore perculsi. Ajebant enim Delegati, te neutiquam Judæorum gentem aversari, ut crederent aliqui, sed eos a te amari, & pluris quam multos Christianos existimari.

Hujus persecutionis causa est, quod Christianis prohibuerimus, ne mancipia Christiana Judæis venumdaret, ne paterentur, a Judæis venumdari Christianos in Hispaniam mittendos, ne Judæi domi suæ haberent Christianos mercede conductos. Præterea prohibuimus, ne quisquam cum ipsis Sabbatum observet, quod

quod aliquæ mulieres faciunt, ne Christiani die Dominica laborent, ne in Quadragesima cum Judæis prandeant, (id est jejunium ne frangant, tunc enim Fideles ad vesperam reficiebantur) *ne carnem aut vinum ab eis emant, nihil enim Christianis vendunt, quam quod immundum credunt.* Sæculum IX. A. C. 829.

Et postea: *Gloriantur circumcisi, gentem suam tibi in amoribus esse, quia a Patriarchis genus ducunt. Jactant se, quod ad colloquium tuum honorifice admittantur, quod primæ Dignitatis viri suum favorem & præsidium exoptent. Dicunt, illis, qui tibi a consiliis sunt, minime probari, quod Judæis prohibeamus, Christianis vinum vendere, & complures libras argenti eis dedisse, quibus vinum coemant. Exhibent Epistolas tuo nomine scriptas sigillo aureo munitas, & vestes, quas a fœminis tibi propinquis & præcipuis in Regia matronis uxoribus suis missas crepant. Judæi contra leges novas extruere Synagogas sinuntur, & eo denique perventum, ut dicant imperiti Christiani, melius sibi prædicare Judæos, quam Presbyteros nostros. Delegati tui, ne in celebrando Sabbato impedirentur, præceperunt, ut nemo hoc die mercatui vacet, quamvis hoc noceat Christianis, qui non in Sabbato sed in die Dominica a labore abstinent.* Judæi Lugdunenses.

Sæculum IX. A.C. 829.

ſtinent. Ex his Epiſtolis & Delegat
rum mandatis Judæorum reipublicæ f
ventibus cognoſcimus imbecillum an
mum Ludovici Imperatoris, blandit
uxoris ſuæ Judithæ & Aulicorum, qu
rum familiaritati adſueverat, ſermon
bus plus æquo obnoxii.

His Agobardus ſubjungit: *Cum pra
cedens Epiſtola ſcripta fuiſſet, ſuperv
nit homo fugiens ab Hiſpaniis ex Cor
ba, qui dicit ſe parvum adhuc puerum
furto abſtractum fuiſſe a quodam Juda
Lugduni ante annos viginti quatuor, ſe
giſſe autem anno præſenti cum alio, qu
ſimiliter raptus fuiſſet Arelate ab alio
Judæo ante annos ſex. Cumque illum
cujus civitas paterna Lugdunum eva
notos quæſiviſſemus & inveniſſemus, d
ctum eſt nobis, & alios pueros ab eode
Judæo plagiario raptos, alios vero empt
& venditos, & ab alio quoque Juda
præſenti anno alium puerum raptum &
venditum. Tandem compertum nobis
plures Chriſtianos a Chriſtianis vendi &
comparari a Judæis, perpetrarique ab eis
plura nefanda, quæ referre honeſtus cato
nus erubeſcit.*

In hac Epiſtola Agobardus promit
tit, ſe ad Imperatorem ampliores litera
daturum de Superſtitionibus Judæorum,
& cura neceſſario adhibenda, ut Chri
ſtiani ab eorum conſortio excludantur.

Pro

Promisso stetit, edito Scripto, quod ad idem tempus refertur, & præter nomen Agobardi etiam nomina Bernardi Archiepiscopi Viennensis & Faovæ Episcopi Cabillonensis præfert. In eo adducuntur complura Patrum Testimonia, & Conciliorum Franciæ Decreta, quibus omne commercium cum Judæis Christianis interdicitur. Deinde errores & superstitiones Judæorum referuntur in hunc modum: *Dicunt, Deum suum esse corporeum, & diversis membris, sicut nos, constare, quibus audire, videre, loqui possit, & sic de ceteris. Inde sequi, corpus humanum ad ejus imaginem esse factum. Deum sedere in magno Palatio super thronum, quem quatuor animalia a quatuor partibus sustentant. Deo infinitam esse multitudinem cogitationum suarum, easque cum ad opus deduci non valeant, mutari in Dæmones. Judæi credunt, literas sui Alphabeti esse æternas, & Legem Moysis compluribus annis ante creationem Mundi fuisse scriptam. Plures dari orbes terraqueos, plures Infernos & plures Cælos. Deum habere buccinas septem, quarum unaquæque mille cubitos longa. Præter plures alias nænias, præsertim de JEsu Christo.*

Sæculum IX. A. C. 829.

Tom. I. p. 66. de Judæi Superst.

Agobardus contra Judæos.

Cura maxima, qua celeberrimus Rabbinus Moyses, Maimoini filius conatur

More Nevochi parte I. c. 1. 2. &c. 35. 46.

Sæculum IX. A. C. 829.

ostendere, Deum non esse corporeum & Scripturæ hujus generis metaphoras explicare, satis nobis demonstrat, quantas hic error in mentibus Hebræorum adhuc post annos trecentos, ex quo Agobardus scripserat, radices egerit.

§. XXX.

Probationes Superstitiosæ.

to.7. Conc. p. 1669. ibid. p. 1583. Capit. tom. 1. p. 662. c. 12. p. 668. v. sup. 9. v. Coint. an. 829. n. 146. &c. Mabill. tom 1. Analect. p. 47.

Quatuor Conciliis Moguntino, Parisiensi, Lugdunensi & Tolosano celebratis, eodem anno octingentesimo nonagesimo nono Wormatiæ habita sunt Comitia, quæ etiam in Conciliorum numerum referuntur, & ubi recensetur Capitulare complurium Articulorum. Eorum vero nullus memoratu digniorquam ille, quo prohibetur examen, seu Probatio per aquam frigidam; hæc quippe ad illa usque tempora in usu fuerat. Superfunt hodieque formulæ precationum Ecclesiasticarum, (*) quæ hunc Ritum comitabantur. Unde patet, quod Actus Religionis esse crederetur. Manuscriptum illo ævo exaratum institutionem hujus

(*) *Propterea obnixe te deprecamur Domine JEsu Christe, fac signum tale, ut si culpabilis est hic homo, nullatenus recipiatur ab aqua.* Nat. Alex. in Eugenio II.

hujus Ritus Eugenio II. Papæ (*) adscri- Sæculum IX.
bit, *ut nemini*, inquit, *amplius liceat su-* A.C. 829.
R 4 *per*

(*) Ad hunc locum R. P. Balduinus dicit: *Priusquam Fleurius huic Pontifici famam raperet, inquirendum erat &c.* Fleurius non affirmat, Eugenium II. hujus Ritus esse Auctorem, sed refert, quod etiam alii Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores referunt. Deinde iterum: *Fleurius tanquam testem citat P. Mabillonium Tom. I. Annal. pag. 47. sed in hoc loco Mabillonius nec de Manuscripto, nec de Superstitione, nec de Eugenio Papa ullam mentionem facit.* Pro Responso afferam verba P. Natalis Alexandri tom. XI. Edit. Paris. in Eugen. II: *Ritum probationis per aquam frigidam instituit Eugenius II. si fides Remigianis membranis pervetustis habeatur, Sæculo nono, ut conjicit P. Mabillonius, exaratis, ex quibus Ritum illum transcripsit & publicavit Veterum Analectorum Tom. I. vix tamen mihi persuadere possum, id ab Eugenio Papa inventum & ab omnibus Christianis observari jussum &c.*

Postea P. Natalis quatuor adducit argumenta; neutiquam verisimiliter id Eugenio Papæ affingi posse. Et revera vix aliquid est, quo istud Manuscriptum fidem facere possit. Interim nec ullum in Fleurii narratione malæ fidei deprehenditur vestigium.

Hanc vero probationem per aquam frigidam conjectura est originem traxisse a Ritibus Veteris Testamenti. Estque omnino mirabile, quod

Sæculum IX. A. C. 829.

per Reliquias jurare, aut super Altare manum ponere. Celebrabatur Missa, atque accusati communicabant, aqua benedicta eis ad bibendum dabatur, deinde aquæ immergebantur, & invocabatur JEsus

---

quod refert Cardinalis Gotti in Libro de Veritate Religionis Christianæ Tract. V. de probatione S. Josephi & S. Mariæ Virginis ex Evangelio Jacobi Pseudo Evangelistæ. *Pessimum tamen est*, inquit, *quod Pseudo-Jacobus subjungit, nimirum quod non acquiescens Josephi dictis, rursus dixit Sacerdos: restitue Virginem, quam accepisti a Templo Domini: & perfundebatur lacrymis Joseph. Et dixit Sacerdos: Potabo vos aqua redargutionis Domini, & manifestabitur peccatum vestrum in oculis vestris. Et accepta aqua Sacerdos potavit Josephum, & misit eum ad montana, & rediit sanus. Potavit & Mariam ipsam, & misit eam etiam ad montana & rediit incolumis, & miratus est totus populus, quod peccatum non sit manifestatum in illis. Et dixit Sacerdos: Deus non manifestavit peccatum vestrum, nec ego judico vos, & absolvit eos.* Subjungit Cardinalis: *Quis cachinnis hæc seu potius indignatione non audiat.*

Hujus Pseudo Evangelii Auctor videtur illam opinionem præsumere, S. Josephum Beatissimæ Mariæ & Sponsum & Virginitatis custodem a Sacerdotibus fuisse datum, eosque seu propositum, seu votum utriusque de servanda in conjugio virginitate non nesciviſſe.

JEsus Christus, ut si culpabiles essent nullatenus ab aqua reciperentur. Sæculum IX. A.C. 829.

Profecto hic nullus est obstupescendi locus, si accusati sæpissime innocentes probarentur.

Forte ut hæc prohiberentur, effecerunt monita Agobardi, cujus Tractatum habemus de hac materia & generatim contra omnes ritus Probationum, quas populus illa ætate Dei Judicia nominabat, credens oportere, ut ad crimina occulta manifestanda miracula patraret. Ceterum multiplicis generis erant hæ probationes. Singulare certamen accusatoris & accusati, quod ipsi, aut missi ab eis pugiles inibant. Aqua calida, aqua frigida, aut ferrum candens. Crux ante quam utrique standum erat. Agobardus præcipue Duellum damnat, Gundebaldi Regis Burgundionum Lege approbatum, & monstrat, quantum illud Legi Divinæ, & maxime præcepto Charitatis, quæ Legis substantia est, repugnet. Hoc scriptum vix aliud est quam unus locorum ex S. Scriptura contextus. *to. 1. p. 301.*

§. XXXI.

Missio S. Anscharii in Sueciam.

Sub idem tempus nempe anno octingentesimo vigesimo nono Legati ad Sueonum seu Suecorum partibus ad Ludovicum *v. S. Ansch. n. 15.*

Sæculum IX. A. C. 829.

dovicum Imperatorem adveniunt, inter alia sibi commissa significantes, esse in sua Gente non paucos, qui Christianæ Religionis cultum amplecti cuperent, Regisque sui animum ad excipiendos Evangelii præcones satis propensum videri. Rogant igitur, ut Presbyteros mitteret, a quibus erudirentur. Hoc nuncio plurimum delectatus Imperator quæsivit virum, quem mittere posset, ut exploraret, an vera audiret, & consuluit Walam Abbatem Corbejensem, num quem ex suis haberet, qui in Sueciam proficisci vellet, inprimis an non ire vellet Anscharius, qui jam prius apud Herioldum Daniæ Regem moraretur. Ergo Anscharius vocatur ad Regiam, & consilii præscius recordatus est visionis sibi objectæ, dum Corbejæ olim versaretur, qua paganis fidem prædicare jussus fuerat. In præsentiam Cæsaris adductus, ad omnia quæ sibi præciperentur paratum se intrepide asseruit. Tum probato consilio Venerabilis Wala Socium ei adjunxit Nonnum Witmarum monachum veteris-Corbejæ, jussitque in absentia Anscharii, Gislemarum virum bonis operibus probatum cum Herioldo remanere.

Act. SS. Bened. to. 6. p. 85.

Sup. n. 7.

Paratis omnibus Anscharius & Witmarus navigio se committunt, in Sueciam transmissuri. En vero, cum vix dimi-

Sæculum IX. A. C. 829.

dimidium viæ confeciſſent, in piratas offendunt, qui poſt conflictum cum mercatoribus, navis illius dominis, navem & omnia in ea contenta diripiunt, ita ut viris Religioſis vix terram contingere & pedibus fugam corripere licuerit. Adeoque munera regia quæ in Sueciam deferebant, & quadraginta circiter codices, quos ad Divinum Officium celebrandum collegerant, amiſerunt, paucis rebus exceptis, quas ad terram fugientes ſecum aſportare potuere. Verum nihilo commotior S. Anſcharius, cum alii reverti ſuaderent, in Dei providentia confiſus iter pedibus perſequi non deſtitit.

Igitur longiſſimum & arduum iter conficiunt navigio tantum interjacentia freta prætergreſſi. Tandem perveniunt Bircam illa tempeſtate Sueciæ Emporium, in quadam Inſula duorum dierum itinere ab Upſala diſſitam, ubi hodie Holmia eſt; nam vetus illa urbs occidit. *Henr. Chr. clau. lib. 1. c. 8. Adam l. 1. c. 16. Baudrand. Lexic.*

Rex, cui nomen *Bern* ſeu Biornus, comperta per Legatos a ſe in Franciam miſſos adventus eorum cauſa, hoſpites perbenigne excepit. Habito deinde cum ſuis Optimatibus conſilio Rex eis in Regno ſuo manendi & prædicandi Chriſti Evangelii poteſtatem fecit; quod opus Cælo favente aggreſſi ſunt. Maxima fuit multorum ex captivis Chriſtianis S. Anſcharius.

Sæculum IX. A. C. 829.

nis lætitia, quod tandem Sacra Myſteria percipere liceret, & prædicatores omnia vera eſſe, quæ Legati Sueciæ ad Imperatorem detulerant, cognoverunt.

Suecorum aliqui Baptiſmum, quem exoptabant, receperunt, quos inter Herigarius, Bircæ Præfectus, Regis Conſiliarius & familiaris, Sacri Baptiſmatis fonte ablutus eſt, Fidei Catholicæ ſincerus dein Cultor, qui in fundo ſuo Eccleſiam fabricavit, & omnibus pietatis operibus deditus in Fide conſtantiſſime perſeveravit.

Anſcharius & Witmarus per dimidium annum in Suecia verſati, & ad Ludovicum Auguſtum reverſi cum literis, ut mos illius Nationis ferebat, regia manu ſcriptis, retulerunt, quam copioſam Gratiam a Deo accepiſſent, & qua ratione via ad convertendos Gentiles eſſet aperta. Imperator his auditis lætiſſimus animum adjecit ad erigendam in illis Imperii ſui finibus Sedem Epiſcopalem, quo infideles facilius converterentur, & Converſi firmius in fide ſtarent. Tunc igitur aliqui ex familiaribus fideliſſimi Ludovico in mentem reduxerunt, Carolum Imperatorem parentem ipſius, Saxonia domita, & fundatis compluribus Cathedris Epiſcopalibus extremam illius Provinciæ partem, qua ſeptentrionalem Albis fluvii plagam ſpectat, deſtinaſſe ad fundan-

fundandam sequente tempore Sedem Archiepiscopalem, unde fides in proximas Infidelium regiones propagari posset. Carolus Magnus ibi Ecclesiam consecrari jusserat a quodam Episcopo Galliæ, constitueratque Presbyterum, nomine Heridacum nulli vicinorum Episcoporum subditum. Quin imo propositum sibi habebat jubere, ut Episcopus ordinaretur; sed hoc factum mors antevertit. Sæculum IX. A. C. 829.

Cum Ludovicus Caroli Successor, omisso Patris consilio, quorumdam precibus aures accommodans illam Provinciam ultra Albim positam inter duos Episcopos proximos, Willericum Bremensem & Heligaldum Verdensem divisisset, nunc pensata parentis sui voluntate, vidensque quantum fides apud Danos & Suecos dilataretur, consentientibus in frequentissimo Conventu Episcopis, Hamburgi erexit Sedem Archiepiscopalem, cui tota Ecclesia Nordalbingensium, id est populorum ad septentrionalem oram Albis fluvii habitantium & reliqua regionum Septentrionalium subjicerentur, quo Episcopi & Presbyteri mittendi essent. Ergo Anscharium solemni ritu a Drogone Episcopo Metensi Archiepiscopum jubet consecrari, præsentibus tribus Archiepiscopis, Ebbone Remensi, Hettone Trevirensi, Autgaro Moguntino & pluribus aliis Episcopis etiam Verdensi

Episcopatus Hamburgensis.

Sæculum IX. A. C. 830.

densi & Bremensi, qui huic ordinationi interfuerunt, quo minus de eorum consensu dubitari posset. Hæc agebantur anno Salutis octingentesimo trigesimo, & ætatis Anscharii trigesimo. Drogo Ludovici Imperatoris frater, Caroli Magni filius, ex una uxorum suarum, quas postremis temporibus accepit, natus, ex anno octingentesimo vigesimo sexto Episcopus Metensis, cum S. Anscharium ordinavit, erat in Palatio Archicapellanus, qua dignitate Archiepiscopos præcedebat. Cum Diœcesis Hamburgensis parva esset, & Barbarorum incursionibus exposita, addidit Monasterium Galliæ Turholtense hodie in Flandria situm, atque ut institutio Sedis Hamburgensis eo magis stabiliretur, S. Anscharium cum duobus Episcopis & uno Comite ad petendam a Gregorio Papa Confirmationem Romam misit.

Coint. an. 830.

Ebbo Archiepiscopus Remensis curam Missionis Danicæ, quam susceperat, neutiquam abjiciens, petiit, ut a Pontifice (*) Legatus regionum septentrio-

Sup. XLVI. §. 50.

(*) Interpres noster Protestans, utpote rerum Ecclesiasticarum studiosus, haud dubie notaverit, missos fuisse viros Apostolicos, qui in Germania, Belgio, Dania, Suecia Fidem Christi prædicarent, secundum illa dicta S. Pauli: *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut*

ptentrionalium cum Anschario consti- Sæculum IX.
tueretur, & deinde collatis hac super Le- A. C. 830.
gatione consiliis necessarium existima-
runt, ut Episcopus aliquis in Suecia re- *vit. S. Ansch. n. 21.*
sideret. Itaque consentiente Imperatore a-
liquem ex propinquorum suorum numero
nomine Gausbertum Episcopum ordina-
ri curat, & tam ex suis Bonis quam ex
Regiis omnia abunde conferens, quæ ad
Ministerium Ecclesiæ erant necessaria,
tan-

---

aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur. Et post pauca: *Sed dico nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit sonus eorum.* ad Rom. X. Jam quæritur, a quo missi sint viri illi, qui in Dania, Suecia & Germania Fidem Christi prædicarunt? plane, ut nos Historia Ecclesiastica docet, missi erant ab Ecclesia Romana & Summis Pontificibus. Atqui jam illa ætate Papa Romanus erat Antichristus, ut aliqui ex Protestantibus loqui & scribere non verentur. Ergo Fides Christi permittente Deo a Legatis Antichristi in omnes provincias invecta est? Profecto ejusmodi Protestantes, si veritatem quærerent, prudentius inferrent: ergo, utcunque abusus Romanam Ecclesiam fœdaverint, & vitia quorumdam Romanorum Episcoporum personas maculaverint, nihilominus sequitur, quod sola Ecclesia Romana Catholica vera sit, & Romani Pontifices, S. Petri Successores, soli Primatum in ea teneant.

Sæculum IX. A. C. 830.

tanquam Vicarium suum dimittit in Sueciam, ut Legatione a Sacra Sede sibi commissa fungeretur. Ab Imperatore quoque obtinuit, ut Gausberto Monasterium ab ipso in *Wedel* fundato pro loco refugii concederetur. Ausbertus in sua Ordinatione Simon dictus; uti olim Willibrordo Clementis & Winfrido Bonifacii nomen, cum ordinarentur, inditum est. Cum deinde in Sueciam pervenisset tam a Rege quam populo honorifice exceptus Ecclesiam construere & Evangelium publice prædicare cœpit, augebaturque in dies Fidelium numerus.

§. XXXII.

Theophilus Imperator Catholicos persequitur.

post. Theoph. lib. II. n. 28. lib. III. n. 1. &c. 10.

In Oriente Michael Balbus Imperator prima Octobris anno octingentesimo vigesimo nono Indictione octava, postquam sceptrum tenuisset annis octo & novem mensibus, vivendi regnandique finem fecerat, eique succesſerat filius Theophilus, qui annis duodecim imperavit. Is sub Regni auspicia maximum Justitiæ imo & Religionis amorem præsetulit; sed non multo post, apertius quam parens suus, se sacrarum imaginum hostem professus, eas non solum coli, sed etiam pingi aut servari prohibuit. Ergo

picturæ

picturæ in Ecclesiis rursus delentur, & Sanctorum loco simulacra animalium, aviumque efformantur. Plurimæ imagines publice flammis traduntur, carceres implentur viris Catholicis, pictoribus, monachis, Episcopis. Nullos autem atrocius quam monachos Imperator insectabatur; prohibuit, ne civitates intrarent, nec ruri conspicerentur, unde multis fame pressis & rerum omnium subsidio destitutis moriendum fuit. Aliqui interim vestem mutarunt, ut tuto in lucem prodire liceret, animum in suo Instituto perseverandi retinentes. Alii in teporem extremum lapsi sunt. Itaque Monasteria facta sunt Monachorum ibi perseverantium sepulchra, aut Sæcularium tecta. Porro in omnibus pagis constituti erant ab Imperatore quæstores, ut injunctas mulctas exigerent a cunctis, qui Sanctas imagines nolebant abjicere.

Sæculum IX. A.C. 830.

vit. S. Joan. 4. Nov. c. 47. post. Theoph. n. 5.

At vero Theophilus Imperator nec Theodoram uxorem, nec Theoctistam socrum suam eo adducere potuit, ut cultum imaginum desererent. Erant Theophilo quinque filiæ, quibus avia sæpiuscule ad se vocatis, datis munusculis, blandiebatur, tum dilapsa familia solas nacta exhortabatur, ut Hæresim patris sui constanter rejicerent, & tota vita sua Sanctas imagines venerarentur. Hæc dicens, suas icones, quas in cista custo-

Sæculum IX. A. C. 830.

diebat, proferebat & ad os deductas oscu-labatur. Quadam die Imperator ex filiabus quæsivit, an suavis esset & jucunda avia, & quæ dona ab ea accepissent. Omnium natu minima, nomine Pulcheria, *dulcissima*, inquit, *poma nobis apposuit*. Tum numerum & genus explicat, & puellari simplicitate, quæcunque viderat, effutiens, *habet etiam*, ait, *in cista magnam copiam puparum, quas capiti imponit, & osculatur*. Intellexit Imperator quid rei hoc esset; dissimulavit tamen, quoniam verebatur socrum, & ejus objurgationes pertimescebat. Nam ea Theophilo anili libertate loquebatur, & publice arguebat, quod Catholicos persequeretur. Denique ipsa prope sola audebat exprobrare, quantum cuncti ejus sævitiam averssarentur. Ipse tunc nihil movit, contentus cavere, ne filiæ tam frequenter ac antea ad aviam inviserent.

Versabatur in Regia homo ridiculus & pusillæ staturæ, cui nomen Denderis. Is suis ineptiis risum non nunquam Imperatori movebat. Aliquando cellas Theodoræ Imperatricis temere ingressus vidit eam Sacras imagines osculantem & devotionis causa ori admoventem. Percontatur quid hoc esset & ad eas conspiciendas proxime accedit. *Sunt*, dixit Imperatrix, *pupæ meæ elegantissimæ*. Illico Denderis ad Imperatorem digreditur tunc

tunc mensæ accumbentem, atque interroganti, unde veniret, dixit, se a suavissima Matre sua redire (hoc nomine Imperatricem compellare solebat) quam elegantissimas pupas, subter cervicali absconditas, producentem vidisset. Assecutus est Imperator, quid diceret, atque, mensa remota, ira ardens ad Imperatricis conclave gressum præcipitat, convicia ingerit, idolorum Cultricem appellat, & quid sannio domesticus ad se detulisset exprobrat. Illa, *non est*, inquit, *Domine, quod putas. Ante speculum stabamus ego & puellæ meæ, viditque stultus ille vultus nostros, quos reddebat.* His dictis Imperatorem mitigavit, & Denderim virgis haud perfunctorie castigari jussit, ut exinde de elegantissimis pupis silere disceret.

Sæculum IX. A. C. 830. Theodora Imperatrix.

Non defuere viri Catholici, qui contra Imperatoris molimina Sacras Imagines constanter defenderent, quos inter Monachi ex Monasterio S. Abraham emicuerunt. Monstrabant ex Testimonio Patrum, præsertim S. Dionysii, S. Hierothei, S. Irenæi, vitam Monasticam non esse novum inventum. Atque ut probarent, imagines a temporibus Apostolorum fuisse receptas, referebant, vultum Sanctæ Virginis a S. Luca in tabella depictum, & JEsu Christi imaginem, quam ingenti prodigio ipse linteo im-

ibid. n. 2.

Sæculum IX. A. C. 830.

preſſiſſet. Nemo enim erat illa ætate, qui hæc facta in dubium vocaret. Imperator ea libertate offenſus varie excruciatos Conſtantinopoli ejecit. Ipſi in loca Ponto Euxino vicina confugerunt, ubi ex vulneribus (quippe flagris immanem in modum cæſi fuerant) deceſſerunt. Corpora eorum diu inſepulta nihilominus ſervata, & poſt hæc honore Reliquiis Martyrum exhiberi ſolito culta ſunt.

n. 13. *V. Bolland.* 23. *Febr. to.* 5. *p.* 392.

Theophilus Imperator maxime in pictores, qui imagines effingebant, furebat. Hinc quemdam Monachum, nomine Lazarum, tunc illius artis peritiſſimum, poſtquam eum nec blanditiis nec minis a ſententia dimovere potuiſſet, flagris tam crudelem in modum concidi juſſit, ut fluente ſanguine carnis quoque partes avellerentur, & nemo crederet, ejus vitam conſervari poſſe. Nihilominus, cum in carcere vires utcunque recepiſſet, Sanctos pingere denuo cœpit. Hac re ad Imperatorem delata præcepit, ut ei utriusque manus volæ laminis ferreis candentibus exurerentur, quo facto tortores ſemivivum relinquunt. Tandem Imperatricis aliorumque virorum magna auctoritate pollentium precibus datum, ut e carcere dimitteretur. Ille ad Eccleſiam S. Joannis *Phoberos* confugit, ibique latuit. Quamvis vero acceptis plagis manus læſæ eſſent, pinxit S. Joannis imaginem

ginem, longo post tempore asservatam, qua admota languidi curabantur. Lazarus compluribus annis Theophilo Imperatori superstes fuit. Sæculum IX. A. C. 830.

§. XXXIII.

Seditio in Ludovicum Imperatorem.

In Francia contigit, ut Ludovicus Imperator animi imbecillitate sortem prope inauditam sibi consciscceret. Cum ex Ermingarde prima uxore sua tres filios suscepisset, eos omnes Reges nominavit, Lothario primogenito ad societatem Imperii adlecto Italiam dedit, Aquitaniam Pipino natu secundo, & tertio, cui nomen Ludovicus, Bavariam. At matre ipsorum elata, Juditham duxit, quæ ei anno octingentesimo vigesimo tertio filium quartum peperit, dictum Carolum. Igitur huic quoque Mater regnum quærebat, eique Ludovicus Imperator anno octingentesimo vigesimo nono sub Regni nomine illam provinciam, quæ tunc Alemannia dicebatur, nimirum Regiones, quas Rhenus superior alluit, Rhœtiam, & Burgundiæ partem dedit, Lothario & Ludovico præsentibus, qui in eam rem consentire videbantur. Quin imo pollicitus est Lotharius, se Caroli Defensorem futurum. Verum brevi eum promissi pœnituit, & Imperator seu verius Juditha, ut partes suas contra filios pri-

Sup. lib. XLVI. §. 27.

Theog. c. 35. Nithard. l. 1. Astron. an. 829. Ann. Egin. 829. vit. Walæ. n. 7. to. AA. SS. Ben. p. 496.

Sæculum IX. A. C. 830.

mo thoro natos firmaret, ad Regiam vocavit Bernardum Comitem Barcinonensem & limitibus illis Hispaniæ præfectum S. Guilielmi Gelonensis filium, quem Ludovicus Imperator Cubiculariorum præfecti munere, quod tunc temporis in Palatio erat præcipuum, auxit.

Bernardus vastæ ambitionis homo & ad violenta consilia arripienda proclivis contentionem inter patrem & filios fovit, & complures proceres a suis amovit officiis, plerisque Optimatum invisus. Tanta ei cum Imperatrice familiaritas, ut illiciti commercii suspicio apud plerosque nasceretur. Imo brevi ad seditionem manifestam ventum est. In vere anno octingentesimo trigesimo cum Imperator loca mari adjacentia peragraret, Britanniam petens, Pipinus Rex Aquitaniæ valido cinctus exercitu usque Parisios & inde usque Vermeriam obviam egressus est. Ludovicus Imperator viribus inferior dimisit a se Bernardum, qui fuga elapsus Barcinonam pervenit, Judithamuxorem Lauduni in Monasterio Dominæ Nostræ inclusit, & ipse Compendium se recepit. Pipinus interea Reginam in conspectum suum perduci jubet, quæ mortis metu pavida promisit, se velamen monasticum accepturam, & Imperatori persuasuram, ut & ipse monasticum habitum amplecteretur. Tum ad

Ann. Met. 829.
Astron. Ann. Bertin. 830.

Impe-

Imperatorem deducitur, qui ei potestatem fecit Monacham profitendi, sibi vero tempus dari postulavit ad deliberandum, an expediret sibi comam præscindi. Porro Juditha Pictavium perducta, & in Monasterio S. Crucis custodiæ data, advenit Lotharius & tandem etiam Ludovicus Rex Bavariæ. Tum tribus filiis Compendii præsentibus mitiora Parens suggessit consilia, professus, non improbari a se, quæ acta essent, & promittens, se imposterum nullum gravioris momenti negotium excluso ipsorum consilio peracturum. Igitur illa æstate Ludovicus nomen quidem Imperatoris retinuit, quamvis tota auctoritas penes Lotharium esset. At vero mense Octobri ejusdem anni octingentesimi trigesimi Comitia celebrata sunt Noviomagi, ubi Ludovicus Imperator Germaniæ proceribus strenue ejus partes tuentibus pristinam potestatem recepit. Tunc autem prius nihil habuit, quam ut Hilduinum Abbatem in exilium mitteret, quod contra Imperatoris præceptum militari manu succinctus ad illum Conventum veniisset. Missus est in Saxoniam, ubi aliquamdiu in Monasterio Corbejæ novæ mansit. Wala quoque antiquæ Corbejæ Abbas relegatus; nam & ipse ad seditiosorum partes accesserat, quod sibi persuasum haberet, vera esse, quæcun-

Sæculum IX. A C. 830.

vit. Walæ c. 10.

Astron. Comitia Noviomagensia.

Sæculum IX. A C. 830.

que de Juditha & Bernardo ferebantur, atque hunc virum vitæ Imperatoris insidiari. Relegatus est autem ad lacum Genevensem, & in specum inaccessibilem detrusus. Dum ibi morari cogitur, Paschasius Monachus amicus ipsius & secretorum conscius ad eum mittitur, qui ab ipso culpæ confessionem eliceret. At Wala non commisit, ut sua sententia damnaretur innocens; simplici enim & recto animo crediderat, alia ratione rempublicam salvari non posse, quam si Bernardi tyrannis excuteretur. Ad Monasterium nigrum in Insula *Hero* subinde deportatus, & tandem ad Corbejense suum Monasterium dimissus est.

Jesseum Episcopum Ambianensem, qui inter Duces illius seditionis haberi non veritus fuerat, Noviomagi congregati Episcopi deposuerunt. Ceterorum vero reorum judicium ad Comitia mense Februario sequente celebranda, differendum esse existimarunt. Interim in hoc Conventu omnes arbitrati sunt, Juditham Imperatricem contra fas a Ludovico Imperatore marito abstractam secundum Canones, & auctoritate Gregorii Papæ, Principi esse reddendam. Hinc conjectura est, Gregorium Papam hac super re fuisse consultum. Juditha illico revocatur, & ad Imperatorem redit, ea tamen conditione adjecta, ut in proxime

Theg. c. 36. 37.

xime futuris comitiis compareret, & crimina sibi objecta dilueret, eo usque autem Imperator honores suæ Dignitati competentes non concederet. Comitia illa celebrata sunt Aquisgrani mense Februario anno octingentesimo trigesimo primo, ut præstitutum fuerat. Juditha in conspectum Imperatoris & filiorum ipsius ingressa est, quæsivitque populus, an aliquis esset, qui vellet eam accusare. Nemine se movente ipsa edito juramento de omnibus sibi objectis juxta legem Francorum se purgavit. Tum rei, qui Noviomagi custodiæ traditi fuerant, judicati; visumque est omnibus, esse morte dignos. Verum Imperator vitæ gratiam fecit, satisque bono Principi fuit præcipere, ut in diversis locis custodirentur, Clerici autem in Monasteriis includerentur. Imo eodem anno complures libertati restituit. Sæculum IX. A.C. 831.

§. XXXIV.

Paschasii Ratberti initia.

Inter has turbas & Wala Abbate in exilio degente Paschasius Ratbertus Tractatum suum de Corpore & Sanguine Domini nostri celebratissimum scripsit. Is a prima ætate in Monasterio Nostræ Dominæ seu Sanctæ Virginis Suessione beneficio Sanctimonialium illarum, quibus gratum animum quoad vixit exhibuit, *Mabill. in præf. to. 6. §. 1. n. 4.*

Sæculum IX. A. C. 831.

buit, educatus, & per Tonſuram Deo conſecratus, deinde tamen ad Sæculum rediit, & diu inter Sæculares moratus eſt. Tandem in Monaſterium Corbejenſe ſe recipiens, Adalhardi ſenioris Abbatis disciplinæ ſe tradidit, ibique in Studiis ſcientiarum ita profecit, ut deinde Confratres ſuos docendi muneri admotus maximam apud omnes laudem adeptus fuerit. Quamvis vero in litteris humanis eſſet doctiſſimus, ſingulari tamen cura Sacræ Scripturæ & Patrum lectioni vacabat, jamque priusquam ad Dignitatem Abbatialem fuiſſet promotus, in Feſtis ſolemnibus Evangelium Congregationis ſuæ Fratribus explicabat, & nihilominus nunquam ab officio Divino aliisve Inſtituti Monaſtici exercitiis aberat, ſed ſolum quod ſibi ſupererat tempus & quaſi furtivas horas ſuis lucubrationibus dabat, maxime cavens, ne unquam otioſus eſſet.

Sup. lib. XLVI. §. 7.

Paſchaſium Magiſtrum ſuum complures Diſcipuli illuſtrem reddiderunt, quorum numerum augent Adalhardus junior, qui in Regimine Abbatiæ Adalhardo ſeniori ſuffectus eſt, S. Anſcharius poſtea Archiepiſcopus Hamburgenſis, Hildemanus & Odo, ambo Epiſcopi Bellovacenſes, & Waranus Abbas Corbejæ novæ. Ipſe Ratbertus ad fundandum hoc Monaſterium operam ſuam junxit, eoque pergentes anno octingenteſimo vigeſimo

simo secundo Adalhardum Abbatem & Walam fratrem ipsius comitatus est. Anno octingentesimo vigesimo sexto, cum Adalhardus inter vivos agere desiisset, a Congregatione Corbejæ veteris delegatus ad Regiam profectus est, ut confirmationem electionis Walæ ab Imperatore obtineret. Illis diebus, quibus in aula versatus est, cuidam ex proceribus sciscitanti, cur tantæ severitatis virum elegissent, respondit, illum eligendum esse viæ ducem, qui ceteros in itinere præcedere soleret. Eum Ludovicus Imperator in Saxoniam misit anno octingentesimo trigesimo primo (tunc forte cum S. Anscharius Prædicationem in Septentrionalibus partibus susciperet) atque sæpius exinde ad componendas tum Ecclesiarum tum Monasteriorum causas adhibuit. Denique Wala Abbas tanti faciebat Ratbertum suum, ut sine ipso vix negotium quodquam perficere, vix iter quoquam suscipere posset. Talis erat Ratbertus Monachus, qui cognomine Paschasius dici voluit, secutus exemplum virorum doctorum sui Sæculi, qui nomini proprio barbaro cognomen latinum conjungebant.

Sæculum IX. A. C. 831.

Sup. lib. XLVI. §. 50.

§. XXXV.

Tractatus Paschasii de Eucharistia.

Paschasius anno circiter octingentesimo trige-

Sæculum IX. A. C 831.

trigesimo S. Adalhardi Abbatis sui vitam scripsit, & anno sequente compo-

Mabill. ibid. præf. n. 16. Paschas. prolog.

suit Tractatum suum de Evchariſtia rogatus a Discipulo suo Warino, cognomento Placido, qui antea Monachus Corbejæ veteris, tunc Abbas erat novæ, & S. Adalhardo anno octingentesimo vigesimo sexto successerat. Hoc opus contexuit Paschasius stilo humili, ut illis serviret, qui litteras humanas necdum didicissent, nempe Monachis Corbejæ novæ, & eo potissimum consilio, ut facilius erudirentur Saxones adolescentes, illius Monasterii alumni. Hinc doctrinam suam comparabat lacti, quod infantibus præberi solet. Procul abest ab hac Dissertatione omnis contentio, sed est pure dogmatica. Paschasius in ea Doctrinam Ecclesiæ simpliciter exponit, nec alios errores perstringit, nisi leviter quorumdam hominum incredulorum & malorum Christianorum ignorantiam, aut veterem Hæresim, nova enim nulla circa hanc materiam existebat. Tria præcipue docet; Euchariſtiam esse verum Corpus & verum Sanguinem JEsu Christi, Substantiam panis & vini post consecrationem non (*) supereſſe, sed adesse idem illud Cor-

(*) Veritatis Catholicæ testis invictus! Guilielmus Cave in Conspectu Sæculi Photiani dicit:

Corpus, quod de Virgine natum. Id in ipso libri exordio diserte affirmat in hunc modum: *Licet figura panis & vini hic sit, omnino nihil aliud, quam Caro Christi &*

Sæculum IX. A. C. 831.

c. 1. p. 1555.

---

cit: *Primus qui carnalem & corporalem Christi in Sacramento præsentiam publice proponere & audacter defendere ausus est, fuit Paschasius Ratbertus Corbejensis, qui edito libello asserere non erubuit, peracta consecratione substantiam panis & vini mutari in veram Christi carnem, verumque ejus sanguinem; illam ipsam nempè carnem, quam de utero Virginis tulit Dominus, quaque passus est, & resurrexit.* Sed en, Scriptoris hujus ex Anglia (cujus in Viros Orthodoxos petulantia eruditionem, etsi magna sit, multum superat) vel impudentiam vel ignorantiam! nam S. Martyr Ignatius ab initio secundi Sæculi in Epistola ad Smirnenses de Ecclesiæ Doctrina circa Eucharistiam loquitur in hunc modum: *De oratione & Eucharistia non participant* (Hæretici) *quia negant Eucharistiam esse Domini nostri Jesu Christi carnem, eam ipsam, quæ pro peccatis nostris passa est, & quæ per Bonitatem Patris resuscitata.* Fleurius Lib. III. §. 10. ne quid, brevitatis studio, de testimoniis SS. Patrum in sequentibus Sæculis dicam. Dicit deinde Cave in Articulo, *Paschasius Ratbertus*, Bellarminum fateri, *quod Paschasium esse primum Auctorem, qui serio & copiose scripserit de veritate Corporis &c. Eique succincte satis ingenue Jacobum Sirmondum, dicentem:*

Genui-

Sæculum IX. A. C. 831.

& Sanguis post consecrationem dicenda & credenda sunt. Et ut mirabilius loquar, non alia plane Caro, quam quæ nata est de Maria, in Cruce passa, & de sepulcbro resurrexit. Ex his tria consequentia eruit. Scilicet, Christum quotidie veraciter, sed in Mysterio, immolari, Eucharistiam & veritatem esse & figuram, denique digestioni & secessui non esse obnoxiam.

6. 2. 4. 9. 4.

Genuinum Ecclesiæ Catholicæ sensum ita primus explicuit, ut viam ceteris aperiat &c. At plane Cardinalis Bellarminus & P. Sirmondus nihil aliud fatentur, quam Paschasium clarius ceteris & ex instituto Materiam de Evchariſtia pertractasse. Nec istud est Historiam totam Ecclesiasticam de Doctrina Catholica & Hæresibus pervolventi novum aliquid vel inauditum, sed quod in omnibus Fidei Articulis, de JEsu Christi Divinitate, de Processione Spiritus Sancti a Filio, de duabus JEsu Christi voluntatibus & Operationibus contigit, dum nempe Scriptores Catholici posteriores Doctrinam Ecclesiæ clarius & distinctius exposuerunt. Hæc Cavei argutatio similis est, ut ovum ovo, impudentissimæ criminationi Juliani Apostatæ cum dixit, ceteris Evangelistis tacentibus S. Joannem primum ausum fuisse mentiri, quod JEsus Christus sit verus Deus. * Quia nempe ceteris Evangelistis clarius JEsu Christi Divinitatem expressit. In fine addit Cave: (Paschasio) *se statim opposuerunt Rabanus Maurus, Bertramus vel Ratramus Corbejensis, Joannes Scotus Erigena.* Respon-

* In Lib. contra Rel. Cathol. Sup. l. XV. §. 45. Tom. IV.

deo;

noxiam. Præsentiam porro realem ita asserit, ut, si quis non credat, impio deteriorem pronunciet. Sæculum IX. A. C. 831.

Dicit Paschasius in alio loco, Sacramenta JEsu Christi esse Baptismum, Chrisma, & Corpus & Sanguinem Domini. Sed noluit hic Sacramenta accurate enumerare; aliqua vero in exemplum memorat, quod ad ipsius institutum sufficiebat. Rursus dicit, JEsu Christi Carnem quo-

c. 20. p. 1606.
c. 12. p. 1589.
c. 3. & ib. Sirm.

deo: Epistola Rabani Mauri ad Egilonem Abbatem Fuldensem, de qua mentionem facit Cave, jam dudum evanuit, ut ipse fatetur. Et firma præsumtio est, eum in verbis tantum & explicatione, non vero in Summa Doctrinæ de Præsentia vera a Paschasio discrepasse.

Ratramus non dicebat, ab Adversariis suis aliquid negari, quod esset de fide credendum, scilicet præsentiam realem, sed eos in modo explicandi sibi ipsis contradicere. Ut infra Lib. XLIX. §. LII. videbimus. Explicatio autem Joannis Erigenæ ab Ecclesia non est recepta, & in Concilio Vercellensi anno 1050 damnata.

Ceterum novissimus Catholicæ Veritatis de Præsentia Reali Christi in Evchariſtia Defensor R. P. Martinus Kropff Benedictinus Mellicensis & ibid. Bibliothecarius Librum edidit sub Titulo: Der entlarvte Mede, in quo illum ipsum hujus Mede Tractatum a Fleurii Interprete nostro Protestante Tomo primo versionis suæ insertum & a me Animadversionibus Germanicis anno 1757. castigatum, solide & erudite refutat.

Sæculum IX. A. C. 832. c. 4.

quotidie in Sacramento Altaris creari; in eo nempe sensu, quod ibi existere incipiat. Testes suæ Doctrinæ S. Cyprianum, S. Ambrosium, S. Hilarium, S. Augustinum, S. Joannem Chrysostomum, S. Hieronymum, S. Gregorium, Hesychium, & Bedam adducit.

§. XXXVI.

Tractatus Amalarii de Officiis Ecclesiasticis.

Mabill. in ord. R. c. 1. Id. c. 12. n. 2. Præf. alt. Amal. & de ord. antiph. c. 58. Prolog. Antiph.

Eodem anno octingentesimo trigesimo primo Amalarium, Ecclesiæ Metensis Clericum, & exinde Chorepiscopum Lugdunensem Romam misit Ludovicus Imperaror, cui Amalarius anno circiter octingentesimo vigesimo amplum Tractatum de officiis Ecclesiasticis in quatuor libros divisum inscripserat. Cum Romæ versaretur, Ministros Ecclesiæ S. Petri consuluit, & multa utiliá ex eorum responsis colligens, operi suo ultimam manum apposuit, alteramque editionem in lucem emisit. Supersunt tamen etiam exemplaria primæ editionis, unde diversitas inter primam & secundam dispici possit. Præterea in illa commoratione in urbe postulavit a Gregorio IV. Antiphonaria, & dicenti, id sibi ab Imperatore in mandatis datum, respondit Papa, nulla sibi esse Antiphonaria, quæ mittere posset, quia Wala, cum aliquan-

quando Legatus Principis adfuiſſet, ea deportaſſet in Franciam. Hæc ipſa deinde Amalarius in Monaſterio Corbejenſi invenit, iisque cum Antiphonariis, quæ in Francia erant, collatis, anſam arripuit, alterum opus de hac materia concinnandi. Item compendium officii Miſſæ ſecundum ordinem Romanum ab Amalario habemus. Ibi nominatur Amalherus, & de eo tanquam Abbate mentio fit; nam a veteribus non nunquam Abbas appellatur. Sæculum IX. A. C. 831. *Baluz. to. 2. Capit. p.* 1352.

Illud Amalarii opus eo præcipue tendit, ut de precibus & Ceremoniis in officio Divino occurrentibus ratio reddatur, & ſæpe moratus eſt in argumentis myſticis, quorum aliqua fundamento ſatis ſolido deſtitui videntur. Nihilominus vero hujus viri labor nobis utiliſſimus eſt, ex quo certi reddimur, preces in Miſſa & in horis fuiſſe easdem ipſas, quæ in Sacramentario & Antiphonario S. Gregorii viſuntur, & quas hodieque recitamus, cæremonias autem tales fuiſſe, quales antiquus ordo Romanus exhibet. Ita ut Amalarii ſcripta pari valeant auctoritate ac aliquod Manuſcriptum genuinum, quod eſſet anno octingenteſimo trigeſimo exaratum.

Amalarius in ſua præfatione dicit, duas tresve diverſas Miſſas celebratas fuiſſe in Dominicis, in quas aliqua Sancto-

Sæculum IX. A. C. 831.

rum Festa incidebant, quibusdam vero satis fuisse Sanctorum commemorationem facere adjecta collecta. Ostendit in Formulis Missæ omne orationis genus comprehendi. Dicit, illam orationem, quæ in Missis Quadragesimæ Postcommunionem sequitur, esse Benedictionem illorum causa subjunctam, qui non communicaverant; quia illo tempore non omnes singulis diebus Missæ intererant. Per ordinem deinde de omnibus Missis disserit, initium ducens a Septuagesima, & refert omnes introitus, Epistolas, Evangelia, quæ nos hodieque recitamus. In Quadragesima notat illos dies, in quibus quidquam singulare observatur, & primo diem Mercurii post Quinquagesimam, qua Fideles incipiunt jejunare, & Missa habetur ad Nonam, cum aliis temporibus ad Tertiam celebretur. Tum conjicit, quod omnino ita erat, quatuor dies ante Dominicam primam Quadragesimæ tempore S. Gregorii fuisse adjunctos, ut numerus dierum quadragenarius impleretur.

Missarum diversi Ritus. *v. lib. III. c. 17.*

Lib. I. c. 7.

Menard. in Sacr. p. 52.

Rursus singulare aliquid occurrit die Mercurii quartæ hebdomadæ in Quadragesima, quo in Missa lectio una & unum Responsorium adjiciuntur, cujus rei causam esse dicit Amalarius, quod illa die inter septem Scrutinia præcipuum instituatur. Nempe illa die Presbyteri digi-

c. 8.

tis

tis ſuis aures & Catechumenorum tangunt, iisdem explicantur initia quatuor Evangeliorum, &, quinam illorum Auctores ſint, aperitur, tum etiam orationem Dominicam & Symbolum accipiunt, quæ in Sabbato Sancto pronuncient. De his Scrutiniis, ſeu de examine Catechumenorum fuſius egimus, ubi de Sacramentario S. Gelaſii ſermo fuit. In Sacramentario legitur, Sabbato ante Dominicam Palmarum Papam eleemoſynas ſolito largius diſtribuiſſe; quod ideo inſtitutum fuiſſe putat Amalarius, ne memoria illius mulieris periret, quæ JEſu Chriſti pedes ſexta ante paſſionem ſuam die unxit. Sæculum IX. A. C. 831. *Sup. lib. XXX. §. 43.* c. 9.

In Cœna Domini complura ſingularia obſervantur. Gloria Patri non cantatur, & non pulſantur campanæ, quod etiam ſequente biduo non fit. Olea triplicis generis conſecrantur, ſcilicet, Sanctum Chriſma, oleum Catechumenorum, & oleum infirmorum. Corpus Domini Noſtri ſervatur in alteram diem. Commune convivium in memoriam Cœnæ Domini agitur. Fratrum pedes & Eccleſiæ pavimentum lavantur. Nudantur altaria, & tandem pœnitentes Abſolutionem recipiunt. Officium in Paraſceve idem erat, ac hodie celebratur, adoratio Crucis diſertis verbis refertur, & contra aggreſſores, qualis erat Claudius Taurinenſis, c. 13. 14.

Sæculum IX. A. C. 831.

nensis, defenditur. Hic dicit Amalarius, se ab Archidiacono Romano accepisse, in illa Ecclesia, in qua Papa Crucem adora-

c. 15. v. *Mabill. comm. ord. R. c. 12. n. 2.*

ret, nemini Communionem præferri. Hunc morem universalis deinde Ecclesia recepit. In Sabbato Sancto non celebrabatur Missa, quia in sequentem noctem differebatur, & S. Hieronymus tanquam rem a Traditione Apostolorum acceptam refert, in Vigilia Paschæ non fuisse licitum ante mediam noctem dimittere populum. Eadem die Archidiaco-

c. 17.

nus Romanus faciebat *Agnos Dei* ex cera & oleo, quos Papa benedicebat. Hi deinde in octava Paschæ post Communionem in populum distribuebantur ad eos cremandos, unde domus odore aromatico implerentur. In vigilia Paschæ

Lib. IV. c. 28.

mos erat Catechumenos in nocte baptizare, sed in Vigilia Pentecostes ad Nonam, id est hora post meridiem tertia. Hæc pauca sufficient ut Lector pius & rerum Ecclesiasticarum studiosus cognoscere valeat, quantam utilitatem Amalarii libri aliique similes ad Cæremoniarum Ecclesiasticarum Sanctitatem & antiquitatem demonstrandam afferant; nam etiamsi daremus, non ante annos nongentos extitisse, magnam certe venerationem mererentur, nunc vero constat, eas ante annos nongentos fuisse antiquissimas. Ceterum Amalarius in Libro primo

mo agit de Missis totius anni, in secundo de Ordinationibus & Clericis, in tertio explicat Missam quotidianam, & in quarto tam diurna quam nocturna officia. Sæculum IX. A. C. 831.

§. XXXVII.

Agobardus Lotharium calamo defendit.

Interim funesta jurgia inter Ludovicum Imperatorem & filios gliscebant. Nam Ludovicus Judithæ uxoris suæ (antiquum malum) blanditiis obsequens, jam uni jam alteri filiorum, prout impellebatur, favebat. Regnorum divisionem mutaverat, & Lothario Augusti nomen ademerat. Jamque hinc Patris inde filiorum exercitus ad bellum proficiscentes totum Imperium turbabant. Tunc vero Agobardus, Archiepiscopus Lugdunensis, Ludovico Imperatori scripsit in hunc modum: *Fidelis subditi officium exposcit, ut si Dominum suum in periculo versari sciat, eundem promptissime admoneat. Testem invoco Deum, scrutatorem cordium, nulla alia re me moveri, ut tibi scribam, quam quod vehementissime, & plus quam verbis explicare possim, doleam, salutem tuam, maxime animæ, in extremum discrimen esse adductam.* Tum Imperatori in memoriam reducit, quanta industria Lotharium, filium suum natu maximum, in societatem Imperii adlegerit, nimirum

Epist. Fleb. to. 2. p. 42.

Sup. lib. XLVI. §. 27.

Sæculum IX. A. C. 831.

post jejunia & preces, ut facilius Dei voluntatem posset cognoscere. Subjungit: *Ex eo tempore Mandata Cæsarea semper nomen utriusque præferebant, & nunc propositum abjicis, quin Deus tibi vel per Angelum, vel per Prophetam, vel per se ipsum revelaverit, quod pæniteat ipsum, elegisse*

1. Reg. 15. *hunc Principem sicut indicavit Samueli, quod Saul rejecisset. An melius consilium ex te ipso hausisse existimas, quam illud prius, quod Cœlum tot precibus exoratum*

c. 6. *suggesserat?* (*) *Mala quæ elapso anno ex hac animi mutatione evenerunt, deflemus, & merito timemus, ne Deum tibi offensum habeas. Ut enim nihil dissimulemus, hæc promissa diversa & sibi contraria cum jurejurando multis non probantur, & levitas tua palam vituperatur.*

c. 7.

Theg. c. 42. Astron. ann. 832. Nithard. lib. 1.

Ceterum annus, in quo hæc ita se habere dicit, & in quo epistolam istam scripsit Agobardus, octingentesimus trigesimus tertius fuisse creditur, quo hinc parentis & inde filiorum agmina in campos exibant.

Astron.

Lotharius ex Italia veniebat, atque ut causam suam patrocinio firmaret, itineris comitem acceperat Gregorium Papam,

(*) Satis laconice hic Agobardus. Ceterum poterat utique Ludovicus Imperator & Pater Lotharium filium sibi subditum in societatem Imperii adsciscere, & rebellem punire.

pam, qui inter patrem & filios pacem reduci posse sperabat. Et hæc fuit materia alterius Agobardi ad Ludovicum Imperatorem epistolæ, cujus istud est exordium: *Mandata dedisti, ut ordo uterque Ecclesiasticus & militaris in his Reipublicæ motibus hic ad pugnam, ille ad consilium paratus sit.* Scilicet Imperator Comitia convocaverat, in quibus nihil intentatum relinqueretur, quo jurgia inter Patrem & filios sine prœlio & sanguine tollerentur. At Agobardus credidit sibi non expedire, ut ad illa Comitia se conferret, satisque ei visum, scribere hanc epistolam, in qua adductis verbis S. Leonis, Pelagii & Anastasii Auctoritatem Papæ mirum in modum extollit, & deinde subjungit: *Si Gregorius Papa eo animo ad te venit, ut abjectis pacis consiliis dimicet, repelli meretur; si vero venit, ut pacem reducat, & ea, quæ aliquando tua Auctoritate & totius Imperii consensu acta sunt, atque a Sacra Sede confirmata, restituat, æqua postulat, obedire te oportet, nec sine culpa reluctari potes. Cum Paschali hoc tempore litteras accepissem a Papa ad me datas, quibus jejunia & preces nobis injungebat, ut Deum mitigaremus, & impetraremus auxilium, quo firmatus Pontifex, in Regnum tuum pacem & in Regiam Domum concordiam reducere valeret, illis perlectis intimis visceri-*

Sæculum IX. A. C. 831.

De compar. utriusque to. 2. p. 48.

c. 4.

c. 5.

Sæculum IX. A.C. 833. *bus commotus, manus meas ad JEsum Christum Dominum nostrum levavi vehementer exoptans, ut sine sanguinis effusione præsens tumultus sedaretur.* Et infra: *Nemo dubitat, Domine, te sine comparatione pluris facere Regnum Cœleste quam terrenum; nihil vero magis gratum Deo agere potes, quam amissam pacem populis dare.*

c. 7.

§. XXXVIII.

Gregorius Papa in Francia.

vit. Walæ. c. 14. Postquam Summus Pontifex in Franciam pervenit, ipsius & Principum, apud quos erat, nomine mittuntur, qui Walam Abbatem Corbeja adducerent, cujus consilia ad conciliandam pacem utilissima credebantur. Ipse repugnans e Monasterio pedem efferre nolebat; sed ad extremum cessit Fratrum precibus, dicentium, missos a Principibus milites vim ei illaturos comminari. Itaque comitante Ratberto perrexit in Alsatiam, quo Ludovicus Imperator jam prius mense Majo se contulerat, & ubi etiam Principes filii cum Papa commorabantur. Episcopi Ludovico Patri adhærentes data ad Papam epistola querebantur, quod non vocatus adveniisset, & accusabant, quod fidem Imperatori juratam violasset. Cumque percrebuisset rumor, Gregorium adesse, ut ipsos excommunica-

Astron.

tione

tione feriret, respondebant, non esse Papæ potestatem ipsis invitis in ipsorum Diœcesibus quemquam excommunicandi, nec de aliqua re decernendi, & si eos contra Canones excommunicaturus veniret, ipsum excommunicatum abiturum. Imo ipsum se deposituros minabantur. At Papam perterritum Wala & Ratbertus confirmarunt, exhibitis ei Patrum testimoniis, quod potestate sibi a Deo tradita posset ire vel mittere ad prædicandam fidem omnibus nationibus, & procurandam Ecclesiarum pacem, ipsumque esse omnium Judicem quin a quoquam ipse judicari posset. Conjectura est, iisdem suadentibus Gregorium ad Episcopos Ludovico Imperatori faventes dedisse epistolam, in qua potestatem Ecclesiasticam supra Sæcularem extollit, dicitque, ipsos in his rerum Articulis potius sibi quam Imperatori obedire oportuisse. *Si fidem*, inquit, *Imperatori juravi, eam fidelius servare nequeo, quam si pacem vestituo. Et vos, vos inquam perjurii rei, quomodo ejusdem criminis me accusare potestis? id vero memineritis, vos, si ab Ecclesia Romana recesseritis, Schismaticos futuros.* Epistolas utrinque stilo tam acerbo scriptas ad conciliandos animos nihil contulisse, haud sane mirum est.

Sæculum IX. A. C. 833.

vit. c. 16.

ap. Agob. to. 2. p. 53. to. 7. Conc.

Ludovicus Imperator missis ad filios Delegatis, quorum Princeps erat Bernar-

Astron.

Sæculum IX. A. C. 833.

dus seu Bernarius Wormatiensis, quærere eos jussit, cur Papa ad se venire cunctaretur, & an simili affectu ac Antecessores ejus in Imperatorem ageretur, atque ut filios ad reditum permoveret, misit etiam sex articulos, in quibus admonebat refractarios, quod filii sui essent, & vasalli, qui fidem juravissent Patri & Regi. Querebatur præterea, quod se auctoritate Defensoris Sacræ Sedis privatum vellent, cum Papam quasi captivum detinerent. Lotharium vero insimulabat, quod aliis defectionis auctor esset. Respondit ad omnes articulos Lotharius, magnam Parentis reverentiam & submissionem in speciem professus, & asserens, non odisse se patrem, sed malos, quibus obsideretur, consiliarios; se vero armatum advenisse, non ut quemquam læderet, sed se ipsum tueretur. Et similia, quæ rebelles omnes ad excusandam seditionem afferre solent.

vit. Walæ c. 17.

Tandem Papam dimisit ad Patrem, qui venienti consuetos honores non exhibuit, nemo Hymnum præcinuit, nemo laudavit, nemo acclamavit. Dixit vero Imperator: *Ideo hæc tibi eveniunt, quia non venisti vocatus sicut Prædecessores tui ad Prædecessores nostros. Sciat velim*, inquit Papa, *nulla alia ex causa me venisse, quam ut pacem reducam, pacem, quam præ rebus omnibus Salvator Noster nobis*

nobis commendavit. Cum Papa per dies aliquot cum Ludovico Imperatore fuisset, & alter alterum donis cumulasset, rediit ad Lotharium necdum spe abjecta, concordiam inter Patrem & filium revocari posse. Sæculum IX. A.C. 833.

§. XXXIX.

Ludovicus Imperator desertus ab omnibus.

Mense Junio exeunte Ludovici parentis & filiorum ipsius exercitibus per vastissimos campos inter urbes Basileam & Argentoratum effusis, & in conspectu stantibus, Lotharius sparsis in plurimos muneribus, pollicitationibus, minis, effecit, ut ex paternis castris his comilitones trahentibus illis sequentibus copiæ ferme omnes ad se, Imperatore deserto, deficerent, illa ipsa nocte, qua reversus fuerat Papa, cui non amplius ad patrem redeundi potestatem fecit. Ludovicus intelligens, se a suis proditum, ad paucos, qui sibi ad ultimum adhæsuri erant, conversus dixit; nolle se optimis sane & fortissimis viris exitii causam esse, & concessit in castra filiorum, qui venientem magna veneratione prosecuti sunt. Illico autem Juditha uxor ab ipsius latere avulsa, & Ludovici Regis Bavariæ custodiæ tradita. Lotharius Patrem Imperatorem cum Carolo adolescente fratre suo decenni

Astronom.

Thegan. c. 42.

Sæculum IX. A. C. 833.

decenni in illam castrorum partem, quibus ipse præerat, deduci jubet, & in tabernaculo separato detineri. Ne tantæ perfidiæ memoria periret locum illum, in quo hæc contigerunt, posteri campum mentitum appellarunt.

Tunc vero ex Papæ Procerumque omnium opinione Ludovicus tanquam Dignitate Cæsarea privatus haberi cœpit, eaque ad Lotharium delata, qui consentiens fidelitatis juramentum ab omnibus recepit. (*) Mox nova inter tres fratres Lotharium, Pipinum & Ludovicum Imperii divisio facta. Walæ nec Ludovici Depositio, nec nova divisio probabatur, cumque sentiret, sua consilia vilipendi, in Italiam ad Monasterium Bobiense se recepit. Papa iter Romam ingressus est, ingenti animi dolore pressus, quod tristissimam sortem, qua indignus erat, parens a filiis ferre cogeretur. (**) Cum Papa discessisset, tribus fratribus in diversa abeuntibus, Judith abducitur ad Dertonam in Longobardia, Imperator Ludovicus Suessionem deportatur, & in Monasterio S. Medardi includitur,

to. 7. Conc. p. 1571. Mabill. to. 3. Annal. pag. 277.

(*) Hic si non jure saltem facto depositus videtur Ludovicus,

(*) P. Natalis in Dissertatione in hoc loco probat Summum Pontificem defectioni filiorum a Patre non faviſſe.

ditur, Carolus mittitur in Monasterium Prumiense sed intonsus relinquitur. Lotharius vero Comitia Generalia, Compendii prima die Octobris inchoanda, denunciat. Sæculum IX. A. C. 833.

In illo tumultu Agobardus, apologia publice edita, asserebat, Lotharium & ipsius Fratres rem præclaram gessisse, quod armorum præsidio parentis Palatium criminibus infame purgassent. In ea malorum omnium causam Juditham esse affirmat, quam accusat, quod fidem conjugalem marito & Imperatori datam violaverit, & filium ex prima uxore susceptum persecuta sit. Dicit, ante triennium, æquitate id postulante, criminum conscios e Regia pulsos & ipsam in Monasterium detrusam, nec postea Ludovico licuisse eam denuo recipere. Queritur, quod subditi ad præstandum juramentum priori contrarium præsertim Regis Caroli adolescentis bono compulsi fuerint, & Imperator in Subditos populos & filios exercitus immiserit, quibus adversus barbaras nationes ad promovendam earum conversionem secundum intentionem Ecclesiæ uti debuisset. In hunc enim sensum Agobardus explicat orationem illam, quam hodieque in Parasceve pro Rege recitamus. In Apologia autem, ubi de Imperatore loquitur, semper dicit: *Ludovicus olim Imperator*, præ- *Apolog.to.2. p. 61.*

Sæculum IX. A.C. 833.

præsumens, eum legitime exauctoratum, & concludit inferendo, Ludovico pœnitentiam subeundam esse tum ob tot mala ipsius socordia exorta, tum ob conniventiam & dissimulationem vitiorum in uxore. Denique restare, ut se sub potenti manu Dei humiliet, & æternam gloriam in votis habeat, postquam honores hujus Sæculi amisisset.

§. XL.

Ludovici pœnitentia coacta.

Astron.

His argumentis animi parabantur ad ea patienter accipienda, quæ deinde in Comitiis Compendii Acta fuerunt; quippe Lotharius aliique suæ factionis Duces, cum viderent in illo Conventu omnes Ludovici optimi Principis commiseratione tangi, veriti, ne vicissim populi ab ipsis deficerent, crediderunt, extrema esse arripienda remedia, quo Parenti nulla amplius regnandi spes superesse posset. Ergo statuerunt Ludovico Imperatori pœnitentiam publicam injungere, ut sic a vitæ militaris civilisque societate in perpetuum excluderetur.

Thegan. c. 44.

Hujus consilii Auctores fuere Ebbo Archiepiscopus Rhemensis, Agobardus Lugdunensis, Bernardus Viennensis, Bartholomæus Narbonensis, Jesseus Ambianensis postquam restitutus fuisset, Elias Tre-

Trecensis, & Hereboldus Antissiodorensis. Sæculum IX. A.C 833.

Lotharius Compendium secum deduxerat parentem suum, ad quem miserunt Episcopos, ut ipsum ad obediendum sententiæ contra se, & quidem inauditum, pronunciatæ permoverent. Scilicet, in Monasterium migrare jubebatur, & reliquos vitæ dies ibi latere. Respuit primum rem indignam Imperator; sed tandem, cum Episcopi mitissimum Principem monitis & increpationibus fatigare non desinerent, consensit, ut publice pœnitentiam reciperet. Itaque præstituta die, eodem mense Octobri anno octingentesimo trigesimo tertio, Indictione duodecima inchoata, Ludovicus in Ecclesiam Dominæ Nostræ Suessionensis (*) deducitur, ubi S. Medardi & S. Sebastiani corpora quiescebant. Aderant Episcopi congregati, Ebbone utpote illius Provinciæ Metropolita Duce, maxima quoque Clericorum circumstabat frequentia, præsens erat Lotharius cum Proceribus permultis, & tanta, quantam Ecclesia capere poterat, populi

Act. depos. to. 7. Conc. p. 1686.

Theg. c. 43.

(*) P. Natalis Alexander in Dissertatione II. ad hoc Sæculum fusissime probat Episcopos in Conventu Compendiensi Imperatorem nec voluisse nec potuisse deponere. Urbs Suessionensis non procul aberat a Compendiensi.

Sæculum IX. A. C. 833.

populi multitudo admissa fuerat. Tunc in terram cilicio stratam coram altari se demittens Ludovicus publice confessus est, quod munere suo indigne functus ad delendas culpas suas publicam pœnitentiam peteret; monentibus Episcopis, ut Confessionem ederet illa magis sinceram, quam olim, id est, anno octingentesimo vigesimo secundo Attiniaci pronunciasset.

Sup. Lib. XLVI. §. 46

Tenebat Ludovicus manu sua chartulam, ab Episcopis sibi datam, summam reatuum suorum continentem, & primo quidem, reatum Sacrilegii & Homicidii, eo quod juramentum parenti suo solemni ritu præstitum violasset, fratribus & propinquis vim intulisset, & Nepotem suum (nempe Bernardum Regem Italiæ) necari permisisset. Secundo, quod Auctor fuisset scandali, & pacis perturbator, cum pactum divisionis Regnorum inter filios suos communi consensu omnium fidelium Subditorum initum fregisset, & juramenta prioribus contraria exegisset. Tertio, quod nulla poscente necessitate in Quadragesima milites ad bellum in campos exire jussisset, & Comitia in partibus extremis sui Imperii ad Cœnam Domini indixisset, unde populi murmurassent, & Episcopis Officia Ecclesiastica celebraturis impedimentum positum fuisset.

Conventus Compendiensis.

Sup. Lib. XLVI. §. 35.

Hic

Hic sermo est de itinere Ludovici anno octingentesimo trigesimo in Britanniam suscepto, & Comitiis apud Rhedones indictis. Quarto, quod complures fidissimorum suorum Subditorum monita salutaria adversus insidias inimicorum ipsius suggerentes pessime habuisset, bonis privasset, præsentes in exilium ejecisset, absentes ad mortem condemnasset, immunitatem Presbyterorum & Monachorum læsisset, & Prætores ad iniqua Judicia impulisset. Hic articulus accipiendus est de Seditiosis anno octingentesimo trigesimo in Comitiis Neomagensibus pœna affectis.

Sæculum IX. A. C. 833.

Ann. Met. Bert.

Sup. n. 32.

Quinto, quod ansam dedisset ad complura Sacramenta sibi contraria præstanda, ad dicenda falsa testimonia, & ad absolvendas quasdam fœminas culpabiles. Istud præcipue in Juditham cadit. Sexto, quod non nunquam expeditiones militares imperasset non solum inutiles, sed etiam pernicioſas, non expetito suorum consilio, unde orta essent crimina innumerabilia, cædes, perjuria, sacrilegia, adulteria, latrocinia, incendia domorum Ecclesiarumque, quorum omnium reatus in ipsum, utique auctorem, caderet. Septimo, quod imprudens suo solius arbitrio & in Reipublicæ detrimentum Regna divisisset, & jurisjurandi Sacramenta contra filios suos veluti

Ludovicus Imperator confitetur.

Sæculum IX. A. C. 833.

contra hostes infensissimos recepisset, quos sua auctoritate in pace confirmare debuisset. Tandem quod nuper omnes populos sibi subjectos convocasset, eo consilio, ut in interitum ruerent, quod malum optimus Deus inaudito prodigio avertisset. Istud accipiendum de bellico tumultu ejusdem anni in Alsatia; nam Lotharii assentatores defectionem subitam militum, qui patrem secuti fuerant, non sine miraculo cœlitus edito evenisse jactabant.

vit. Walæ c. 18.

Ludovicus se horum omnium, quæ supra memorata sunt, reum confessus chartulam suæ confessionis Episcopis tradidit, quam ipsi super Altare posuerunt. Tum cingulum militiæ depositum infra Altare projecit, & habitu Sæculi se exuens habitum pœnitentis suscepit. Episcopi manus imposuerunt, & preces consuetas, quando peccatori pœnitentia Ecclesiastica injungebatur, recitarunt.

Lib. Agob.

His ita gestis placuit, ut unusquisque Episcoporum quomodo hæc res acta fuisset propriis Chartulis insereret, quas sua manu apposita roboraret, & Lothario ad memoriam hujus facti offerret. Tandem omnium istarum chartularum summa in unum congereretur, & singuli subscriberent Episcopi.

Habe-

Habemus commentarium Agobardi, atque etiam Actorum generalium summam præmissa præfatione, in qua dilaudant Episcoporum Ministerium & potestatem ligandi solvendique, qua ut Vicarii JEsu Christi præditi sunt. Memorant deinde, felicissimum sub Carolo Magno Regnum sub Ludovico ipsius filio nutasse & ad ruinam impulsum. Dicunt, Ludovico potestatem Cæsaream justo Dei Judicio subito fuisse ademptam. Nempe militum defectione, qua ante trimestre Ludovicus Imperator proditus fuerat. *Nihilominus*, subjungunt Episcopi, *mandatorum Dei & Ministerii nostri memores credidimus, opus esse, ut permittente Lothario Imperatore ad Ludovicum viros mitteremus, qui eum de peccatis suis monerent, hortarenturque, ut Salutis suæ curam gereret, ne potestate terrena privatus animæ quoque suæ jacturam faceret.* Ajunt deinde, quod Lothario filio suo sit reconciliatus, & referunt pœnitentiæ susceptæ modum, prout modo narravimus. Notandum ad hæc Acta, Episcopos Compendii congregatos non voluisse Ludovicum Imperatorem deponere, utpote quem ante trimestre Imperio dejectum credebant. Hinc eum non Imperatorem sed Dominum Ludovicum nominarunt, aut Virum venerandum, nec ei coronam, nec

Sæculum IX. A. C. 833.

An Ludovicus fuerit depositus.

Sæculum IX. A. C. 833.

alia Imperatorum insignia ademerunt, sed eum pro viro privato habuerunt arma gerente, quæ ut deponeret, jusserunt, quod iis cingi secundum pœnitentiæ Ecclesiasticæ leges non amplius liceret. Istud in Canone duodecimo Concilii Niceni & in articulo quinto Epistolæ Decretalis S. Siricii ad Himerium statutum fuerat. At vero sensus genuinus horum Canonum est, quod pœnitenti, illo solum tempore, quod ipsi ad complendam pœnitentiam præscribitur, militare non liceat, & hunc sensum ipsi Franciæ Episcopi receperant, cum militare cingulum eidem Ludovico non ademerunt, post completam pœnitentiam publicam, cui se in Conventu Attiniacensi submiserat. Multo minus credere debuissent, quod hanc secundam pœnitentiam subiens propterea summa principis potestate exueretur, quam post peractam primam retinuerat. Nec etiam istud asserebant, sed Ludovicum jam ante Conventum Compendiensem tam Regia quam Cæsarea Dignitate privatum præsumebant. At rursus, pœnitentia Attiniaci susceptа primum articulum Confessionis, quam scriptam Ludovico nunc tradiderunt Episcopi, nullius esse roboris ostendebat; siquidem iterum Bernardi necem, aliaque errata commemorarunt, pro quibus expiandis pœnitentiam

Sup. L. XI. §. 12. L. XVIII. §. 34.

tiam primo compleverat. Atqui divinæ humanæque leges unum peccatum bis puniri vetant. Mirum itaque non est, quod omnia in Conventu Compendiensi acta brevi post tempore nulla fuerint declarata, & a tota sequente posteritate execrata. Ipsos Episcopos & Proceres, qui adfuerunt, tanto facinore erubuisse credibile est, nullus enim eorum in illis actis nomen apponere ausus est. Sæculum IX. A. C. 833.

Ceterum hic advertere Lector potest, hoc secundum esse valde memorabile exemplum, Episcopos objecta specie pœnitentiæ injunctæ adversus Potestatem Sæcularem viribus majora attentasse. Primum est illud quod Episcopi Hispaniæ in Concilio Toletano duodecimo adversus Wambam Regem moliti sunt, ut suo loco retuli. *Sup. Lib. XL. §. 29.*

§. XLI.

Scientiarum Studia inter Musulmannos.

Eodem anno octingentesimo trigesimo tertio, Hegiræ ducentesimo decimo octavo, die Jovis, decima nona mensis septimi, quæ hoc anno in nostrum mensem Julium incidebat, e vivis abiit Almamon, postquam regnasset annos viginti, menses septem & dies tredecim. *Elm. l. 2. c. 8. p. 138. Sup. l. XLV*

Sæculum IX. A C. 833.

Sub ejus Imperio, cum litterarum & virorum doctorum esset amantissimus, Musulmanni scientias excolere cœperunt. Superioribus temporibus Musulmannorum Doctrina eo absolvebatur, si legem Mahometis & linguam patriam didicissent, tumque medicinæ scientiam a limine salutassent. Hic litterarum status sub Califis ex familia Ommiadum fuit. Almanzor ex genere Abbasidum secundus Philosophiam & Astronomiam addidit. Almamon autem ejus nepos in his studiis ultra progressus, multos sumptus ei impendit, ut libros raros Syriace & Græce scriptos compararet, unde scientiæ ex ipsis fontibus haurirentur, rogavitque Imperatores Græcorum, ut si quos haberent, sibi mitterent. Conquisitis libris optimos interpretes accersivit eosque in linguam Arabicam verti jussit. Subditis suis Auctor fuit, ut ad intelligendos hos libros incumberent, conferens cum ipsis, & eruditis colloquiis præsens. Viros vero doctos fovebat, quamcunque demum Religionem profiterentur. Ipsi vicissim partus suos eidem offerre gestiebant, unde, si quod Cimelium literarium inter Christianos Orientales omnium Sectarum, inter Judæos, Magos, antiquos Persas, aut Indos extaret, in Almamonis Bibliothecam comportabatur.

Abulfarago p. 160. Bibl. or. p. 546.

Quam-

Quamquam Almamon omnes amaret scientias, singulari tamen cura Astronomiam excoluit, inventæque sunt post ejus mortem tabellæ de motu astrorum exinde celeberrimæ, quas ipse sine alio quam proprii ingenii subsidio elaboraverat. Habuit etiam complures & peritissimos in Regia sua Astronomos, quorum maxima erat existimatio; sed a recto tramite aberrantes in Astrologiæ judiciariæ deliramenta labebantur, putantes, quod ex variis Siderum stationibus eventus futuros possent cognoscere. Hinc ex illo tempore antiquissima Superstitio vires resumpsit. Porro Almamon cum Sectæ *Ali* faveret, regnum tantum non amisit. Doctrinam amplexus est Montazalensium, Hæreticorum inter Musulmannos mixta Religioni Philosophia subtilissima docentium, Attributa Dei ab ejusdem Essentia non esse distinguenda, (*) nec dicendum, quod per suam Scientiam sciat, aut per suam Justitiam judicet, sed quod per suam Essentiam & sciat & judicet. Id quoque tradebant, Verbum Dei (id est ipsorum Alcoranum) fuisse creatum in aliquo Sub- Sæculum IX. A. C. 833. *Bibl. or. p.* 144.

(*) Quoad hanc assertionem non fuissent rejiciendi hi Philosophi; nam sanæ Theologiæ consentanea est. Quin imo, ita Deus maxime ab omni ente creato distinguitur, atque ut actus purissimus concipitur.

Sæculum IX. A. C. 833.

jecto, quod ceteri Muſulmanni increatum eſſe & æternum credebant. Almamon autem edito in lucem Decreto aſſeruit, Alcoranum eſſe creatum, atque *Ali* poſt Mahometem eſſe Creaturam Dei perfectiſſimam. Itaque Alcoranum tertio demum loco ponebat; imo ſub Regni ſui exitum illos, qui hoc Decretum recipere recuſabant, male habere coepit.

Elm. p. 136.

p. 138.

Ab eo tempore Muſulmanni ſcientiis, nempe Philoſophiæ, Matheſi, & Medicinæ, operam dare non ceſſarunt; majore vero cura aliquas Philoſophiæ partes, videlicet, Dialecticam, & Metaphyſicam, ex Matheſi Arithmeticam, Geometriam, & Aſtronomiam, ex Medicina vero Botanicam, & Chymiam excoluerunt. Iſtarum ſcientiarum ſtudium ubique, qua Muſulmanni dominabantur, atque ita etiam per Hiſpaniam extendebatur. Porro Almamon Califa Succeſſorem habuit fratrem ſuum Mahometem *Almutaſem* Aaronis filium, qui annis octo regnavit.

Elmac. c. 9. *p.* 140.

§. XLII.

Patriarchæ in Oriente.

Sup. Lib. XLV. §. 56. *Eutych. p.* 440. *Elmac. p.* 140. *Chron. p.* 109.

Almamone Saracenis imperante, Patriarcha Melchita Alexandrinus fuit Christophorus, cui, poſtquam Sedem tenuiſſet annis triginta duobus, ſucceſſit Sophro-

phronius anno Regni Almutaſem quarto, id eſt anno reparatæ Salutis octingenteſimo trigeſimo ſexto, vir doctus & Philoſophiæ amans, ſeditque annis tredecim. Marcus Patriarcha Jacobita Alexandrinus inter vivos agere deſiit regnante Almamone anno Hegiræ ducenteſimo undecimo, JEſu Chriſti octingenteſimo vigeſimo ſexto, habuitque Succeſſorem Jacobum, qui Sedem tenuit annis decem & octo menſibus. Ipſo ſedente Monaſteria ſub ejus Prædeceſſore vaſtata reſtaurata ſunt, & Monachi redierunt. Jacobitæ narrant, ab hoc Patriarcha a mortuis reſuſcitatum fuiſſe filium cujusdam Prætoris nomine Macarii, qui tertiam Bonorum ſuorum partem dedit pauperibus, & Jeroſolymis pro peregrinis ex Ægypto venientibus Eccleſiam condidit. Dionyſius Patriarcha Jacobita Antiochenus, cum ad Præfectum Ægypti veniſſet, per complures dies in ædibus Jacobi Patriarchæ diverſatus eſt. Job Patriarcha Melchita Antiochenus adhuc dum inter vivos agebat; Jeroſolymæ vero Thomæ Patriarchæ anno ſeptimo Almamonis defuncto ſucceſſerat Baſilius, qui Sedem hanc tenuit annis viginti quinque. Hæc illa tempeſtate Eccleſiarum Orientalium facies erat. Sæculum IX. A. C. 833. *Eutych. p.* 428.

Sæculum IX. A. C. 833.

§. XLIII.

S. Theodori & S. Theophanis ærumnæ.

vit. ap. Sur. 26. Dec. c. 10.

Constantinopoli Theophilus Imperator Catholicos ob cultum Imaginum persequi non cessabat. Cum præter alios Theodorus Jerosolymitanus ejusque frater Theophanes, quos Michael Imperator Theophili parens verberibus male affectos, quod imagines venerarentur, in exilium ejecerat, ad eum fuissent delati, Theodorus iterato flagris crudelem in modum concisus, una cum fratre in Aphusiam Insulam relegatur. Post lapsum vero duorum annorum eosdem non revocatis aliis in exilio degentibus Constantinopolim accersit; nihil quippe ferventius cupiebat, quam hos duos fratres in suam sententiam pertrahere. Theodorus quid tunc actum fuerit in Epistola ad Joannem Episcopum Cyzicenum narrat in hunc modum:

Cum ergo ille, qui Imperatoris mandata curabat, in Aphusiam Insulam perveniſſet, nos abreptos magna celeritate Constantinopolim deducit, dicens quod causam, cur illuc traheremur, ignoraret. Itaque in Civitatem venimus octava die Julii, & postquam is, qui nos duxerat, Imperatori solus collocutus fuisset, in Prætorio nos includere jussus est.

Post

Sæculum IX. A. C. 833.

Post sex vero dies nempe decimo quarto ejusdem mensis accersimur ad Imperatorem. Cum causam, cur adduceremur, omnes scirent, nihil aliud videbamus aut audiebamus nisi terrores & minas. Aliis dicentibus: Cedite quamprimum, & quod jubet Imperator facite, aliis vero: Tenentur Dæmonum spiritu, & quædam bis pejora. Hora circiter decima (scilicet hora quarta post meridiem) *in triclinium quod dicitur aureum introducimur, præcedente nos Præfecto, quo deinde ad latus secedente soli in conspectu Imperatoris relinquimur. Is autem, cum eum venerati fuissemus, terribilis & ira accensus aspera voce jussit nos accedere propius. Tum interrogat: In quanam regione nati estis? cumque respondissemus: in Moabitide. Ille rursus: Cur vero huc venistis? & priusquam responderemus, vultus nostros verberari jussit. Multas autem plagas & graves nobis inflixerunt, qui percutiebant, ita ut circumacti vertigine collaberemur. Etenim nisi percutientis tunicam in pectore apprehendissem in scabellum Imperatoris fuissem dejectus; tenens autem vestem plagas sustinui immotus, usque dum Imperator jussit eum cessare.*

Rursus rogavit Imperator: quanam de causa huc venistis? Hac vero interrogatione volebat dicere: Cur aliquando in

hanc

Sæculum IX. A. C. 833.

hanc urbem veniſtis, nolentes eandem fidem, quam nos tenemus, amplecti? Cum nos autem taceremus, & oculos humi dejeciſſemus, ad Præfectum, qui prope adſtabat, torvo aſpectu converſus dixit: Tolle eos, in eorum facie inſculpe hos jambos, & trade ambos duobus Sarracenis, qui eos in patriam ſuam abducant. Haud procul ſtabat aliquis nomine Chriſtodulus, illorum verſuum Auctor, & manu eosdem tenens, cui præcepit Imperator ut legeret, & adjecit: Etſi non ſint elegantes, id tibi non ſit curæ. Quidam qui aderat adulator dixit: Ne digni quidem ſunt iſti, Domine, ut ſint jambi pulchriores. Verſus erant duodecim & ſenſus iſte: Iſti Jeroſolymæ degebant, vaſa iniquitatis, ſuperſtitioſis erroribus pleni; illinc abacti ſicut Apoſtatæ, ad urbem Imperii confugientes ſtultitiam haud reliquerunt nefariam. Quare notati ut malefici damnantur, & ex hac etiam urbe exiguntur.

Theodorus & Theophanes Confeſſores.

poſt. th. p. 66.

Sed Theodorus Epiſtolæ ſuæ narrationem proſequitur in hunc modum: *His lectis Imperator juſſit nos reduci in Prætorium, quod cum vix ingreſſi fuiſſemus, adeſt aliquis jubens nos reverti. Ergo maxima celeritate iterum ſiſtimur Imperatori, qui nobis dixit: Veriſimile eſt, vos cum receſſeritis, eſſe dicturos: Illuſimus Imperatori, ſed ego, cum vobis prius*

prius illuſero, dimittam. Cum iſtud dixiſſet juſſit nos exui, & ego prior verberabar, ſic aſſidue clamante Imperatore, & eos, qui flagellabant adjurante: Sic bene te in me geris, da pulchre. (*) *Ego, cum diu flagris cæderer, vociferabar: Nihil peccavimus in tuam Majeſtatem. Domine miſerere! Et iterum: Sancta Deipara veni ad noſtrum auxilium! Deinde etiam frater meus pari crudelitate verberatur. Et ſic ambos, quantum volebat, conciſos Imperator exire juſſit.* Sæculum IX. A. C. 833.

Alius autem rurſus egreſſus ad nos accurrit jubens reverti. Et quidam Quæſtor ab Imperatore miſſus rogavit: Quanam de cauſa morte Leonis Imperatoris lætati eſtis, & cur non eandem, ac ipſe tenebat fidem, tenuiſtis? Ad hoc nos: Neque morte Leonis lætati ſumus, nec ad eum acceſſimus, neque fidem noſtram propter vos, qui cum tempore mutamini, abjicere volumus. Subjunxit Quæſtor: non veniſtis imperante Leone? Nequaquam diximus, ſed ſub iſtius Imperatoris Prædeceſſore. (nempe ſub Michaele Balbo) *Reducimur in Prætorium, & poſt quatriduum ſiſtimur Præfecto, qui acerbiſſima minatus juſſit, ut obediremus Imperatori*

(*) Hic Theophili furor magis Carnificem decebat, quam Principem.

Sæculum IX. A. C. 833.

ratori. Respondimus, paratos nos esse potius mille mortes subire, quam cum Hæreticis communicare; sed Præfectus rursus ad blanditias conversus ait: Semel solum communicate, nec aliud exigimus. Ego ibo vobiscum in Ecclesiam; ite deinde liberi, quo placuerit. Ego vero ei dixi subridens: Simile quid dicis, Domine Præfecte, ut si quis alium rogans dicat: Nihil aliud peto, nisi semel tuum caput amputare, & postea vade, quo velis. Scias ergo facilius fieri posse, ut terra sit sursum & cælum deorsum, quam ut tu nos a vera Religione dimoveas. Tunc jussit inscribi nostros vultus. Et cum adhuc in nobis arderent vulnera ex flagellis accepta, gravesque afferrent dolores, super scamna nos extendentes vultui literas insculpebant. Postquam vero longo tempore pinxissent occidente sole & ingruentibus tenebris inviti cessarunt. Egressuri deinde diximus: Sciatis, futurum, ut nobis hac scriptione notatis promptius portæ Cæli aperiantur, & vobis aliquando exhibeantur legendæ hæ litteræ JEsu Christo præsente. Fecistis enim in nobis quod antea nullus Tyrannorum, omniumque illorum, qui in Divinum nostrum Dogma insanierunt, superastis sævitiam. Hactenus Theodori Epistola.

Tum

Tam inhumano novoque ſupplicio tolerato traduntur in carcerem, vultu adhuc ſanguine ſtillante. Deinde Joanne Patriarcha conſilium ſuggerente mittuntur in exilium Apameam in Bithynia, ubi Theodorus haud multo poſt tempore ſenectute & morbis fractus obiit, cumque Imperator prohibuiſſet, ne eorum corpora ſepulturam conſequerentur, Theophanes defuncti frater corpus in arca lignea aſſervavit, hymnosque in ejus laudem concinnavit; quippe, ut illa ferebant tempora, Poeta erat celeberrimus. Michael Syncellus quoque ex Eccleſia Jeroſolymitana comprehenſus, & diu in carcere cum aliis Monachis detentus.

Sæculum IX. A. C. 833.

poſt. Th. lib. 3. 15.

§. XLIV.

Joannes Leconomanta Patriarcha Conſtantinopolitanus.

Joannes Leconomanta Antonio Sylæo in Sede Conſtantinopolitana anno Theophili octavo ſalutis octingenteſimo trigeſimo ſexto (*) ſucceſſerat, ſeditque annis ſex, dictus contemptim a Catholicis *Jannes*, quod nomen uni ex Magis Pharaonis fuerat. Joannem Michael Bal-

Th. p. 301.

S. Nic. Chro.

Sup. Lib. XLVI. S. 11 *S.* 43.

(*) Hic Cardinalis Baronius & Fleurius tam in anno quam in Succeſſione Epiſcoporum discrepant.

Sæculum IX. A. C. 833.

Sim. Magist. n. 12. 2. Tim. 2. 8. post. Th. l. 4. n. 7.

Balbus Imperator sibi carissimum, quod Hæresi suæ faveret, esset que doctissimus, præceptorem dedit Theophilo filio suo, qui eum Syncellum & tandem Patriarcham creavit. Is Theophilo suis præstigiis imposuisse fertur, præsertim illo dolo, quem narrant in hunc modum: Cum ferox Barbarorum natio sub tribus Ducibus Romanorum fines infestaret, & hæc res Theophilo Imperatori solicitudinem incuteret, ipsum Leconomanti ea industria metu liberavit. Stabat in Circo statua triceps ex ære. Ille viros tres robustissimos, singulos prægravem malleum habentes ad hanc statuam venire jubet, & ipse sub medium noctis vestem sæcularem indutus adest. Tum tenui murmure magica carmina pronunciat, quibus trium Ducum inimicorum potentiam & fortunam in hæc tria unius statuæ capita transferri posse credebat. Mox præcipit viris, ut singuli singula capita cunctis viribus collectis eodem momento percuterent. Duo capita comminuta ceciderunt, tertium in alteram partem inclinatum, sed a corpore penitus non est avulsum. En vero! Imperii hostes subortis rixis dividuntur, & collatis signis duo Duces vincuntur a tertio, qui & ipse accisis viribus tergum dare cogitur.

In

In illorum temporum Hiſtoria ejus- Sæculum IX.
modi facta occurrunt plurima, unde ſa- A. C. 833.
tis exploratur, Græcos Magicis carminibus, & præſtigiis fidem adhibuiſſe.

Arſaber Patricius Joannis Patriarchæ n. 8.
frater, cujus non levis in Regia erat auctoritas, arcem ruri habebat in littore Ponti Euxini haud procul ab urbe poſitam, quo Patriarcha ſæpe divertebat. Is porro ferebatur ſub fratris domo juſſiſſe terram fodi, & aulam commodiſſimam conſtrui, ad quam arcanus aditus erat, atque in hoc Palatium ſubterraneum mulieres forma præcipuas & etiam Moniales ſtructis inſidiis deceptas perduci curaſſe, quibus ad Venerem nefandam, quantum vellet, abuteretur, cum iisdem vacaſſe magicis artibus, animalium jecur & labra aquis plena aut mortuos, quos revocabat, ut oracula ederent, conſuluiſſe. Talis fuit Joannes Patriarcha, hujus nominis ſextus.

§. XLV.

S. Methodius perſecutionem patitur.

Methodius Confeſſor e carceris ſui ſe- *Sup. Lib.*
pulchro paulo ante mortem Michae- *XLVI. §. 45*
lis Balbi evocatus prodiit ſimilis homini, ab inferis redeunti, calvam crinibus *vit. c. 1. n. 6.*
nudam habens, & præter pellem & oſſa nulla corporis parte conſtans. Conſtan-

Sæculum IX. A. C. 833. tinopoli deinde versatus in domo privata mansit, quod nullum Monasterium ab Hæresi immune inveniisset. Cum illis vero Monachis aliisque Confessoribus, qui secum in persecutione passi fuerant, communicavit. Colloquebatur sæpe Viris Senatorii Ordinis, & non nunquam Hæreticis, quorum aliquos eloquentiæ suæ vi, lenitate ingenii, & clarissimis ex S. Scriptura argumentis victos convertit. Cum res hæc ad aures Imperatoris Theophili perveniisset, Methodio ad se

n. 7. accersito ait: *Quomodo tu post acerbam castigationem vana disputatione ob imagines, rem levissimam, turbas excitare non cessas?* Methodius Principi respondit: *Si imagines contemptu dignæ sunt, cur tu Domine cum imaginibus JEsu Christi non simul illas, quibus tua persona repræsentatur, tollis, ut eo modo, quo JEsus Christus tibi solum honorandus videtur, & tu honoreris? Cur imaginum tuarum numerum quotidie auges?*

n. 8. *cur collapsas erigis?* Nam more antiquo imagines Imperatorum colebantur. Hoc responso accensus Theophilus Confessorem, nudatum usque ad cingulum loris ligari, tumque pectus & dorsum plagis sexcentis laniari jubet. Semivivum deinde & totum sanguine perfusum per foramen in subterraneam Palatii cellam detrudit, unde noctu viri pii languentem

guentem eripiunt, & vulnera curant. Imperator vero domum illam, in quam receptus est Confessor, Fisco adscripsit. Nihilominus expertus, quod Methodium cruciatibus a cultu imaginum attrahere non posset, eum lenitate vincere aggressus est. Vocatum variis sermonibus tentat simulans gratum sibi accidere, quod ea, quæ contra imagines e Sacra Scriptura objicerentur, resolveret. Tandem præcepit, ut in Palatio cum aulicis diversaretur; unde Methodius opportunam occasionem nactus, complures atque etiam ex illis, quorum consuetudine Imperator utebatur, veritatem edocuit, ipsum Imperatorem eo usque saltem mitigavit, ut Catholicos non tam acerbe ac olim aversaretur, nec suæ opinioni tanta pertinacia inhæreret. Ex eo tempore Imperator Methodium a latere suo nunquam dimisit, eumque etiam, cum ad bellum proficisceretur, secum duxit, tum quod ejus responsis sensim caperetur, tum ne alibi se absente quidquam movere posset; cum enim sciret, quanta Methodii Constantinopoli tam apud Optimates quam apud ceteros Catholicos esset auctoritas, verebatur, ne propter Imaginum restitutionem seditionis auctor existeret.

Sæculum IX. A. C. 833.

post. Th. l. 5. n. 24.

Sæculum IX. A. C. 834.

§. XLVI.

S. Anſcharii Prædicatio.

Sup. n. 30. vit. S. Anſch. n. 20. Coint. an. 830. n. 5.

In Occidente cum S. Anſcharius Archiepiſcopus Hamburgenſis ſecundum mandatum Ludovici Imperatoris iter Romam ſuſcepiſſet, Epiſcopis Rotado Sueſſionenſi, Bernoldo ſeu Bernalto Argentoratenſi, & quodam Comite, cui nomen Geroldus, comitantibus, obtinuit a Gregorio IV. quod petebat, ſcilicet novi Archiepiſcopatus Hamburgenſis confirmationem. Præterea Papa Anſcharium pronunciavit Legatum ſuum ad omnes nationes vicinas, Suecos, Danos, Sclavos, aliosque, ubicunque omnipotens Deus viam ad prædicandum Evangelium aperiret, cujus ſacri laboris partem etiam injunxit Ebboni Archiepiſcopo Remenſi, cui hanc Miſſionem Paſchalis Papa ante annos circiter decem commiſerat. Illud quoque præcepit Papa, ut Anſcharii Succeſſores in Pallio Imperatoris conſecrarentur, usquedum Epiſcopus Hamburgenſis Suffragaeneos haberet. Pallium vero Anſcharii & Eccleſiæ ejus in perpetuum conceſſit. Hæc omnia ex Decreto Gregorii IV. Papæ diſcimus. S. Anſcharius in Franciam reverſus Sedis ſuæ Inſtitutionem Ludovici Imperatoris Literis, Aquisgrani decima quinta Maji anno Regni ſui vigeſimo

Sup. Lib. XLVI. §. 50

poſt. vit. S. Anſch. p. 122. ibid. & to. 1. Cap. p. 681.

mo primo, Indictione duodecima scilicet anno salutis humanæ octingentesimo trigesimo quarto datis confirmari curavit. Tum munus Episcopale in nova sua Diœcesi pro virili implere cœpit, multosque paganos eximiæ virtutis exemplo ad veram Fidem pertraxit. Danorum aut Sclavorum liberos coemebat, captivosque redimebat, qui deinde in agnitione veri Dei educabantur. Horum aliquos in Monasterium suum Turholtense in Flandria mittebat. Porro quidam veteris Corbejæ Monachi itinerum suorum comites egregiam operam ad propagandam fidem contulerunt. Cum etiam S. Anscharius complures Reliquias quatuor Sanctorum, Episcoporum Remensium, videlicet, S. Sixti, S. Sinnicii, S. Materniani, & S. Remigii, ab Ebbone sibi datas attulisset, illas quæ S. Sixti & S. Sinnicii erant, Hamburgi, ceteras in aliis suæ Diœcesis locis deposuit.

Sæculum IX. A. C. 834.

vit. 21.

Adam. lib. I. c. 19.

§. XLVII.

Ludovicus Imperator restituitur.

Ebbo eodem año octingentesimo trigesimo quarto comprehenditur, & in Abbatia Fuldensi includitur jubente Ludovico Imperatore, qui a Lothario filio pressus post breve temporis spatium pristinam potestatem recuperavit; quippe Ludovicus & Pipinus alii duo filii Imperatoris

Sæculum IX. A. C. 835.

toris ad liberandum patrem arma strenue arripuerant, quorum conjunctis viribus imparem se sentiens Lotharius Imperatorem Patrem in Monasterio S. Dionysii in Francia liberum reliquit. His qui apud Ludovicum erant, suadentibus ut summæ Dignitatis insignia statim resumeret, ipse tamen id distulit in alteram diem, quæ erat Dominica secunda Quadragesimæ anno octingentesimo trigesimo quarto. Illa die Ministerio Episcoporum Ecclesiæ reconciliari voluit, & ex eorum manibus recipere gladium, quem sibi abstulerant, non vero coronam, quam a solo Deo acceperat.

Astronom.

Anno sequente octingentesimo trigesimo quinto mense Februario Imperator Theodonis Villæ Comitia celebravit Conciliis adnumerata, quo Episcopi plus quam quadraginta convenerunt. Praerat vero Drogo Episcopus Metensis tanquam Diœcesanus & Archicapellanus, qua Dignitate brevi abhinc tempore ornatus fuerat, atque honoris causa Archiepiscopus dicebatur. Deinde occurrunt octo Metropolitæ, Hetto Trevirensis, Autgerus Moguntinus, Ragnoardus Rotomagensis, Landranus Turonensis, Aldricus Senonensis, Notho Arelatensis, Ajulfus Bituricensis, & Ebbo Remensis, illuc ex Monasterio Fuldensi deductus. Inter Episcopos ceteris magis noti nobis sunt

v. Coint. an. 830. n. 57. 834. n. 4.

Frecul-

Freculfus Lexovienſis, Jonas Aurelianenſis, Erchanradus Pariſienſis, Hubertus Meldenſis, Baduradus Paderbornenſis, Rotadus Sueſſionenſis, Hildemannus Bellovacenſis, Modovinus Auguſtodunenſis, Favo Catalaunenſis. Sæculum IX. A. C. 835. *Narr. Cler. Rem. Duch. to.2. p.31.*

Epiſcopi congregati nihil prius habuerunt, quam ut acta omnia contra Ludovicum Imperatorem reſcinderent, quæ ſinguli Epiſcopi præſentes datis libellis ſua manu ſignatis nulla ac irrita eſſe pronunciarunt. Tunc omnibus viſum ad Civitatem Metenſem transeundum, ut Ludovicus reſtitueretur ritu ſolemniore, ſi id in Eccleſia Cathedrali fieret. Ibi in Dominica Quinquageſimæ die ultima Februarii Drogo Epiſcopus Metenſis, cum ambonem conſcendiſſet, omnia quæ Theodonisvillæ ad reſtituendum Imperatorem acta erant, legit. Deinde Ebbo eundem ambonem conſcendit, & publice confeſſus eſt, quod ſententiam injuſtam contra Imperatorem Dominum ſuum tuliſſet, cum ei pœnitentiam publicam injunxiſſet, poſtquam injuſte & falſis accuſationibus violatus ab imperio fuiſſet depoſitus; addidit, quod jam Ludovicus juſte & legitime eſſet reſtitutus. Hanc ſuam Confeſſionem Ebbo ſua manu ſignatam Imperatori tradidit, quæ deinde in tabulario Eccleſiæ Metenſis aſſervata. Tunc autem aliis ſeptem Archi-

Theod. II. c. 20.

Aſtron. Flod. ibid. epiſt. Car. ad Nic. Pap. to.3. Conc. p.877.

Hincm. de præd. c. 36. p. 324.

Sæculum IX. A. C. 835.

Ann. Bert. 235.

episcopis septem Orationes in reconciliatione pœnitentium recitari solitas super Imperatorem cantantibus Episcopi coronam ab Altari accipiunt, & eidem imponunt. Hæc inter Missæ solemnia omni populo Gratias Deo agente & lætitiam maximam profitente acta.

§. XLVIII.

Ebbo depositus.

Inde Episcopi Theodonisvillam regressi contra Episcopos reos, quorum plerique in Italiam sub Lotharii præsidium confugerant, Judicium formarunt. Hildemannus Bellovacensis, in Concilio præsens, quod sibi objiciebatur, diluit. Agobardus Lugdunensis & Bernardus Viennensis depositi, ille quod ter vocatus non veniisset, hic vero, quod postquam venisset, fuga deinde se proripuisset. Obtinuerunt Episcopi, ut Dignitatis Episcopalis honori daretur, ut Ebbo in Sacrario extra conspectum Laicorum judicaretur. Prementibus adversariis, ut factorum rationem redderet, conquestus est, quod a se solo pœna exigeretur factorum tot aliis Episcopis præsentibus. At illi excusare, quod coacti adfuissent quidem, cum impium facinus in Imperatorem attentaretur, sed sancte affirmare, se minime consensisse. Tunc Ebbo intelligens, se ab omnibus destitui, Monachum

Epist. Car. ad Nicol. Astronom.

chum quemdam Recluſum, nomine Fra- Sæculum IX.
megaldum ad ſe accerſitum ad Juditham A. C. 835.
Imperatricem mittit cum annulo, ab ipſa olim in eum finem accepto, ut ad ſe remitteret tanquam extremi periculi indicium. Non irritæ fuerunt apud fœminam memorem preces, nam ab Epiſcopis impetravit, ut Imperatoris animum mitigarent, & Ebbonem ſaltem ritu publico & ſolemni non deponerent. Ergo moram petiit, ſibique ipſi Judices, quod Canones permittebant, delegit. Hi fuere Ajulſus Archiepiſcopus Bituricenſis, Baduradus Epiſcopus Paderbornenſis & Modovinus Epiſcopus Auguſtodunenſis. Cum eis ſecreto peccata ſua confeſſus fuiſſet, Concilio porrexit Libellum ſua manu ſubſcriptum in hæc verba: *Ego Ebbo indignus Epiſcopus cognoſcens fragilitatem meam & gravitatem peccatorum meorum hos Confeſſarios meos & Judices elegi, his ſincere delicta mea confeſſus ſum. Quæro remedium pœnitentiæ & ſalutem animæ meæ, recedo ab officio & Miniſterio Epiſcopali, quo me indignum agnoſco ob peccata, quæ ipſis ſecreto confeſſus ſum, ita ut in Epiſcopatu ſubrogetur alius, qui digne præeſſe & prodeſſe poſſit Eccleſiæ, cui hactenus male præfui. Atque ut eam nunquam amplius repetere valeam, manu mea propria ſubſcripſi.* Verba ſubſcriptionis erant:

Hincm. ibid. to. 7. Conc. p. 1696.

Sæculum IX. A. C. 835. erant: *Ebbo quondam Episcopus, subscripsi.*

Hanc Scripturam Concilio oblatam viva voce confirmavit, & dedit tres alios testes, Nothonem Archiepiscopum Arelatensem, Theodoricum Episcopum Atrebatensem, & Achardum Episcopum Noviodunensem. Et sic ab omnibus qui in eodem Concilio fuerunt Episcopis accepit sententiam dicentibus per ordinem mentem suam, ut secundum secretam confessionem cessaret a Ministerio. Mox Jonas Aurelianensis sententiam dictavit Eliæ Presbytero & postea Episcopo Carnutensi quarta die Martii anno octingentesimo trigesimo quinto, Ludovici Imperatoris vigesimo tertio datam. Episcopi, quos Ebbo testes acceperat, publice, ipso Ebbone poscente, testati sunt, quod sibi confessus fuisset tale peccatum, propter quod dignus non esset, Episcopale Ministerium ultra jam agere, & si idem peccatum ante Ordinationem admisisset, nullo modo Episcopus ordinari debuisset. Postquam Episcopi præsentes, numero quadraginta tres subscripsissent, jubente Concilio Drogo Metensis & Hetto Trevirensis hanc Confessionem tradiderunt Fulconi, qui Successor in Sede Remensi Ebbonis fuerat designatus. Fulco Abbas erat ad S. Remigium & Chorepiscopus Remensis. Non illico tamen

tamen ordinatus est Episcopus, quia Ludovicus Imperator volebat, ut prius in Depositionem Ebbonis consentiret Papa, ad quem hujus negotii causa Godefridum S. Gregorii in Diœcesi Basileensi Abbatem misit. Hac Sententia pronunciata Ebbo remittitur ad Monasterium Fuldense, unde post breve tempus eductus custodiæ Fereculfi Episcopi Luxoviensis, & postea Bosonis Abbatis S. Benedicti ad Ligerim traditur; nam quoad Ludovicus Imperator inter vivos egit, libertatem consecutus non est. Sæculum IX. A. C. 835.

§. XLIX.

Res Ecclesiæ Gallicanæ.

Eodem anno octingentesimo trigesimo quinto Ludovicus Imperator, illis rebus, quæ ad Religionem spectant, semper intentus Festum Omnium Sanctorum, quod Romæ jam annis ducentis, Bonifacio IV. Auctore, agebatur, Gregorio IV. hortante & consentientibus omnibus Episcopis in tota Gallia & Germania die prima Novembris celebrari jussit. Verba quæ in Hymno illius Festi recitamus: *Gentem auferte perfidam Credentium de finibus*, accipienda sunt de Normannorum incursionibus, quæ jam tunc frequentiores esse cœperant. Eodem anno octingentesimo trigesimo quinto cum Normanni e navibus suis in Heram Insulam *Sigeb. an.* 835. *Sup. Lib. XXXVI. §. 56.* *Chr. Engol.*

Sæculum IX. A. C. 835.

Insulam seu Nigrum Monasterium descendissent, Hilboldus Abbas anno sequente Pipinum Aquitaniæ Regem adiit efflagitans auxilium. At rei classicæ peritis visum, hanc Insulam contra piratas non satis defendi posse, sed magis expedire, Corpus S. Filiberti inde auferre; quod eodem anno octingentesimo trigesimo quinto septima Junii executioni datum. Exinde hæ Reliquiæ in diversa loca translatæ. S. Filibertus Abbatiæ Gemeticæ Fundator Dagoberti Regis temporibus floruit.

Translat. S. Filibert. to. 5. Act. p. 539.

Sup. Lib. XXXVIII. §. 59.

Ansigisus Abbas Luxovienſis, Fontanellensis, & S. Geremari, Fontanellis defunctus ibidem inter Sanctos colitur. Ex legatis, quæ in suo Testamento scripsisse legitur, liquet, ipsum, quamquam esset Abbas Regularis, Bona propria possedisse, & opulentum fuisse. Siquidem Monasterio suo Fontanellensi libras argenti centum, & aliis quinquaginta Monasteriis singulis saltem unam argenti libram largitur, erant vero hæ libræ duodecim unciarum secundum marcæ argenteæ æstimationem viginti solidis & duodecim denariis æquivalentes; nam omnis hæc moneta erat argentea. Itaque centum hæ & quinquaginta libræ marcis ducentis viginti quinque exæquantur. Ex eodem Testamento præcipua, quæ illa ætate

Sup. to. 14. Act. to. 5. p. 637.

Le Blanc. Mon. p. 95.

ætate extabant in Francia, Monasteria cognoscimus. Sæculum IX. A. C. 835.

§. L.

Hilduini Areopagitica.

Hilduinus S. Dionysii Abbas seditionis filiorum in parentem Imperatorem conscius aula ejicitur anno octingentesimo trigesimo, suis Abbatiis & Archicapellani Dignitate privatur, & ad Monasterium Corbejæ novæ in Saxonia mittitur. Verum anno sequente Imperatori reconciliatus, revocatur, & duas iterum Abbatias S. Dionysii & S. Germani prope Parisios recipit. Cum Imperator primo in Ecclesia S. Dionysii Reconciliationem accepisset, & gratum animum erga eundem Sanctum aliquo monumento ostendere cuperet, data ad Hilduinum Epistola præcepit, ut quæcunque de S. Dionysii Actis extarent, tam ex ipsius Operibus, ex Græcorum Latinorumque historiis, ex aliis Commentariis præsertim ex Actis illius Martyrii in unum corpus colligeret, & Revelationem, quam Stephanus Papa in eadem Basilica habuisset, cum Hymnis & Officio nocturno S. Dionysii adjungeret. Tandem ut in alio volumine, quæ de hoc sancto viro inveniisset (nempe Manuscripta prima, unde suam Historiam excerperet) omnia congereret.

Theg. c. 36. Astron. Flod. III. hist. c. 1.

to. 7. Conc. p. 1577.

Sup. Lib. XLIII. §. 13

Jussis

Sæculum IX. A. C. 835.

ap. Sur. 9. Oct. to. 5. p. 725. Sup. l. I. §. 36. III. §. 22. n. 58. Sup. Lib. XXXII. §. 33.

Jussis paruit Hilduinus, scripsitque S. Dionysii Historiam, in qua affirmat primum Episcopum Parisiensem non alium esse a S. Dionysio Areopagita, quem S. Paulus convertit. Quod scripsisse ad ea usque tempora nemo reperitur. Eum etiam Auctorem facit Operum S. Dionysio Areopagitæ adscriptorum, quæ in quinque primis Sæculis nemo novit, & primi omnium Eutychiani in Collatione anno circiter quingentesimo trigesimo primo habita in medium adduxerunt.

Dicit Hilduinus; *Dionysium Areopagitam, postquam per aliquot annos Ecclesiam Athenienſium rexisset, subrogato sibi alio Episcopo iter Romam suscepisse, SS. Petrum & Paulum aditurum, sed ipsis Martyrio jam coronatis in Urbem perveniſſe S. Clemente Pontifice, indeque ab eo cum quibusdam Sociis in Gallias missum, ut illarum Regionum esset Apostolus. Eos Arelatem primum perveniſſe, deinde S. Dionysium perrexisse Parisios, Urbem Regiam, & ob Gallorum Germanorumque Comitia celebrem. Ibi Virum Sanctum ædificasse templum, Clericos ordinasse, magnum convertisse Infidelium numerum, & complura patrasse miracula. Qua re ad Domitianum Imperatorem delata, in Galliam misisse Præfectum, nomine Fescennium Sisinium, qui cum Parisios perveniſſet, Dio-*

Dionysium Episcopum, Rusticum Archi- Sæculum IX.
presbyterum & Eleutherium Archidia- A.C. 835.
conum comprehensos multis tormentis af-
fecisset. S. Dionysium fuisse virgis cæ- S. Dionysius.
sum, in craticula super ardentes carbo-
nes positum, bestiis projectum, in forna-
cem immissum, cruci alligatum & cum
compluribus Fidelibus carceri denuo da-
tum, ubi, Christianis captivis præsen-
tibus, Missam celebranti, cum ad tempus
Communionis pervenisset, ei JEsus Chri-
stus cum permultis Angelis factus fuisset
conspicuus, & sua manu Communionem
porrexisset. Tandem tres Viros Sanctos
in montem Martyrum † perductos, & † Montmar-
coram Simulacro Mercurii secuti fuis- tre.
se percussos. Non modicam Christiano-
rum multitudinem cum ipsis Marty-
rium passos; at Corpus S. Dionysii a ter-
ra se erexisse, & propriis manibus ca-
put suum, Angelis sustinentibus & ducen-
tibus portasse. Nobilissimam deinde Ma-
tronam, Catullam nomine, tria SS. Mar-
tyrum corpora ex undis Sequanæ, quo
Infideles ea projecissent, erepta in agro
suo & in eodem loco, quem hodie Eccle-
sia & Monasterium occuparent, sepeliisse.
Hactenus Historia fusius ab Hilduino re-
lata.

In principio Operis Ludovici Impe- *Sur. to. 5.*
ratoris Epistolam, & responsum suum *p. 716.*
præmisit, in quo fontes indicat, ex qui-
bus

Sæculum IX. A. C. 835.

bus se hanc Historiam hausisse dicit, videlicet Scripta, quorum S. Dionysius Auctor credebatur, quemdam Aristarchum, Historiæ Scriptorem Græcum, cujus hominis nullibi alias mentio occurrit, quemdam Visbium, quem Martyrii S. Dionysii testem præsentem dicit, cujus nomen etiam opusculum aliquod præfert, sed stilo usque adeo absurdo & barbaro, ut nulla fide dignum sit, Hilduinus sibimetipsi objicit auctoritatem Gregorii Turonensis, se annis circiter trecentis antiquioris, qui S. Dionysium primum Parisiorum Episcopum sub Decio demum Imperatore extitisse refert, & hoc testimonium satis a se dilui putat dicendo, Gregorium simplicem virum fuisse.

Sup. l. VI. §. 49. Inter op. S. Dionys.

Hæ Collectiones Hilduini Areopagitica dicta fuere & tanto applausu receptæ, ut plerique, qui postea scripserunt, ex duobus Dionysiis Athenienſi & Parisiensi unam conflaverint Personam, eique Opera, quæ Dionysii Areopagitæ nomen præfixum habent, adscripserint. Ipsi Græci in hunc errorem, Hilduini ætate, lapsi sunt, quod dispicimus in Elogio S. Dionysii a Michaele Syncello Jerosolymitano composito, & in Historia Martyrii ipsius, quæ opus Methodii postea Patriarchæ Constantinopolitani esse creditur.

Areopagitica.

His non obstantibus Usuardus & Ado in suis Martyrologiis brevi post mortem Hildui-

Hilduini conscriptis duos Sanctos Dionysios alterum ab altero distinguunt, cum Athenienſem die tertia Octobris & Parisienſem nona commemorant. Græci vero etiam de Athenienſi, quamvis eum a Parisienſi non discernant, tertia Octobris mentionem faciunt. Viri Critices periti Sæculo ultimo errorem, qui a tempore Hilduini receptus fuerat, manifestarunt, & demonstrarunt, non unum sed duos viros Sanctos, quibus nomen Dionysius, extitisse, jamque Ecclesia Parisiensis unum alterumque alia die veneratur.

Sæculum IX. A C. 835.

Sirmond. de duob. Dion. Launoi. de Dion. Tillem. to. 2. p. 133. 565. to. 4. p. 442. 712.

§. LI.

Translatio Viti in Saxoniam.

Cum Hilduinus, in Saxonia & Monasterio Corbejenſi versatus, cognovisset, quam vehementi desiderio Warinus Abbas flagraret, illuc ex Francia alicujus Viri Sancti corpus transferendi, quo Religio Christiana in illa Provincia firmaretur, eidem promisit, si Deus se pristinæ Dignitati restitui permitteret, ipsi alicujus Sancti Corpus, de quo disponere sibi liceret, esse concessurum. Paucis post diebus Hilduinus ab Imperatore Ludovico in gratiam recipitur, qui etiam Warino Abbati Corbejenſi Monasterium Resbacense in Diœcesi Meldenſi contulit. Tunc

Transl. Vit. n. 3. to. 5. Act. p. 532.

Sup. lib. XLIII. §. 7.

Sæculum IX. A. C. 836.

vero Warinus rogare Hilduinum, ut sibi daret S. Viti corpus a Fulrado S. Dionysii Abbate regnante Pipino, cum Romam reverteretur (forte anno septingentesimo quinquagesimo sexto) in Franciam allatum. Vitus puer duodennis fuisse fertur, quando cum Modesto & Crescentia in Lucania Martyrii coronam consecutus est Diocletiano Principe. Hos tres Ecclesia decima quinta Junii veneratur. Tunc igitur cum Fulradus S. Viti corpus attulisset, illud commisit custodiæ cujusdam ex consanguineis suis, qui Ecclesiam in fundo suo ædificavit, & omnia postmodum Abbatiæ S. Dionysii donavit.

Boll. 15. Jun. to. 20. p. 1013. Tillem. to. 1. p. 129.

Nunc vero Hilduinus has Reliquias Warino dedit Ludovico Imperatore, Episcopo Parisiensi, & illius Diœcesis Proceribus consentientibus. Traditum est S. Martyris corpus publice & solemni ritu in Ecclesia S. Dionysii Die Dominica decima nona Martii anno octingentesimo trigesimo sexto, & inde primo Rebacum, postea ad S. Crucem, quod Monasterium hodie S. Faronis Meldensis dicitur, atque in plura alia loca delatum. Tandem in Saxoniam & ad Monasterium Corbejæ novæ decima tertia Junii pervenit, postquam patrata fuissent in itinere plusquam quadraginta miracula, in

Histo-

Historia hujus Translationis additis Per-sonarum & locorum nominibus enumerata a Scriptore, cum hæc agerentur, præsente. Tanta fuit concurrentis populi multitudo, (*) ut spatium plus quam unius milliarii circum Monasterium tentoriis Nobilium personarum utriusque sexus, quæ ex omnibus Saxoniæ partibus confluxerant, impleretur. Nihilominus in tanta hominum multitudine nullæ voces abscœnæ, nullæ scurriles, nullæ facetæ audiebantur, Deum omnes diu noctuque laudabant, viri feminæque in choros divisi in circuitu Ecclesiæ vigilabant, sæpius ad Deum clamantes, *Kyrie eleison.* Ita nox Vigiliæ & ipsum Festum transacta, cumque iterum complura ederentur miracula, rei insolitæ fama totam regionem pervolante undique incolæ pauperes divitesque sani & infirmi confluxerunt, nemo domi hærere & communis lætitiæ expers esse sustinuit.

Sæculum IX. A. C. 836.

Hæc Saxoniæ Neophytæ devotio fuit.

(*) Tanto honore primi in Saxonia Christiani & modernorum Incolarum parentes SS. Reliquias prosecuti sunt!

Sæculum IX.
A. C. 836.

§. LII.

Translatio S. Liborii.

Transl. S. Lib. ap. Sur. 23. Jul. p. 345.

Sub idem tempus Badurado secundo Episcopo Paderbornensi, in cujus Diœcesi nova Corbeja erat, suam quoque Ecclesiam insignibus alicujus Sancti Reliquiis decorare curæ fuit. Nempe intelligebat Vir Sanctus, quam difficulter a superstitionibus majorum suorum abstrahi posset rudis populus, quæ sibi de Dei omnipotentia viri docti & Apostolici prædicabant non credens, nisi effectus ante oculos haberet, & beneficia acciperet sensibilia, quale est sanitas corporis prodigio recuperata; ejusmodi enim miracula in Translatione corporum Sanctorum Divinitus edi solebant. Itaque, indicto jejunio, cum inter solemnes preces cum populo processisset ad Ecclesiam, Deo inspirante in Franciam ad Civitatem Cenomanensem viros mittere statuit, qui ab Episcopo (sedebat vero tunc Aldricus) Reliquias flagitarent. In hunc finem Baduradus impetratis a Ludovico Imperatore Litteris commendatitiis Legationem adornavit ex viris Clericis Laicisque, quorum princeps erat Presbyter, nomine Ido. Is ipse deinde hujus itineris commentarium conscripsit.

Hos

Hos igitur Delegatos Paderbornenſes anno octingenteſimo trigeſimo ſexto, Indictione decima quarta, vigeſima octava Aprilis Cenomanum pervenientes Aldricus Epiſcopus perbenigne excepit, conceſſitque, quæ exoptabant. Altera die convocatis Clericis ſuis cum Davide Chorepiſcopo edixit, videri ſibi expedire, ut his Legatis traderetur Corpus S. Liborii inter Epiſcopos Cenomanenſes quarti, cui, cum illam Eccleſiam annis quadraginta novem a tempore Conſtantini Magni usque ad Regnum Valentiniani rexiſſet, S. Martinus parentaverat. Non defuerunt Clerici, qui exiſtimarent, cariſſimas exuvias, magnum Eccleſiæ Cenomanenſis theſaurum, neutiquam eſſe dimittendas; ſed tandem conſenſu utcunque impetrato, cum Clericis ſuis & Legatis ad Eccleſiam duodecim Apoſtolorum extra muros Civitatis a S. Juliano primo Eccleſiæ Cenomanenſis Epiſcopo ædificatam, ubi ipſius & primorum Succeſſorum ſuorum corpora quieſcebant, proceſſit. Inde corpus S. Liborii depromptum a Delegatis avehitur, Carnuti a Bernuino Epiſcopo, Pariſiis ab Erchanrado & ubicunque transferebatur, honorifice excipitur. Hæc quoque Translatio plurimis miraculis inclaruit, tandemque in Pentecoſte, illo anno octin-

Sæculum IX. A. C. 836.

Geſt. Epiſc. Cenom. Mabill. to. 3. Annal. p. 66.

Sæculum IX. A. C. 836.

gentesimo trigesimo sexto in vigesimam octavam Maji incidente, Paderbornam perventum.

§. LIII.

S. Aldricus Cenomanensis.

Gest. to. 3. Miscell. Baluz. Boll. 1. p. 387.

Aldricus Episcopus Cenomanensis ex primis Francorum stirpibus ortus, & affinitate cum nobilissimis Saxonum, Alemannorum & Bavarorum familiis conspicuus, duodennis a Patre ad Regiam mittitur, inter Caroli Magni & Ludovici filii ipsius Clientes recipiendus, quibus & toti Aulæ carissimus fuit. Postquam autem piissimus adolescens per diem solita Principi obsequia præstitisset, noctu vigilabat, & in Ecclesia Sanctæ Virginis Aquisgrani secreto Psalmos recitabat. Quadam die pro more suo orans, cum jam ad annos pubertatis pervenisset, stimulos sensit internos, quibus incitabatur, ad relinquendum Sæculum, seque totum Dei Servitio mancipandum. At veritus, ne hæc Dæmonis esset illusio, per sex mensium spatium Deum ferventissimis precibus fatigavit, ut se de sua voluntate certiorem faceret, cumque elapso illo tempore in concepto proposito se confirmatum existimaret, petiit a Rege facultatem recedendi ab aula, quæ ægre impetrata, & concesso sibi atque duo-

duobus aliis Clericis ſtipendio, Metas ſe contulit. Sæculum IX. A. C. 836.

Aldricus itaque ab Epiſcopo & Clericis Metenſibus humaniſſime receptus, & habitu Clericali publico Ritu indutus, didicit cantum Romanum, Grammaticam & Sacræ Scripturæ Hiſtoriam. Tum vero poſt duorum annorum lapſum Epiſcopus (tunc ſedebat Gundulfus) eum in Eccleſia S. Stephani Diaconum ordinavit. Rurſus curriculo trium annorum expleto a Drogone Presbyter creatur. Subinde Clericorum Electione ad officium Cantoris admovetur, Scholis præficitur, Primicerius conſtituitur, eique cura omnium Clericorum in Civitate & Diœceſi omniumque Monaſteriorum committitur. Cum itaque viri fama ad Imperatoris aures pervaſiſſet, accerſitur, invitus ad Regiam venit, & Ludovico Imperatori a Confeſſionibus eſſe jubetur. Vix menſes quatuor hoc munere functum, Francone Epiſcopo Cenomanenſi morte conſumpto, Landranus Archiepiſcopus Turonenſis, Rorico Comes Cenomanenſis, omnes illius Diœceſis Primores, Clerici, populusque Aldricum Epiſcopum eligunt. Conſentit Imperator, Drogone concedente Litteras dimiſſoriales tam ad Archiepiſcopum Turonenſem, quam ad Epiſcopum Neo-electum, qui ſuæ Ec- *to. 5. miſc. p. 141. 142.*

Sæculum IX. A.C. 836.

cleſiæ Presbyter erat, directas. Ergo ſolemni ritu in Eccleſia Cathedrali Cenomanenſi a Landrano, ſuo Metropolita, & illius Provinciæ Epiſcopis Die Dominica, vigeſima ſecunda Decembris anno octingenteſimo trigeſimo ſecundo, annos natus triginta duos ordinatur, illamque Sedem annos viginti quatuor tenuit. Tertio poſt ordinationem die adfuit Imperator, & Cenomani Feſta Natalis Domini transegit. Primo ſui Regiminis anno Aldricus conſtructo aquæductu Cenomanenſium neceſſitati conſuluit, cum antea in Civitate aqua vix caro pretio comparari poſſet, quam cives ex Sarta amne advehere cogebantur. Eodem anno cœpit clauſtra ædificare pro Canonicis, qui in diverſis ædibus Civitatis habitantes commode ad celebranda Divina officia coire non poterant. Complura Monaſteria & ſeptem Xènodochia vel fundavit vel reſtauravit.

Geſt. epiſc. Cenom to.3. Analect. Mabill. p. 276.

Hiſt. O. S. B. liv. 5. c. 15.

§. LIV.

Concilium Aquisgranenſe ſecundum.

Aldricus Epiſcopus Comitiis a Ludovico Imperatore menſe Februario anno octingenteſimo trigeſimo ſexto celebratis ſeu alio nomine Concilio Aquisgranenſi ſecundo interfuit. Hujus Concilii

to. 7. p. 1700. Aſtron. an. 835.

cilii Acta in duas partes dividuntur, & in prima continentur tria Capitula, quorum duo priora sunt responsa ad Articulos ab Imperatore propositos, in iisque docetur, qualem vitam & Doctrinam Episcoporum & Ordinum inferiorum, id est, Abbatum, Canonicorum & Monachorum, Chorepiscoporum, Archipresbyterorum, Archidiaconorum & tandem Presbyterorum esse oporteat. Hæc autem Responsa magis exhortationes quam leges dicenda videntur, nec quidquam aliud continent, quam monita generalia ex Canonum collectionibus & ex SS. Patribus excerpta. Id solum notatu dignum, culpari in iis Episcopos, quod in Cœna Domini oleum infirmorum consecrare, & in Vigilia Paschæ officium nocturnum, id est, fontes benedicere negligerent. Depositio denunciatur Episcopis vel aliis Clericis, qui ab Imperatore Ludovico fide, quam juraverant, violata defecerint. Laicis ob hanc perfidiam excommunicatio indicitur. In tertio Capitulo continentur monita ad Imperatorem ipsum, ad ejus filios & ad Proceres, suntque iterum pleraque generalia. Illud vero tanquam omnium malorum fontem indicant, quod Principes in causas Ecclesiasticas, & Episcopi in Sæculares sese ingesserint. Rogatur Imperator, ut

Sæculum IX. A. C. 836.

c. 2. 8. 9.
c. 12.
c. 5.
15.
16.
17.

Sæculum IX. A. C. 836.

c. 23.

Episcopis suam libertatem reddat, eosque & alios viros Ecclesiasticos tempus Quadrageſimæ tranquille consumere permittat. Petitur, ut Presbyteri diversarum Diœceſium qui Palatium adeunt ibique miniſtrant, niſi consensum Episcoporum suorum exhibuerint, repellantur, ne per errorem tales admittantur, qui magnorum criminum rei sunt, vel impoſtores, ne quidem ordine Presbyteratus insigniti. In concluſione hujus Partis primæ Episcopi de distinctione Poteſtatum prolixe differunt, fatentur, se poteſtatis suæ limites fuiſſe transgreſſos, atque filiorum in Patrem & Cæſarem rebellionem ansam dediſſe perpetrandi facinoris omnibus retro Sæculis inauditi. Tum subjungunt: *Quæ cum ita sint, unicum reparandis rebus superesse remedium existimamus, si plena poteſtate, quam a JEſu Chriſto acceperunt, Episcopis relicta, tu illa, quæ tibi ut Petri & Imperatori competit, libere utaris.*

Astronom.

Pars secunda Concilii Aquisgranenſis ad Pipinum Regem Aquitaniæ dirigitur, continetque vehementem exhortationem ad eum permovendum, ut Bona Ecclesiastica a se ipso & Regni sui Optimatibus usurpata, ut Mandata Imperatoris parentis sui anno octingenteſimo trige-

trigesimo quarto ad ipsum data ferebant, restitueret. Aldricus quoque Episcopus Cenomanensis & Erchanradus Episcopus Parisiensiis omnium Confratrum suorum nomine Monita tradiderant, quæ hodie non extant; in hoc Concilio autem adjunxerunt multa testimonia ab Auctoritate Sacræ Scripturæ petita in tres libros digesta, ubi doctrinam de Bonis Ecclesiasticis solide pertractant, & ad objectionem Sæcularium illam vulgarem respondent; *an aliquid mali sit, si his Bonis, premente necessitate, utamur? nec Deus, nec Sancti his indigent. Omnia Dei sunt, & ad utilitatem nostram omnia, quæcunque in Orbe terrarum sunt, creavit.* Itaque Episcopi ex tota Sacrarum Scripturarum historia demonstrant, Sanctos Viros a Mundi exordio Sacrificia & oblationes attulisse Deo gratissimas; imo Deum omnipotentem præcepisse, ut sibi ab homine Bona terrena offerrentur, vota hominum sacra, quibus sibi fundi & agri consecrabantur, approbasse, illos severe a Deo punitos, qui ejus Servitium vilipendissent, Res Deo Sacras aut profanassent aut diripuissent. Et tandem eandem rationem Bonorum Ecclesiasticorum in nova lege ac in veteri habendam esse. Ad vota successit Episcoporum conatus; Rex enim Pipinus Parentis

Sæculum IX. A. C. 836.

c. 27.

c. 32.

c. 34.

Lib. 2. 3. *Astron.*

Sæculum IX. A. C. 836.

tis & ipsorum monitis morem gessit, & datis literis omnia Bona Ecclesiastica restitui jussit.

§. LV.

Comitia Theonisvillæ & Stramiacense.

Mense Majo eodem anno octingentesimo trigesimo sexto, Ludovico Imperatore Theonisvillæ Comitia celebrante, advenerunt a Lothario delegati atque præter alios Wala Abbas, cui Imperator in gratiam recepto præterita omnia, mitissimi animi Princeps, ignovit. Fœdera quoque & pacta cum Lothario filio inita; eumque Pater per eosdem, quos remittebat, Legatos invitavit, ut ad se celeriter veniret. At morbo sontico & contagioso prohibitus est ne iter posset suscipere. Complures factionis ejus viri præcipui illa tabe consumpti; videlicet Wala Abbas, qui die ultima Augusti hoc anno octingentesimo trigesimo sexto extinctus est, Jesseus Episcopus Ambianensis, Elias Trecensis, & complures ex Proceribus alii. Tantum vero abfuit, ut Ludovicus Imperator lætaretur comperta morte eorum, qui sibi atrociter adversati fuerant, ut potius pectus tunderet, & flens largissime Dei Justitiam flectere adniteretur. Porro cum Lotha-

Mabill. to. 5. Act. p. 455.

Coint. 836. n. 56.

Astron.

Lotharius morbo impediretur, quo minus Comitiis in æstate ejusdem anni octingentesimi trigesimi sexti Stramiaci, quod hodie *Cremieu* dicitur, prope Lugdunum celebratis interesset, duo tamen Fratres ejus Pipinus & Ludovicus advenerunt. Ibi, jubente Imperatore parente, causæ Ecclesiarum Lugdunensis & Viennensis, Agobardo & Bernardo depositis, vacantium ad examen vocatæ. Verum in absentes nihil statutum est; nempe cum non fuissent auditi, existimarunt Episcopi, alios in ipsorum Ecclesiis ordinari non posse. Sæculum IX. A. C. 836. *Astron.* *Sup.* §. 46.

§. LVI.

Ludovicus Ecclesiam Romanam tuetur.

Postquam Lotharius ex morbo convaluit, ad Imperatorem Patrem defertur, quod ejus milites Ecclesiæ Romanæ S. Petri Subditos contra datam fidem crudeliter haberent. Etsi Ludovicus indolem sortitus esset mansuetissimam, ad hoc nuncium tamen ita excanduit, ut illico Legatis mandata daret, & profectionem eorum in Italiam præscripto temporis spatio vix sufficiente immodice urgeret. Id vero Parentis nomine Lothario nuntiare jubebantur: *An e memoria excidit, cum te Regno Italiæ præficerem, me* *Astron.*

Sæculum IX. A. C. 836.

me tibi cumprimis præcepisse, ut Sanctæ Ecclesiæ Romanæ curam gereres? an nescis, tui esse officii hanc Ecclesiam tueri? nunc vero audio, quod eandem a militibus tuis diripi patiaris. Cura etiam, ut commeatus & diversoria parata in tota via, quæ Romam ducit, inveniam; nam ad Apostolorum limina invisere animo constitui.

Verum aliud evenit, nam Normannorum in Frisiam irruptione Imperator profectionem Romanam suscipere prohibitus est. Ad tempus hujus incursionis refertur Martyrium S. Liberti, quondam S. Rumoli Discipuli, cujus memoria Mechliniæ decima quarta Julii colitur. Ergo Imperator Fulconem Abbatem Fontanellensem cum quodam Comite, nomine Richardo, remittit in Italiam, qui Lotharii responsum afferret. Misit præterea Adrevaldum Abbatem Flaviniacensem, qui Papam de quibusdam rebus consuleret. Id quoque a Lothario postularunt, ut Bona in Italia sita, ad Ecclesias Franciæ pertinentia, & ab hominibus Lothario subditis usurpata, restituerentur. Lotharius parte aliqua eorum, quæ petebantur, reddita, excusavit, quod non omnia restituerentur, esse enim impossibile, ut id effectui daretur. Adrevaldus, Romam perveniens, Papam ibi ægro-

Molan. in Usuard. 14. Jul.

Astron.

Ann. Bertin.

ægrotantem habuit; qui vero videns quam blande & honorifice Imperatoris nomine salutaretur, usque adeo refocillatus est, ut vix ullus doloris sensus remaneret. Itaque Adrevaldum liberalissime habitum & donis pretiosis cumulatum additis itineris sociis Petro Episcopo Centumcellensi, & Georgio Episcopo Regionis Romanæ (id est Pontificis Suffraganeo) remisit. At vero Lotharius comperto, quod hi duo Episcopi ad Imperatorem Patrem suum proficiscerentur, Leonem, virum, cujus magna apud Lotharium erat potestas, Bononiam sine cunctatione misit. Porro illius comminationibus perterriti duo Episcopi iter suum prosequi non sunt ausi. Adrevaldus ut saltem epistola Papæ, ad Imperatorem data, salva esset, eam a quoquam suorum sub mendici habitu transmisit. Sæculum IX. A. C. 837.

§. LVII.

Ludovicum Cometa terret.

Cum volveretur annus octingentesimus trigesimus septimus, & Pascha in diem primam Aprilis incidisset, Cometa in signo Virginis conspicuus factus, postquam viginti quinque dies suo fulgore mortales terruisset, in capite Tauri videri desiit. Ludovicus Imperator ejusmodi *Astron.*

Sæculum IX, A. C. 837.

modi Phœnomena obſervandi ſtudioſus, antequam cubitum concederet, accerſito Aſtronomo, qui ipſius vitam ſcripſit, interrogat, quid de hoc Cometa ſibi videretur. Reſpondit Aſtronomus, ſi ſibi mora concederetur in craſtinam, edicturum ſe, quid ſentiret. Intelligens Imperator, quod res erat, eum moram petere, ne ſibi triſte quidquam aperire cogeretur, *ſcio*, inquit, *me heri ſub noctem hoc aſtrum non vidiſſe, ſed eſſe Cometam, de quo præteritis proxime diebus nobis ſermo erat. Dic mihi, quid eo portendi credat.* Cumque Aſtronomus aliqua eorum, quæ cogitabat, protuliſſet, & premeret reliqua, addidit Imperator, *eſt tamen aliquid, quod diſſimulas; ajunt enim, hoc prodigio Regni viciſſitudinem, & Principis mortem indicari.* Tum Aſtronomus

Jerem. 10. 2. textum Prophetæ adduxit dicentis: *A ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes.* Iterum Imperator: *Chriſtiani nihil timeant, niſi Creatorem ſuum, qui etiam hoc aſtrum condidit. Sed clementiam ſatis mirari non poſſumus Divini Numinis, ejusmodi ſignis ignaviam noſtram ad pœnitentiam excitantis.* Tum omnibus ad ſomnum capiendum abire juſſis, ipſe orando noctem conſumpſit, & cum illuxiſſet, familiaribus vocatis præcipit, ut eleemoſynæ largiſſime, & quantum

tum fieri posset, pauperibus, Monachis & Canonicis præberentur. Missas etiam a Sacerdotibus, quotquot aderant, celebrari petiit, non tam sibi quam Ecclesiæ, cujus tutelam susceperat, timens. Alius Cometa in signo Scorpionis prima Januarii anno sequente millesimo trigesimo octavo apparuit, eumque Pipini Regis mortem, quæ brevi post secuta est, portendisse crediderunt. Sæculum IX. A.C. 838.

§. LVIII.

Ludovici Imperatoris obitus.

Ludovici Imperatoris obitum etiam memorabilis illa solis eclipsis præcessit, quam idem Astronomus tanquam mortis ipsius omen cœlitus datum adnotare non prætermisit. Cum Ludovicus Rex Bavariæ ad arma prorupisset, indignatus, quod ImperatorParens novam Provinciarum divisionem suo damno & ad augendam fratrum suorum Lotharii & Caroli potentiam moliretur, re ad Imperatorem delata, Pictavensi Civitate, ubi hyemaverat, excedens in Quadragesima anni octingentesimi quadragesimi iter cum exercitu ingressus est præter consuetudinem; quippe alias solebat hoc Sacro tempore Psalmos cantare, orare, Missæ interesse, eleemosynas distribuere, & to- *Astron.*

Sæculum IX. A. C. 840.

tum pietatis operibus ita consumere, ut vix una alterave die equum conscendere & corporis vigorem salubri motu conservare vacaret. Tunc vero etiamsi esset senectute gravis, & rhevmate laboraret, officii sui esse existimavit contra Ludovicum filium movere. Festo Resurrectionis Domini devotissime, ut solebat, Aquisgrani celebrato, moxque superato Rheno, nunciatur, filium cum copiis abscessisse. Ergo Comitia Wormatiæ celebranda indicit, & Lotharium filium ad ea venire jubet. Illo igitur tempore videlicet die tertia Rogationum, quinta Maji & Vigilia Ascensionis terribilis eclipsis omnium mentes reddidit attonitas. Interim Imperator omnes cibos fastidiens & viribus destitutus in quadam Insula prope Moguntiam castra figere & lectulo se tradere cogitur, Ecclesiæ statum & turbas, quas ominabatur venturas, vehementer dolens, nam meliora fratrum discordia sperare non permittebat, quorum tamen omnium causa ipsius in Juditham & Carolum filium amor animusque plus justo propensus causa existebat. Multi Episcopi aliique Clerici, qui solatium afferrent, aderant, & inter ceteros Hetto Trevirensis Archiepiscopus, Otgarus Moguntinus, Drogo Imperatoris frater Episcopus Metensis & Archi-

Imperator ægrotat.

Archicapellanus, in quo maximam po- Sæculum IX.
fuerat fiduciam; unde eidem quotidie A. C. 840.
conscientiæ suæ nævos in confessione aperiebat, & quotidie Domini nostri corpus accipiebat. Imo diebus omnino quadraginta nullum alium cibum capere potuit. Hinc laudabat Deum dicens: *Justus es Domine! quod me invitum, cum in Quadragesima non jejunaverim, modo ad jejunandum compellas.*

Ludovicus porro Drogoni fratri suo præcepit, ut illis, qui Principi a cubiculis erant, convocatis, commentarium conscribi curaret omnium rerum mobilium, quæ de more, cum Imperator iter faceret, vehebantur, nempe coronæ, & alia ornamenta regia, arma, vasa, libri, vestes Sacerdotales; eaque omnia in Ecclesias, in pauperes, & duos filios suos Lotharium & Carolum dividi. Lothario misit coronam, gladium & sceptrum ea conditione, ut Carolum & Juditham matrem ipsius nunquam destitueret, sed fratri suo minimo illam Regni partem, quam ipsi dederat, assereret. Imperator deinde Deo gratias egit, quod jam nihil amplius possideret, de quo posset disponere. Tandem Drogo, quod alii Episcopi suadebant, interrogat Fratrem an non filio suo Ludovico ignosceret. Pri-

Sæculum IX. A. C. 840.

mum fassus est, gravem se in seditiosum iram concepisse. Tum deliberavit, & collectis, quæ supererant, viribus narrare cœpit, quantas ab eo, ut putabat, illatas sibi injurias tulisset, & tandem adjecit: *Cum venire non possit, ut veniam roget, facio, quod possum, testorque Deum & vos omnes præsentes, ei me, quæcunque in patrem & Regem deliquit, ignoscere. Vestrum est, eundem monere, ne ipse suo officio desit.*

Jussit deinde Ludovicus cum Sabbatum esset, & nox appropinquaret, officium nocturnum sequentis Dominicæ cantari, & particulam de ligno veræ Crucis suo pectori imponi. Signum veræ Crucis, quamdiu potuit, sua manu in fronte formavit, & deficientibus viribus nutu a Drogone petiit, ut se signaret. Nocte in hunc modum exacta, die superveniente jussit Altare parari, in quo Drogo Sacris operatus est, eique Communionem porrexit. His actis rogavit Drogonem ceterosque præsentes, ut tantisper quieti indulgerent. Tandem sentiens supremam horam sibi advenisse, revocavit Drogonem, sequentibus eum reliquis Episcopis; tum significans, ut poterat, quod se eorum precibus commendaret, petiit, ut preces pro agnoni-

Obit.

zanti-

zantibus dici solitas inciperent. Dum recitantur, oculis in lævam partem cum indignatione conversis omni qua poterat contentione dixit *bouts, bouts,* quæ vox lingua Teutonica significabat: *foras! foras!* crediderunt præsentes, ipsi malignum Spiritum fuisse objectum. Mox vero oculos in Cœlum lætanti similis lævavit, atque ita obiit vigesima Junii, anno octingentesimo quadragesimo, ætatis suæ sexagesimo quarto, Imperii vigesimo septimo. Corpus ejus Metas translatum & in Ecclesia S. Arnulfi juxta corpus Hildegardis matris suæ solemni pompa depositum. Sæculum IX A. C. 840.

§. LIX.

Ludovici Species.

Erat Ludovico statura corporis mediocris, oculi magni, nasus longior, humeri lati, robusta brachia, hinc eo solertius nemo arcum tractabat, nemo violentius torquebat hastam. Vox ei mascula, latina lingua ipsi æque familiaris fuit ac patria, nec Græcam ignoravit. Juvenis Poetarum gentilium carmina didicerat; exinde vero ea nec legere nec audire voluit. Econtra Sacræ Scripturæ studio delectabatur, cujus diversos sensus, Spiritualem, Moralem, & Anagogicum *Theg. c. 19.*

Sæculum IX. A. C. 840.

noverat. Singulis diebus tempore matutino in Ecclesiam se conferens genua flectebat, ita inclinato corpore, ut fronte pavimentum contingeret. Longo tempore & quandoque inter lacrymas orabat. Quotidie antequam prandoret, eleemosynas largiebatur, & quamcunque Civitatem aut arcem intrasset, pro pauperibus etiam diversoria parabantur. Cibum potumque sobrie capiebat, nec unquam effuse ridere auditus est. In Festis majoribus, quibus cantores, tibicines & histriones plebem exhilarare solebant, ipse vultu ad modestiam composito ceteros continebat. Nec ambitiose vestiebatur, exceptis Festis celebrioribus, in quibus totus auro coruscabat corona ornatus, & sceptrum manu gestans. Etiam virtute munificentiæ præditus erat, multosque agros Regii patrimonii in privatos contulit. Nihil sine consilio moliebatur; sed tantum temporis cantu Psalmorum & lectione consumebat, ut sæpe nimis res a se gerendas arbitrio corum, quorum opera utebatur, arbitrio committere cogeretur. Noxiam consuetudinem non abolevit, qua Episcopi ex conditione servili assumebantur; hi etenim propinquos suos mittebant, eosque tum datis litteris, tum per nuptias, quas eis cum nobilibus

c. 20.

bus conciliabant, plus justo evehebant. Talis fuit Imperator Ludovicus, hujus nominis inter Reges Francorum primus, (*) cui facilitas remittendi injurias cognomentum Pii peperit.

Sæculum IX. A. C. 840.

§. LX.

Agobardi Obitus.

Jam aliquo abhinc tempore Ludovicus Imperator concesserat, ut Agobardus Lugdunensis & Bernardus Viennensis Sedes suas repeterent; hoc autem anno ex Aquitania discedens reliquit ibi Agobardum, qui interea huic Regno præfuit. Verum Agobardus e vita excessit apud Xantones sexta Junii, quem ipsius Ecclesia Lugdunensis sub nomine S. Agebalbi honorat, & quia eum denuo apud Imperatorem gratia valuisse videmus, conjectura est, ipsum culpam seditionis, cujus conscius fuit, satis expiasse. Ceterum hanc culpam etiam Wala Abbas aliique viri exploratæ sanctitatis admiserant, quam maxima Ludovici imbecillitas excusabat.

Ado Chr. S. B. to. 1. *Bibl. Lap. p. 293. Boll. to. p. 748. 6. Jun.*

Præter Scripta, quorum mentionem fecimus, alia complura nobis Agobardus

(*) Nisi hoc nomen idem sit quod veteribus Francis Clodoveus.

Sæculum IX, A.C. 840.

reliquit; ea vero, quæ adversus Amalarium edidit, ultima fuisse videntur. Amalario Ecclesiam Lugdunensem reprehendente, quod nova & aliena in cantum Ecclesiasticum introduxisset, Agobardus eam defendit edito Tractatu, cui Titulus: *de Divina Psalmodia.* Posteri Amalarii opus impugnavit alio libro publicæ lucis facto cum titulo: *de Correctione Antiphonarii*, dicens non solum errores sed etiam Hæreses inesse. Tandem tertium quoque opus evulgavit, Amalarium aperte aggressus, & complura in Tractatu ejus de officiis Ecclesiasticis vituperans. Hac vero Critica non obstante posteritas Amalarii Scripta plurimi fecit, nec dissimulandum est, multa in Agobardi Scriptis legi, quæ animum acriter commotum & præjudicio occupatum produnt. Successorem in Sede Lugdunensi habuit Amolonem ejusdem Ecclesiæ Diaconum, Die Dominica decima sexta Januarii Episcopum ordinatum.

HISTO-

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER XLVIII.

GREGORIUS IV. PAPA.
LOTHARIUS I. IMPERATOR OCC.
THEOPHILUS IMP. OR.

§. I.

Civitas Amorienſis a Muſulmannis capitur.

Inter hæc Theophilus Imperator Muſulmannis bellum inferens, ducto in interiora Syriæ exercitu multisque incolarum millibus in captivitatem abſtractis omnia vaſtabat. Tandem Sozopetram, * *Mutazem* Califæ patriam, obſidione cingit. Is datis ad Theophilum litteris rogavit, ut in ſui gratiam civitati parceret. Sed obtinuit nihil; nam

Sæculum IX. A. C. 841.

Poſt. Theo. lib. III. n. 29. Elmac. l. II. c. 9.

*Almutazem. *Abulfar. p.* 165.

Act. SS. 42.

Sæculum IX. A. C. 841.

Theophilus captam civitatem destruxit, & plurimis civium jugulatis, reliquos vinculis dedit. Califa acerrime commotus tantas, quantas nunquam antea Antecessorum ejus quisquam, coegit copias, & militum clypeis tesseram inscribi jussit, vocem *Amorium*, ut indicaret, statutum sibi, hanc urbem igne ferroque delere, in qua Theophilus natus erat. Amicorum proximi suadebant Theophilo, ut cives salvos vellet, & alio mitteret; ipse vero, ut honori & famæ suæ consuleret, Aetium Patricium olim Orientis Rectorem duosque alios bello celebres Duces Theodorum Craterum & Theophilum Baburzicum civitati præfecit, qui eam tanta fortitudine & militari industria propugnarunt, ut hostium interfectorum millia septuaginta numerarentur, etiamsi non ultra dies tredecim tenuisset obsidio. Tandem vero Mutazem usus proditoris, nomine Babuzicæ, perfidia, ibi urbem aggressus, ubi pars muri collapsa, eam superavit anno Hegiræ ducentesimo vigesimo tertio, JEsu Christi octingentesimo trigesimo octavo. Tunc vero civibus militibusque trucidatis solum præcipuos ex Ducibus retinuit, & Bagdatum (*) misit.

Martyr. ap. Boll. 6. Mart. to. 6. p. 460.

n. 34.

§. II.

(*) Ad Tigrim fluvium. Crevit ex ruinis Babylo-

Sæculum IX.
A. C. 841.

§. II.
Confessores Captivi.

Illo reversus Califa captivos Græcos ferreis vinculis & pedicis adstrictos in specum detrudit obscurum adeo, ut nulla ferme lux incideret, & in meridie oculorum usu deficiente solam loquentis vocem cognoscerent. Nemo hominum ad eos admittebatur, nisi duri custodes; arcto pane & aqua refocillabantur, in nuda humo cubabant, vestes erant centones laceri pediculis scatentes. Non nunquam dabatur iis licentia exeundi ad colligendam stipem; tunc vero quemlibet eorum decem milites custodiebant, & iisdem in carcerem reductis, panis frangebatur & discutiebantur scutellæ, ne epistolas sibi traditas occultare possent.

Barbari, ubi conspexerunt captivorum corpora carceris squalore attenuata & viribus destituta, eorum Religioni insidiari cœperunt, quippe Califa Doctores, qui inter Musulmannos eruditissimi habebantur, ad eos misit. Illi simulantes se sponte sua venire, cum a custodum Præfectis facultatem captivis colloquendi facile obtinuissent, pecunias vestesque

---

bylonis, cujus hodie pauca quæ supersunt rudera ad Euphratem unius diei itinere inde distant.

Sæculum IX. A. C. 841.

ſtesque attulerunt, ut benevolentiam captarent. Dixerat enim Califa, parum ſibi videri cepiſſe urbem, niſi etiam animas cœlo lucraretur. Porro Chriſtianis ad primam de fide ſua abjiciendâ mentionem exhorrentibus, dicebant Muſulmanni: *Plane non eo loco ſitæ ſunt res veſtræ, ut nos ſuperbe repellere debeatis. Audite ſaltem quæ afferimus, poſtea conſilia noſtra reſpuere licebit, ſi noxia ſint. An non amatis liberos veſtros, parentes, uxores, amicorum ſuavem conſuetudinem, patriam denique veſtram? porro unica vobis reſtat via ad hæc bona omnia recuperanda; ſi diſſimuletis tantisper, ſi vos circumcidi patiamini, & cum Califa oretis. Tunc muneribus vos cumulabit, & belli viciſſitudines vobis viam aperient, qua ad veſtros & ad Religionem veſtram redeatis.* Chriſtiani reſponderunt: *Si eadem ſors, quæ nobis hodie, vobis Mahometis cultoribus obtigiſſet, an quod modo Chriſtianis conſilium datis, ipſi eſſetis amplexuri? faceremus ſine dubio,* reſponderunt Muſulmanni, *nihil enim homini libertate jucundius.* Et quod dicebant juramento confirmarunt. *Nos vero,* reſpoſuerunt Chriſtiani, *conſilium hac ſuper re non recipimus ab hominibus, qui in ea, quam profitentur Religione, vacillant.* His dictis pudore confuſos dimiſerunt. Exactis paucis diebus adſunt alii, qui etiam

Sæculum IX.
A. C. 841.

iam quæsito prætextu largiendi captivis eleemosynam commiserationem inter lacrymas testabantur. *Horrendum malum!* inquiebant, *in magnum Prophetam Mahometem non credere. Miseri isti, quos conspicimus vinculis onustos, sunt Imperatoris sui affines, inclyti bello Duces, magnorum spirituum & exploratissimæ fortitudinis viri, validis copiis imperabant; cur ergo tanta præsidia eis nihil profuerunt, nisi quod non noverint Prophetam, à cujus Servis devicti sunt? Sed mirum non est, quod veritatem nesciant, quam nemo ipsos docuit, veniam meretur ignorantia.* Tum sermone ad captivos directo inquiebant: *Relinquite arctam viam, in qua ut ambuletis præcepit vobis Filius Mariæ, ingredimini viam latam in hac & in altera vita, quam Propheta magnus nobis ostendit. Num docet aliquid, quod fidem superet, dum dicit, Deum posse sibi servientibus in hac vita omnis generis voluptates, & in altera paradisum concedere? damnate vestram ignorantiam, & nolite Dei Beneficia respuere. Quia enim bonus est, cum videret, JEsu legem asperam & difficilem implere, onus esse humanis viribus majus, misit Prophetam suum Mahometem, ut detracto tanto onere homines per solam Fidem salvaret.* Christiani modico risu sese mutuo aspicientes dixerunt: *Quomodo vobis persuadere potestis, veram esse*

Fides Mahometanorum.

Sæculum IX. A. C. 841.

esse & Deo acceptam Doctrinam, quæ cuni omnis generis voluptates indulget? & rationem, nobilissimam hominis portionem, brutis affectibus subjicit? nullum profecto ejusmodi hominis & animalis ratione carentis discrimen est. Apagite! nihil nos a JEsu Christi charitate separet.

Haud multo post iterum veniunt alii ex ordine illorum, quos Musulmanni *Fequirs* appellant, nempe Monachorum. Hi captivis eleemosynam largiti, & singulos osculati, postquam consedissent dixerunt: *Pensate rem attentione dignam; quibus hodie Deus opitulatur, an Romanis, an Musulmannis? an non colonis fertilitatem agrorum concedit, & exercitibus nostris victoriam? nunc vero justus est Deus; tot bona non daret, nisi mandata ejus servaremus, nec vos in potestatem nostram tradidisset, nisi quia in ipsius Prophetam credere recusastis.* Christiani responderunt: *Bona vestra venia quæstionem proponemus. Si viri duo de possessione hæreditatis litigent, & unus quidem clamet: mea est! sed testes nullos producat, alter autem verbis parcens complures testes fide dignos producat, quid vobis videtur? utri adscribenda est hæreditas?* Responderunt Musulmanni: *illi utique, qui testes idoneos produxit.* Tum Christiani: *Ecce! venit JEsus Christus, natus ex Virgine, quod nec vos inficiamini, & testes*

Sæculum IX. A. C. 841.

ſtes produxit, omnes veteres Prophetas, qui ipſius adventum prædicarunt. Dicitis, Mahometem quoque veniſſe, & legem tertiam attuliſſe. An non novum Prophetam oportuiſſet ſaltem unius alteriusve Prophetæ veteris teſtimonium pro ſe producere? qui ipſum a Deo miſſum affirmaſſet? putatis, illud cauſæ veſtræ prodeſſe, quod Principes veſtri regna evertant, & provincias armis ſubigant. Verumenimvero aſpicite Perſas, qui totum ferme orbem terrarum ſibi ſubjecerunt, numerate victorias Græcorum, qui Perſas devicerunt, recordamini Triumphos Romanorum, quorum imperium usque ad terminos orbis terræ prolatum. Edicite, num hi generis humani Victores veram Religionem ſequebantur? quin imo plures Deos non ferenda inſania adorabant. Deus quandoque Victoriam tribuit ſibi ſervientibus, quandoque, poſtquam eum offenderunt, permittit, ut vincantur, & flagello hominum impiorum ad caſtigandos filios utitur. Chriſtiani ſeptem non minus annis in teterrimo carcere languere coacti Deo gratias agebant, quod modum ſibi ſuppeditaſſet præterita ſua peccata expiandi, & pro converſione Muſulmannorum orabant.

Interim *Mutazem** alio nomine *Abu-Iſaac* Samarræ, ſeu *Sermenrai*, nova Civitate, quam ad Tigrim decem duodecimve

* ſeu ut ſupra Almutazem. *Elmac. l. II. cap. 9. Bibl. orient. p. 808*

Sæculum IX. A. C. 842.

cimve leucis a Bagdato distantem ædificaverat, naturæ debitum solvit anno Hegiræ ducentesimo vigesimo septimo, decima octava die mensis tertii, id est, sexta Januarii, anno Salutis octingentesimo quadragesimo secundo, ætatis suæ quadragesimo octavo, postquam annos octo, menses octo, & dies octo regnasset. Rudis erat, & literas formare nesciebat. Ei filius suus Aaron *Aluatec Abujafar* successit.

§. III.

Patriarchæ Orientis.

Elmac. eod. c. 9. Chr. orient. pag. 109. Sup. lib. XLVII. §. 41.

Jacobus Patriarcha Jacobita Alexandrinus anno quinto Regni *Mutazem*, Hegiræ ducentesimo vigesimo secundo, JEsu Christi octingentesimo trigesimo septimo obiit, eique successit Simeon, qui non plus uno anno Sedem occupavit. Anno deinde sequente ducentesimo vigesimo secundo, JEsu Christi octingentesimo trigesimo octavo Josephus in Monasterio S. Macarii Patriarcha eligitur, qui Sedem annis septendecim tenuit. Josepho sedente contigit, ut Metropolita Habechæ seu Æthiopiæ, Jacob nomine, e Cathedra sua expelleretur. Cum vero exinde agris arentibus fames & pestis illud Regnum affligerent, Rex per legatos a Josepho Patriarcha veniam facti petiit, rogavitque, ut Metropolitam remitteret, qui

qui rediens inter maximæ lætitiæ signa exceptus est. Inde dispicimus Abyssinos Christianos Jacobitarum de Secta fuisse. Josephus Patriarcha Episcopos a se ordinatos in Pentapolim & Africam ad Occidentem misit. Sedem Patriarchæ Melchitæ Alexandrini tenebat Sophronius Christophoro defuncto, anno quarto *Mutazem*, JEsu Christi octingentesimo trigesimo sexto ordinatus, vir doctus & Philosophiæ amans. Sedit annis tredecim. Sæculum IX. A. C. 842.

Job Patriarcha Melchita Antiochenus etiamnum inter vivos agebat, Dionysio Sedem Patriarchalem Jacobitarum in eadem civitate tenente. Jerosolymæ Joannes Patriarcha Melchita anno septimo *Mutazem*, Salutis reparatæ octingentesimo trigesimo nono, ordinatus Sedem non ultra annos tres obtinuit. Cum enim cives Jerosolymitani seditione commota ei varia & gravia objicerent, populi furorem pertimescens Sedi suæ datis litteris renunciavit. Hæc sunt, quæ de rebus Ecclesiarum Orientalium scimus.

§. IV.

Theophili Obitus. Michael Imperator.

Constantinopoli Theophilus Imperator amissæ civitatis Amorienſis dedecore, *Post. Theo. l. III. n. 34.*

Sæculum IX. A.C. 842.

core, & quod Califa pecuniam pro redimendis captivis accipere nollet, tam acriter commotus est, ut viscera exardescerent; unde cum ut sitim intolerabilem sedaret, aquam solutis nivibus gelidam bibisset, alvo cita laborans vigesima Januarii anno octingentesimo quadragesimo secundo, postquam regnasset annos duodecim & menses tres, extinctus est. Invidiam ejus memoriæ creavit illa crudelitas, qua tota vita sua Sacras imagines & viros Catholicos est persecutus. Non nunquam tamen se justitiæ amantissimum ostendit. Musicæ artis peritissimus videri cupiens, Hymnos & versiculos ingenii sui partus in Ecclesiis decantari præcipiebat. Imo aliquando, *ibid. n. 16.* cum Festum præcipuum celebraretur, in majore Ecclesia Constantinopolitana propria manu totius chori cantum moderatus, & in rei memoriam centum libras auri Clericis donasse fertur.

Post. Theo. lib. VI. Theophilo successit Michael filius etiamnum infans sub tutela Theodoræ matris suæ. Addiderat Pater tres viros, qui a consiliis essent, Theoctistum Evnuchum præcipuis in Regia officiis fungentem, Bardam Patricium Imperatricis fratrem, & Patruum ipsius Manuelem, officiorum in aula Magistrum, qui ex Armenia ducebat originem. Eum, cum in illa Provincia copiis præesset, &

quo-

quorumdam Abbatum e diversis Monasteriis amicitiam coleret, accurate edocuerant Præsules, quænam de imaginum cultu Catholica esset Doctrina. Morbo deinde correptum inviserunt Monachi, promiseruntque, ipsum cito valetudinem recuperaturum, si cultum Sacrarum imaginum restitui curaret. Id pollicitus brevissimo tempore sanitatem recepit. Sæculum IX. A. C. 842.

§. V.

Iconomachiæ finis.

Itaque Manuel communicato cum duobus aliis Imperatoris Tutoribus consilio cum persuasisset, piissimo negotio hujus Principis Regnum felicissime esse inchoandum, etiam Theodoram Imperatricem adit, & quid Tutores cuperent, aperit. Illa, *diu est, quod hoc ipsum exopto*, respondit, *& nunquam hoc propositum abjeci, sed huc usque, ne facerem, a multitudine Senatorum & Magistratuum, Hæresi Iconoclastarum faventium, a Metropolitis & imprimis a Patriarcha prohibita sum. Ipse enim erroris hujus, quem Imperator Conjux meus a parentibus acceperat, semina tunc facili labore suffocanda fovit, eumque suo hortatu impulit, ut tot viros Sanctos crudelissime haberet. Quid vero modo obstat*, ait Manuel, *quin populo maximæ lætitiæ argumentum concedas?* Illico Theodora ministrorum

Sæculum IX. A. C. 842.

quemdam vocat, nomine Constantinum, mittitque ad Joannem Leconomantam Patriarcham, cui suo nomine diceret: *Monachi complures aliique Viri pii libellum mihi obtulerunt, rogantes, ut sacrarum imaginum cultus restituatur. Si consentis, reddatur Ecclesiæ pristinus decor, si recusas, relinque Sedem, excede Constantinopoli, & in domum tuam, quam ruri habes, te confer, donec celebretur Concilium, in quo præsens sis. Nam in judicium vocaberis, & errorem tuum dedoceberis.*

Constantinus, ubi in Palatium Patriarchæ pervenit, admissus in triclinium, eum in lectulo meridiantem invenit, cumque, quæ ab Imperatrice jussus erat, nunciasset, Joannes id solum respondit, se suos ad consilium adhibiturum, statimque dimisit. Illo egresso, Patriarcha scalpellum arripit, sibi ipsi in ventre venas aperit, quo multum sanguinis effluaret sine vitæ periculo. Unde uno pene momento rumor Ecclesiam implevit, missos ab Imperatrice sicarios, qui Patriarcham interficerent. Id ipsum denuntiantium clamor prius ad Regiam pervenit, quam Constantinus rediisset. Confestim mittitur Bardas Patricius, ut in facinus perplexum accurate inquireret. Is certis indiciis deprehendit, non ab inimica manu vulnera esse facta. Suspicio-

spicionem confirmavit familiæ testimonium, atque scalpellum exhibitum. Itaque Joannes turpissimæ fraudis convictus ex Ecclesia ejicitur, & ruri in domo sua quæ Psicha dicebatur, includitur. Sæculum IX. A. C. 842.

§. VI.

Methodius Patriarcha Constantinopolitanus.

Itaque jubente Imperatrice Concilium in Palatio congregatur, cui Episcopi frequentes interfuere; nam præter Catholicos advenere complures ex numero illorum, qui prius Hæreticorum factioni adhærentes ad Episcopalem Dignitatem ab iis promoti fuerant. In eo Conventu Sacrarum Imaginum hostibus anathema dictum, Concilium Nicenum secundum confirmatum, & Joanne Leconomanta depositio Patriarcha Constantinopolitanus electus est Methodius, antea Imperatoribus Michaele Balbo & Theophilo pro Religione persecutionem passus. Tunc vero Imperatrix Theodora dixit: *Cum vobis concedam, ut sacræ imagines restituantur, rogo, ut mihi vicissim gratiam concedatis, nimirum, ut Imperatori conjugi meo veniam illius peccati, quo in imagines injurius extitit, a Deo obtineatis.* Methodius totius Ecclesiæ nomine respondit: *Potestas Sa-*

Or. in S. Niceph. Boll. to. 7. p. 320.

Sup. Lib. XLVI. XLVII. §. 44.

Post. Theo. n. 4.

Sæculum XI. A. C. 842.

cerdotalis, Augusta, in mortuos non extenditur. Claves cæli accepimus, (*) *ut illud hominibus etiamnum in hac vita degentibus aperiamus. Illud quidem verum est, quod possimus defunctos adjuvare,* (**) *si peccata eorum fuerint levia, & ipsi pœnitentiam egerint. Sed illos absolvere non possumus, qui in condemnationem manifesta mortui sunt.* Reposuit Imperatrix: *Imperatori marito meo morti proximo, ut potui, ante oculos posui, quam terribilia eum post mortem manerent, si in Hæresi perseveraret; scilicet privandum esse omnium precibus, cunctorum*

(*) Ex hac Doctrina omnium Sæculorum, de potestate clavium, quam hic Patriarcha Constantinopolitanus explicat, Veritas Catholica contra Protestantes confirmatur. Non enim diceret, sicut post paucas lineas dicit, vivos a Sacerdotibus absolvi posse non vero mortuos, nisi alia esset & major vivos absolvendi potestas, quam simplex facultas pro illis orandi, aut declarandi, credere se, quod illis peccata a Deo remittantur, quod Episcopi de Theophilo mortuo, ut statim videbimus, declararunt.

(**) En, iterum testimonium ex Orientali Ecclesia contra Protestantes! & iterum premitur Protestans Interpres dicens: Die lieben Alten haben nichts gewußt von einem Fegfeuer. Nam mortui adjuvantur a Sacerdotibus. Non in cœlo, nec in inferno, ergo &c.

rum civium horrorem fore, atque seditionis in vastissima urbe causam. Professus est pœnitentiam & postulavit imagines. Cumque aliquas produxissem, eas tenero affectu osculatus est, & ita in manus Angelorum spiritum reddidit. Hæc ita esse Theodora juramento confirmante Præsules de ejus sinceritate non dubitantes, & præsumentes, rem ita se habere, scripto declararunt, Deum misericordiam Theophilo impertiturum. Complures tamen credidere, sine pœnitentia mortuum esse, & Imperatricem conjugali affectu deceptam hæc affirmasse. Sæculum IX. A. C. 842.

Methodius proinde Patriarcha Constantinopolitanus ordinatus anno octingentesimo quadragesimo secundo, Dominica prima Quadragesimæ secundum Græcos, secundum nos autem secunda, totam noctem orando cum Imperatrici & omni populo in Ecclesia S. Virginis in Blachernis transegit, unde, cum illuxisset, cuncti inter publicas preces ad Sanctam Sophiam processerunt. Celebrata Missa, & Imagines solemni ritu restitutæ. Quibus omnibus peractis Imperatrix omnes Clericos & Confessores, qui tempore persecutionis ærumnas toleraverant, ad convivium adhibuit. Hoc Festum Theodora quoad vixit celebrare non omisit, appellatum exinde Festum

Sæculum IX. A. C. 842.

Orthodoxiæ, (*) ac si quis diceret Religionis Catholicæ Restitutæ, quod etiamnum Græca Ecclesia eadem die, nempe Dominica post primam Quadragesimæ hebdomadam, agit. In officio nocturno cantatur Hymnus compositus a Theophane Jerosolymitano Confessore, qui in præmium generosæ Confessionis & passionis Archiepiscopus Nicenus ordinatus est. In eodem Festo leguntur Acta, in quibus Iconoclastarum Hæresis Historia immixtis quibusdam fabulis refertur. Tempore matutino inter publicas preces procedit populus, vera Crux & Imagines præferuntur, cantatur Canon seu Hymnus, qui S. Theodoro Studitæ tribuitur; sed post ipsius mortem concinnatus videtur.

vit. c. 15. ap. Sur. 26. Dec.

Sup. Lib. XLVII. §. 42.

Hæc omnia in *Trisodion*, quod Officium Græcorum Quadragesimale complectitur, occurrunt. Et in hunc modum Hæresis Iconoclastarum, orta sub Leone Isauro ante annos ferme centum viginti, extincta est.

Sup. Lib. XLII. §. 1.

§. VII.

(*) Ideo etiam Iconoclastæ Heterodoxi dicebantur, quia, cum proniſſima ſit ab uno errore ad alium via, multi, ut vidimus, ad Hæresim Nestorianam, & in Occidente Claudius Taurinensis, ut videbimus, ad impietatem Arianam, deflectebant.

Sæculum IX. A. C. 842.

§. VII.

Jonæ Aurelianenſis obitus.

Claudius Taurinenſis, unicus in Occidente hujus Hæreſis defenſor, aliquo abhinc tempore nempe ante Imperatorem Ludovicum Pium fatis functus erat. Ex ipſius Commentariis in Scripturam ſolus ille in Epiſtolam ad Galatas typis vulgatus eſt; plura vero alia Manuſcripta in diverſis Bibliothecis, nempe, in Leviticum, in Librum Ruth, in S. Matthæum, in Epiſtolam ad Romanos, in duas Epiſtolas ad Corinthios, & in Epiſtolam ad Epheſios, aſſervantur.

Sup. Lib. XLVII. §. 20. Bibl. PP. Lugd. Lab. Script. p. 228 Mabill. 1. Ann. p. 46. Dupin. 9. Siecl. Ch. 1. p. 30. Jonas præf. in lib. de imag.

Cum Ludovicus Imperator ejus librum contra Theodemirum Abbatem de imaginibus accepiſſet, & viris eruditiſſimis, qui in Regia verſabantur, examinandum tradidiſſet, illud minime approbavit, miſitque Jonæ Epiſcopo Aurelianenſi Excerpta, ut ea refutaret. Scribere cœpit Jonas; jamque ad umbilicum deduxerat hoc opus, cum comperit, Claudium e vivis abiiſſe. Tunc credens unacum ipſo errorem eſſe extinctum, opus non abſolvit. Poſtea vero cum viri fide digni Jonam certiorem reddidiſſent, ſupereſſe non nullos Claudii Diſcipulos, eumque præter errorem contra imagines etiam Arianiſmum ab inferis revocaſſe, & de illa doctrina libros

Sæculum IX. A. C. 842.

scripsisse in tabulario Domus Episcopalis depositos, hac ex causa & hortatu piorum virorum excitatus opus suum absolvit, illudque, Ludovico Imperatore interea defuncto, Regi Carolo ejusdem filio, in cujus Ditione vivebat, inscripsit.

Huic operi in tres libros diviso inserta sunt, quæ ex Apologia Claudii contra Theodemirum extraxerat, & specialim singula refutata. Jonas viam tenet a Dungalio tritam & eadem ferme argumenta affert. Asserit, imagines solummodo ad rerum memoriam & doctrinam nostram esse servandas, nullum vero iis cultum exhibendum. At nihilominus prohibet illos tanquam Idololatras (*) haberi, qui coram imaginibus in honorem Sanctorum preces peragunt eo quod Fidem S. Trinitatis confiteantur. Jonas obiit anno octingentesimo quadragesimo tertio, postquam Sedem Aurelianensem tenuisset annis viginti duobus. Successit defuncto Agius.

Lib. 1. p. 649 Mabil. præf. tom. 5. act. n. 36. Coint. an. 843. n. 39.

§. VIII.

Ebbo in Sedem Remensem restituitur.

Narr. Cler. Rem. to. 2. Duchêne p. 341. Flod. lib. II. c. 20.

Ludovico Pio fatis functo Lotharius filius ejus primogenitus, Rex & Imperator

(*) Doctrina illis Protestantibus salubris & necessaria, qui Catholicos Idololatriæ accusare non erubescunt.

rator ex Italia Wormatiam venit. Cum ibi moraretur, Ebbo Archiepiscopus Remensis ex Monasterio S. Benedicti ad Ligerim, ubi captivus detentus fuerat, egreditur, & cum Bosone illius loci Abbate Lotharium adit, qui eum publico decreto Ingelhemii, vigesima quarta Junii, Indictione tertia, Regni Lotharii anno primo ab obitu Patris sui, nempe anno octingentesimo quadragesimo dato Sedi suæ restituit. In eo dicitur, Ebbonem supplicantibus ejus Ecclesiæ Fidelibus & Episcopis ita judicantibus reduci. Et omnino Episcopi viginti subscripsere, inter quos fama magis celebres sunt Drogo Metensis, cui ob Dignitatem Archicapellani primus locus competebat. Deinde leguntur nomina quatuor Archiepiscoporum Otgari Moguntini, Hettonis Trevirensis, Amaluini Vesuntini, Audacis Centronensis †, Baduradi Episcopi Paderbornensis, Josephi Ebroicensis & Abbatis Fontanellensis. Episcopi plerique erant Itali & aliqui Galli, qui Lotharii partibus favebant. Hujus igitur Decreti auctoritate nixus Ebbo in Sedem suam solemni ritu a quatuor Suffraganeorum suorum Rothado Suessionensi, Simeone Laodunensi, Erpuino Silvanectensi, & Lupo Catalaunensi, restitui voluit, nam ceteri Suffraganei quinque non aderant,

Sæculum IX. A. C. 842.

† Tarentasiani.

Conc. Suess. II. Act. 5.

Sæculum IX. A. C. 842.

rant, quod nempe, ut a plerisque creditum, a partibus Regis Caroli starent.

Cum Ebbo in literis, quibus Sedi suæ renunciaverat, promisisset, se nunquam rediturum, jam reditum suum defendere conatus est edita apologia, in qua dicebat, non potuisse se canonice deponi ex virtute illius abdicationis suæ, cui vi compulsus, omnibus Bonis suis spoliatus, captivus & morbo debilitatus subscripsisset. In ea nullum se crimen nominasse, ob quod deponi mereretur, nec gregem suum in ejus depositionem consensisse. Tandem septem annorum carcerem, quem sustinuisset, satis asperam pœnitentiam fuisse ad expianda peccata, quæ secreto fuisset confessus. Inde concludebat, quod ad Sedem suam etiamnum vacantem legitime redire potuerit. An solide & bona fide scripta sit hæc apologia prudentis Lectoris judicio relinquo.

Sup. Lib. XLVII. § 48. tom. 7. Spicil. p. 175

In ultima divisione, quam Ludovicus Pius filiis suis præscripserat, pro utriusque Regni Lotharii & Caroli termino Mosa amnis positus fuerat. Verum Lotharius, cum esset natu maximus, omnia sub uno imperio conjungere cupiens non solum Mosa, sed etiam Sequana superatis usque ad Ligerim exercitum duxit. Et tunc quidem, ut diximus, Ebbo ad Ecclesiam Remensem rediit, eamque

anno

anno integro obtinuit, quo temporis spatio aliquot Clericos ordinavit; deinde autem Rege Carolo restauratis viribus Belgium repetente Remis ultimo valedicere coactus ad Lotharium Imperatorem confugit. Sæculum IX. A. C. 842.

Exinde Ebbo ad Sedem suam unquam redeundi spe abjecta recepit Cathedram Episcopalem Hildesheimensem in Saxonia, sibi a Ludovico Rege concessam, Episcopis & Papa consentientibus, ibique usque ad annum octingentesimum quinquagesimum primum, quo obiit, munere Episcopali functus est. Ad conversionem Paganorum incumbebat, & sæpe S. Anscharium Archiepiscopum Hamburgensem in suis ærumnis, quibus in Missione Suecica premebatur, excitabat & confirmabat.

§. IX.

Pugna ad Fonteniacum.

Ludovicus Rex ab Imperatore parente suo in ultima divisione sola Bavaria contentus esse jussus, copiis suis Caroli vires contra Lotharium auxit, & hostilibus fratrum agminibus ad Antissiodorensem Civitatem sub finem Junii anno octingentesimo quadragesimo primo in conspectu stantibus Ludovicus & Carolus varias pacis conditiones Lothario obtulerunt; quas cum omnes rejiceret, tandem *Nithard. lib. 2. in fin.*

Sæculum IX. A. C. 842.

tandem in Festo S. Joannis denunciari jubent, nisi eas reciperet, altera luce hora secunda ambos ad Dei Judicium (id est ad armorum discrimen) provocaturos. Ergo illa die, Sabbato, vigesima quinta Junii prope Fonteniacum pugnatur, & Lotharii copiæ penitus profligantur. Duo Reges in ipso victoriæ campo deliberarunt an fugientium ex acie tergis instarent, statueruntque, fratribus & populo Christiano parcere, cum sperarent, Deo suæ causæ manifeste favente, & accepta clade, Lotharium justa suadentibus aures daturum.

Lib. 3. init.

Diem Dominicam celebrarunt in eodem loco, & Missa finita cæsos in acie amicos hostesve sepelire & saucios curare cœperunt. Miserunt quoque qui fugientibus Regum nomine veniam offerrent, si bona fide ad officium redire vellent. Reges postea populusque Episcopos consulunt, quid sibi faciendum, tot Christianorum necem dolentibus. Tum Episcopi, qui exercitus secuti fuerant, conveniunt, & omnibus pensatis pronunciant, solius Justitiæ amore pugnatum fuisse, quod Divini Oraculi judicium declarasset. Itaque illos omnes, qui aliquid ad hoc bellum vel consilio vel opera contulissent, innoxios esse, quod eorum ministerio Deus ad voluntatem suam implendam usus fuisset. Quemlibet

libet vero, cui conscientia objiceret, quod iracundia, odio, ambitione aut aliquo alio pravo affectu rem egisset, oportere secreto confiteri, ut pro gravitate peccati sui a Sacerdote judicaretur. Jejunium vero universale triduanum indixerunt, tum ut peccata sua voluntaria vel subreptitia, aut fratrum suorum occisorum expiarent, tum ut Divinum auxilium in futurum etiam tempus sibi pararent. Hoc jejunium lubenti animo servatum ab omnibus. Sæculum IX. A.C. 842.

§. X.

S. Aldricus pulsus & restitutus.

Inter alias turbas, quæ Ludovici pii obitum secutæ sunt, eodem anno octingentesimo quadragesimo seditio contra Regem Carolum in Provincia Cenomanensi, ad ipsius Ditionem pertinente, commota recensetur. Aldrico Episcopo Cenomanensi semper Carolo Regi, cujus juventutem ne unquam destitueret a Ludovico parente ipsius rogatus fuerat, fidem servante, Sigismundus Abbas ad S. Calasium rebellibus junctus est, ut sententiæ a Ludovico Imperatore ante biennium latæ, qua istud Monasterium Episcopi Jurisdictioni subjiciebatur, effectum eluderet. Ausi sunt rebelles ab Aldrico postulare, ut sibi fidem juraret, promittentes, se ea conditione ipsius Dignita-

Gest. S. Aldr. c. 52. 57. tom. 3. Baluz. p. 140. 145.

Sæculum IX. A. C. 842.

gnitatem defensuros, & non nihil adjecturos potentiæ. Verum Regi Carolo in extremis adhærentem eodem anno, Pontificatus sui octavo e Sede sua ejecerunt. Domus Episcopalis a seditiosis direpta, equi numero octoginta, & pecorum variorum corpora ducenta abacta, annona, quam hospitibus & pauperibus alendis comportari jusserat, avecta, hospitia septem ab Aldrico ædificata, funditus eversa. Aliæ ædes relictæ sunt imperfectæ, nempe Ecclesia Cathedralis, etsi eam jam anno octingentesimo trigesimo sexto solemni ritu dedicasset, claustra etiam Canonicorum, & quinque Monasteria. Non omnia illo tempore hospitia ad solos pauperes suscipiendos erant destinata; sed eodem nomine vocabantur omnes ædes, in quas peregrini suscipiebantur. Et unam ejusmodi Domum Aldricus Episcopus quoque condiderat, in qua advenientes Episcopi, Comites, Abbates diversabantur; imo huic hospitio juncta quoque erat Ecclesia.

Sup. Lib. XLVII. §. 52.

Gest. c. 44. p. 107.

Aldricus Episcopus rebus omnibus exutus sequebatur Carolum Regem, qui hoc primo anno Cenomanenses ad officium compellere frustra conatus est; quippe majora alibi gerenda erant. At anno sequente octingentesimo quadragesimo primo, Lothario ad Fonteniacum devi-

devicto, ipse in illam Regionem copias duxit, Episcopum in Ecclesiam Cenomanensem restituit, eique Monasterium S. Calasii sententia solemni ritu pronunciata reddidit. Sæculum IX. A. C. 842.

§. XI.

Fratres Regnum dividunt.

Anno sequente octingentesimo quadragesimo secundo duo Reges Ludovicus & Carolus amicitia conjunctissimi venerunt Aquisgranum Imperii Francorum Caput. Hanc civitatem Lotharius prœlio victus petierat, & inde perrexerat in Saxoniam; ubi ut jacturam militum repararet, rebus propemodum desperatis, Stilingis, numerosissimo Saxonum populo, potestatem fecerat, ut eligerent, an antiquis suis legibus, vel illis recentioribus, quas a Francis acceperant, vivere vellent. Ita populus ille, data sibi libertate usus, ad Idololatriam reversus est. Agros quoque Lotharius & fundos latissimos Herioldo Danorum Duci concessit, Christianos & Ecclesias Dominationi Gentilium subjiciens. *Nith. lib. 4. init. Ann. Bert. 481.*

Itaque duo Lotharii Fratres, cum Aquisgrani versarentur, pensare cœperunt, quid de Provinciis a Lothario derelictis facerent, & visum est piissimis Principibus ad consilium adhibendos esse Episcopos & Presbyteros, qui non pauci numero

Sæculum IX. A. C. 842.

mero Reges sequebantur, eorumque sententiam, tanquam Dei voluntatem esse recipiendam. Episcopi omnia Lotharii Acta ab exordio Regni ad examen vocant. Recensent, ab ipso Ludovicum Parentem olim Regno pulsum, populum Christianum sæpius insatiabili cupiditate effeciisse perjurum, sæpius fidem datam Patri fratribusque violasse, sæpius post obitum patris fratres hæreditate privare, & opprimere voluisse, tandem causam fuisse, quod innumera homicidia, adulteria, incendia in tota Ecclesia fuerint perpetrata. Sed nec Lotharium Rempublicam gubernandi scientia præditum, nec in indole ipsius quodquam bonæ voluntatis vestigium apparere. Ergo omnibus visum, ipsum justo omnipotentis Dei judicio prælio victum, & postquam ex magna Regni parte fugisset, hanc a Deo fratribus ipso melioribus fuisse traditam. Non prius tamen permiserunt Episcopi, ut possessionem caperent, quam ambos Reges percontati fuissent coram omni populo, an in Regno administrando exemplum Lotharii fratris, vel Dei Voluntatem sequi vellent. Regibus respondentibus, velle se, in quantum Deus illis & nosse & posse concederet, secundum ipsius voluntatem tam se ipsos quam suos gubernare & regere, dixerunt Episcopi: *Nos igitur Auctoritate Divina, ut*

ut hoc Regnum suscipiatis, & secundum Dei Voluntatem illud regatis, monemus, hortamur atque præcipimus. Sæculum IX. A.C. 842.

Reges fratres deinde duodecim ex suis viros nominarunt, qui Regnum a Lothario tacite abdicatum in partes dividerent. Inter duodecim arbitros fuit Nithardus, qui illius temporis historiam scripsit. Is Regibus sanguinis propinquitate junctus Angilberti Comitis, deinde Abbatis ad Centulenses seu S. Richarium, & Berthæ, ex Carolo Magno genitæ, filius constanter juveni Regi Carolo adhæserat; sed tandem innumeris turbis, quibus Francia agitabatur, fatigatus ad dictum Monasterium Centulense se recepit, quod post Abbatem numero septimum, Ludovicum nomine, gubernare cœpit. Ecce vero, paucorum dierum Abbas Nithardus fuit, nam cum coactus fuisset contra Normannos arma arripere, in conflictu cecidit.

Sup. Lib. XLIV. §. 53

Chro. Cent. c. 9. & c. 10. to. 4. Spicil. p. 493. 500. 501.

§. XII.

Bernardi Archiepiscopi Viennensis obitus.

Bernardus Archiepiscopus Viennensis Lothario addictus eodem anno 842. e vita excessit. Is nobili genere natus & juvenis a parentibus ad nuptias propemodum compulsus consentiente postea uxore ad Monasterium Ambroniacense

Boll. 23. Jan. to. 2. p. 544. Mabill. to. 6. Act. p. 561. Coint. ann. 842. 1.

Sæculum IX. A. C. 842.

cense in Bugia, a se fundatum, confugit, ubi postquam aliquamdiu Monachus omnibus eximiæ humilitatis exemplum præbens, vixisset, Abbas eligitur. Triennio exinde elapso scilicet anno octingentesimo decimo eligitur Archiepiscopus Viennensis; quam autem Dignitatem non prius, quam a Summo Pontifice districtum accessisset præceptum, accepavit. Hanc Ecclesiam zelo vere Episcopali annis triginta duobus rexit, atque sub finem vitæ suæ fundavit Monasterium Romanense, quo sæpe secedere solebat, in eoque locum sepulturæ sibi delegit. Obiit annos natus sexaginta quatuor in Dominica vigesima tertia Januarii, qua die in illa Diœcesi inter Sanctos colitur. Succesſorem habuit Agilmarum antea S. Claudii Abbatem, qui Sedem Viennensem annis octodecim tenuit.

§. XIII.

Normanni in Francia.

Interim Normanni, fratribus totius Regni vires bello civili consumentibus, favente occasione usi oras Franciæ, quas Oceanus alluit, infestantes, prædas impune agebant. Normanni, id est viri a Septentrione advecti, generatim dicebantur Barbari Gentiles, qui ex Dania, Norwegia & vicinis regionibus veniebant.

Tunc

Tunc vero Piratæ prope innumeri parva navigia remis velisque instructa ubicunque poterant appellentes, res captivosque abstrahebant. Anno octingentesimo quadragesimo primo, Indictione quarta, duodecima Maji ad illam oram appulsi, ubi Sequana undas in mare evolvit, civitatem Rothomagensem, & Monasterium S. Audoeni extra mœnia positum, diripiunt. Ubi Rothomago recesserunt, Monasterium Jumagense incenderunt, Fontanellenses autem dato pretio perniciem averterunt. Post triduum venerunt Monachi S. Dionysii, qui datis viginti sex libris captivos sexaginta octo redemerunt. Ultima die Maji Normanni spoliatis Ecclesiis & oppidis Sequanæ adjacentibus gravi pecunia onusti ad suas triremes redierunt.

Sæculum IX. A. C. 843.

Chro. Fontenel. Duchesn. to. 2. p. 387. Chr. Norm. ibid. p. 524.

Anno octingentesimo quadragesimo tertio mense Junio ejusdem gentis piratæ, actis a mari in Ligerim fluvium navigiis, Nanetum invadunt, cumque nemo esset, qui civitatem defenderet, muros superant. Episcopus illius Diœcesis nomine Guihardus confugit ad Ecclesiam principem SS. Petro & Paulo sacram, cum omnibus Clericis suis, & Monachis Antrensibus ex vicina Ligeris Insula, qui in urbem se recipientes Ecclesiæ suæ thesaurum plane magnum intulerant. Maxima præterea populi multitudo non

Ann. Bert. 843. fragm. ibid. p. 386.

Sæculum IX. A. C. 843.

ex proximis modo oppidis, sed etiam ex remotis civitatibus ad celebrandum Festum S. Joannis Baptistæ confluxerat. Cum igitur hostes urbem cepissent, iisque repellendis plebs inermis impar esset, omnes in hac Ecclesia se includunt, spe alia abjecta cæli misericordiam implorantes. Normanni disjectis portis, & fenestris irrumpunt furiosi, & imbellem populum trucidant, paucis servatis, quos navibus suis impositos, quasi justo bello capta mancipia venumdederunt. Episcopus in Ecclesia, Presbyteri quoque, & Clerici interfecti, & Monachi in ipso altari mactati. Conspiciebantur parvuli ab uberibus maternis pendentes & lactis loco sanguinem sugentes. Templum Dei cædibus repletum. Tandem comportata præda Normanni lembos repetunt, abstracta ingenti multitudine omnis conditionis, ætatis, & utriusque sexus captivorum, quos deinde Christiani multo auro e dira servitute liberarunt.

In Festo S. Petri iidem Grassatores in Insulam Antrensem delati Monasterium suis incolis vacuum destruunt & incendunt. Prædonibus dilapsis Episcopi Guihardi corpus ad Monasterium S. Sergii prope Andegavum translatum; ipse vero vigesima quinta Junii inter Martyres colitur. Susan Episcopus Venetien-

Boll. 25. Jun.

sis

sis Ecclesiam Nanetensem tot cædibus pollutam ritu Ecclesiastico reconciliavit. Sæculum IX. A.C. 843.

§. XIV.

Saraceni in Italia.

Eodem tempore, quo Normanni ab Oceano, Mauri seu Saraceni a mari mediterraneo Imperii Francorum littora infestabant. Anno octingentesimo quadragesimo secundo, adverso Rhodano advecti prope Arelatem e navibus descendunt, omnia diripiunt impune, navesque opimis prædis onustas in mare impellunt. In Italia dum Lotharius Imperator ultra Alpes contra fratres bellum movet, Radelgisus & Siconulfus de Ducatu Beneventano rixantur, cumque Radelgisus Saracenos ex Africa, & Siconulfus ex Hispania ad ferendum auxilium advocasset, & hi & illi in potestatem redactis compluribus civitatibus plurimos captivos avexerunt. Ut haberet, unde conductis ex Hispania Saracenis stipendia daret Siconulfus ad montem Cassinum venit anno septimo Abbatis Bassatii, reparatæ salutis octingentesimo quadragesimo tertio, & thesauros prope omnes, quos Reges Francorum Pipinus, Carolomannus, Carolus Magnus & Ludovicus pius eo congesserant, abstulit. Ut primo venit, Cruces complures, cali-

Ann. Bert. 842. Nith. lib. 4. sub fin. Erchamp. ign. Casin. Chron. lib. 1. c. 25.

c. 26.

Sæculum IX. A. C. 843.

ces, patenas, coronas, aliaque vasa centum triginta libras auri exæquantia cum multis aliis Ecclesiæ ornamentis abstulit, promisitque se in compensationem mille solidos Siculi ponderis redditurum. Ut secundo venit Siconulfus, trecentas sexaginta quinque libras argenti, solidorum aureorum millia quatuordecim & complura vasa argentea avexit. Tertio post elapsum spatium octo mensium res ex argento fabricatas quingentis libris æstimatas exegit. Inde vix decem menses effluxerant; iterum adest quarto, & effracto Monasterii vestiario solidorum millia quatuordecim rapit, quæ ipsius nomine se reddituros esse Leo Episcopus & duo alii Dynastæ jurejurando pollicii sunt; quod cum deinde præstare nequirent, fundum possidendum Monasterio tradiderunt. Quinto & sexto irrumpens quatuor solidorum millia asportavit, & tandem septimo coronam auream Smaragdis distinctam a parente suo donatam, & tribus solidorum millibus æstimatam, adimi jussit. Inde pronum est conjicere, quantæ fuerint hujus Monasterii divitiæ.

§. XV.

Gregorii IV. obitus. Sergius II. Papa.

Anast. Gregorius quartus ineunte anno sequen-

quente octingentesimo quadragesimo quarto ad superos evolavit. Multas Romæ Ecclesias reparavit & pretiose ornavit. In Ecclesiam S. Mariæ trans Tiberim Congregationem Monachorum immisit, qui Officium Divinum diu noctuque peragerent. In usum Reipublicæ reparavit aquæductum, qui *forma Sabbatina* dicebatur, atque in Palatio Lateranensi plura ædificia, Successoribus suis admodum commoda, præter cætera balneum, & habitaculum idoneum, ubi post matutinos acquiescere possent, construxit. Sæculum IX. A. C. 844.

Quinquies ordinavit mensibus Martio & Decembri, consecravitque per diversa loca Episcopos centum octoginta quinque. Tandem undecima Januarii anno octingentesimo quadragesimo quarto moritur, & in Basilica S. Petri sepelitur, postquam annos sexdecim Ecclesiam rexisset. (*) Vacavit Sedes diebus quindecim, tumque Die Dominica, vigesima septima Januarii Archipresbyter Sergius *Sup. Lib. XLVII. §. 11.*

(*) Scripsit Gregorius IV. plures Epistolas, quæ extant in Actis Conciliorum. In prima, ad universos Episcopos directa, de Romani Pontificis potestate differit in hunc modum: *Quæ* (Ecclesia Romana) *sic vices suas aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem sint vocatæ solicitudinis, non in plenitudinem potestatis.*

Sæculum IX. A. C. 844.

Papa ordinatur. Is patria Romanus, alterius Sergii filius, patre orbatus, cum necdum pueritiam fuisset egressus, magna cura a matre educatus est. Cum vero duodennis etiam matrem amisisset, Leo tertius Papa, qui Sergii adolescentis nobilissimum genus, & elegantissimum ingenium non nesciebat, ad se vocatum, habuit carissimum, & Scholæ Cantorum, in Musica & liberalibus literis erudiendum tradidit, & quia puerorum nullus Sergii solertiam æquabat, eum Ecclesiæ Romanæ Acolythum constituit. Stephanus Leonis Successor Sergium sibi Subdiaconum ordinavit. Paulo post Paschalis successit, a quo vita eruditione moribusque adornatus Tituli S. Silvestri Presbyter consecratur. Tandem Archipresbyter a Gregorio IV. cum ille obiisset, & Optimatibus populoque ad eligendum Papam congregatis, ab aliis alii ad Summum Pontificatum promovendi nominarentur, audito Sergii nomine, confestim omnes exclamare, Sergium Archipresbyterum, virum de Ecclesia optime meritum, dignum esse, qui in Cathedra Petri collocaretur.

Ergo omnibus consentientibus, ut Sergius eligeretur, quidam Romanæ Ecclesiæ Diaconus, nomine Joannes, coacta plebis stupidæ & rebellis manu portas Palatii Patriarchalis Lateranensis perfodit,

Sæculum IX. A. C. 844.

fodit, & cum armatis irrumpit. Primo quidem impetu attoniti, qui in Palatio erant, trepidabant, mox autem plebs illa temeraria mutata vice perterrita, Joanne Diacono prodito, dilapsa est. Quamprimum de hoc tumultu ad Optimates Romanos relatum, pars pedibus, pars equis vecta, approperant, apud Ecclesiam S. Martini congregantur, Sergium honorifice, & innumerabili populi multitudine comitante in Palatium Lateranense deducunt, Hymnos & carmina Ecclesiastica decantant. Ita Sergius solemni ritu electus. Eadem die tanta vis nivium nubes effuderunt, ut Urbs omnibus candidata videretur, quod multi dicebant gaudii & claritatis esse indicium. At Joannem Diaconum Urbis Romanæ Principes ex Laterano turpiter ejectum in arctissimum carcerem detrudi præceperunt, atque honore Diaconatus privari ex Episcoporum sententia. Alii ensibus membratim dilaniandum, & interimendum clamabant; sed tantam crudelitatem Sergius Papa prohibuit, qui maxima omnium ordinum lætitia in possessionem Sacræ Sedis immissus est. (*)

§. XVI.

(*) In Palatio hæc leguntur: *Mutavit nomen Sergius II. cum creatus est Pontifex, cum antea*

Sæculum IX. A.C. 844.

§. XVI.

Ludovicus junior Romæ.

Ann. Bert. 844. Luitpr. vit. Pont.

Lotharius Imperator audita Sergii non electione modo, sed etiam consecratione, quin sibi res tanta communicata fuisset, subiratus misso in Italiam Ludovico filio suo natu majore, comitante patruo suo Drogone Episcopo Metensi, vetuit, ne imposterum sine suo permissu, & Legatis suis non præsentibus, Papa ordinaretur, sed mos sub regno parentis sui & avi, peculiariter ut in Electione Gregorii IV. introductus erat, servaretur, & jam tunc Ludovicum filium Regem Italiæ appellavit. Præcepit etiam, ut magna caterva Episcoporum, Abbatum & Comitum proficiscentem sequeretur; quorum adventum Sergius Papa cum cognovisset, omnes Magistratus in occursum juvenis Regis ad ferme novem ab urbe millia misit, & cum ad unum miliarii spatium appropinquasset, omnes mili-

antea OS PORCI diceretur, ad evitandam nominis turpitudinem, juxta Polonum, Simonettam, & alios recentiores. Ex antiquis nemo concordat; unde ab Anastasio non recedendum, qui etiam ante adeptum Pontificatum appellat Sergium. Sergius quidem III. fuit, qui primus nomen mutavit ob reverentiam Principis Apostolorum, cum antea diceretur Petrus.

militiæ scholas cum suis Rectoribus laudes nobilissimo Rege dignas canentes. Græci quoque cum Romanis mixti Imperatorem patrem laudabant. Tandem etiam Papa Cruces & Signa, quibus Imperatores aut Reges suscipere mos erat, obviam ferri jussit, unde Rex juvenis alacris factus & valde lætatus dicitur. Ita cum omnibus suis ad Basilicam S. Petri procedentem die Dominica post Pentecostem octava Junii anno octingentesimo quadragesimo quarto Papa cum omnibus Clericis in gradibus Ecclesiæ expectabat; ipse superatis gradibus Pontificem amplexus est, ejusque dexteram tenens atrium interius ingressus pervenit ad Ecclesiæ portam, quæ erat argentea. Papa tam istam quam ceteras omnes januas claudi jussit, dixitque ad Regem: *Si sincera voluntate pro Salute Reipublicæ & Ecclesiæ huc adveniſti, has mea jussione januas ingredere, sin aliter non permittam, ut tibi aperiantur.* Respondit Rex, se pravo animo minime advenisse. Tum patefactis januis intrant omnes, cantantibus Clericis, *Benedictus qui venit in nomine Domini!* additis aliis canticis in laudem Regis. Coram Confessione Beati Petri cuncti in terram proni se demittunt, & oratione a Pontifice pronunciata discedunt.

Sæculum IX. A.C. 844.

Inte-

Sæculum IX. A. C. 844.

Interim Regis exercitus castris circa mœnia civitatis positis agros, segetes, prata vastabat. Forsan in pœnam, quod Romani Imperatore inconsulto Papam ordinassent. Hoc negotium diebus postea sequentibus in urbe agitatum Episcopis, qui cum Rege advenerant, congregatis, ut quæstionem ad examen vocarent, an valida esset Sergii ordinatio. Numerantur viginti tres, omnes Itali, excepto Drogone, qui ipsis præerat. Deinde nomina duorum Archiepiscoporum Gregorii Ravennatensis & Angilberti Mediolanensis leguntur, ubi etiam nomina septem Comitum occurrunt. Postquam aliquamdiu tenuisset contentio, Sergii Ordinatio confirmata est, postularuntque Franci a Pontifice, ut omnes Primates Romani Ludovico Regi fidem jurarent. Verum obsistente Pontifice & dicente, se solummodo consentire, ut hoc Sacramentum Lothario Imperatori præstaretur, demum in Ecclesia Optimates Romani Francique fidelitatem Lothario Augusto solemni ritu promiserunt. Itaque Lotharius Imperator Urbis Supremus Dominus agnoscebatur.

Ann. Bert. 844.

Causa, propter quam Ludovicus Rex venerat, finita, Papa eum Die Dominica decima quinta Junii in Basilica S. Petri coronavit, sacro oleo unxit, coronam & ensem tradidit, & Regem Longobardorum

rum proclamavit. Ceterum hæc simplex cæremonia fuit, & Anastasius Bibliothecarius Ecclesiæ Romanæ, qui hæc refert, tam ante quam post hanc coronationem Ludovicum Regem appellat. In illa Romana profectione Sergius II. Drogonem Episcopum Metensem, Imperatoris patruum, datis litteris Vicarium Apostolicum in omnibus Provinciis trans Alpes cum Jurisdictione in omnes Metropolitas & potestate Synodos generales convocandi, a quibus tamen ad Papam appellare liceret, constituit.

Sæculum IX. A. C. 844.

to. 7. Conc. 1799.

Post hæc Ebbo Archiepiscopus Remensis, & Bartholomæus Archiepiscopus Narbonensis, honore Sacerdotum privati & ab Ecclesia expulsi, quod in Ludovicum pium conjurassent, cum Ludovico Rege juvene & Drogone Episcopo Romam profecti a Sergio Papa postulabant, ut eos Ecclesiæ restituere dignaretur, & Pallium denuo concederet. Sed rejecta est eorum postulatio, & nihil aliud quam communionem inter Laicos impetrarunt. (*) Legimus, Berarium jam illo anno in Cathedra Narbonensi sedisse;

Anast.

Flod. II. hist. c. 40. Coint. an. 844. n. 37.

(*) De Ebbone superius numero VIII. dictum, quod accepto Episcopatu Hildesheimensi, quoad vixerit, munere Sacerdotali functus fuerit; ex hoc autem loco dispicitur, illud contra fas, & Summo Pontifice invito factum.

Sæculum IX. A. C. 844.

disse; Sedes vero Remensis demum anno sequente vacare desiit.

Anast. Ann. Bert. 844.

Ludovico Rege Romæ adhucdum commorante Siconulfus Beneventanorum Princeps cum magno exercitu Romam venit, seque Regi submisit. Unde totus illius Ducatus populus sub Siconulfi signis conjunctus facilius Saracenos expulit.

§. XVII.

Lupus Abbas Ferrariensis.

Sub idem tempus Rex Carolus obsidebat Tolosam occupatam a Guilielmo Bernardi filio, qui pro Pipino Caroli nepote Pipini Regis Aquitaniæ filio pugnabat. Cum vero Pipini agmina Franciæ copias subsidiarias, quæ ad Regem Tolosanæ civitatis mœnia oppugnantem iter faciebant, obvias habuissent, structis insidiis in imparatas irruunt, & fœde mulctant. Duces vel occisi vel capti, ceteri pedibus salutem quæsierunt. Inter mortuos recensebantur duo Principes Regio sanguine orti, scilicet Hugo Presbyter Abbas ad S. Quintinum & ad S. Bertinum, Caroli Magni filius, Regum patruus, & Riboto Abbas Centulensis Caroli Magni ex filia nepos. Ebroinus autem Episcopus Pictaviensis & Archicapellanus Regis Caroli, Ragenarius Episcopus Ambianensis, & Lupus Abbas Fer-

Ferrarienſis in hoc prœlio capti. Inde liquet, Presbyteros, imo & Epiſcopos Optimatum laicorum more militaſſe. Ad id ipſum vero teneri ob poſſeſſionem Feudorum ſuorum credebantur. Sæculum IX. A. C. 844. *Ann. Fuld.* 844.

Ceterum hoc prœlium anno octingenteſimo quadrageſimo quarto ſeptima die Junii initum eſt.

Lupus haud pridem regimen Monaſterii Ferrarienſis in Vaſtinienſi territorio alio nomine *Bethlehem* dicti & S. Petro dedicati in ſe ſuſceperat, qui ex primis illius Regionis ſtirpibus natus creditur. A puero literarum ſtudiis imbutus vitam Monaſticam in illa Domo ſub Aldrici Abbatis, poſtea Archiepiſcopi Senonenſis, diſciplina amplexus eſt. Diaconum ordinatum Aldricus miſit in Germaniam, ut Fuldæ, Abbate Rabano Magiſtro, tunc celeberrimo in Doctrina ſacra & profana perficeretur. Lupus ſcientiarum laude brevi inclaruit & plurimos ſibi amicos conciliavit, cumque tam virtutis ejus quam doctrinæ maxima eſſet exiſtimatio, in conſpectum Ludovici pii & Judithæ Imperatricis perductus, perbenigne exceptus eſt. Anno ſequente ab Imperatrice vocatus ad Regiam cum amicis augurabatur, brevi ſe ad altiores dignitatum, & honorum gradus evehendum. Nec in totum ſpes fefellit, nam Ludovico Imperatore fatis *Balux. not. in Lup. init.* *Epiſt. 6.*

Sæculum IX. A. C. 844.

functo, Odonem Abbatem Ferrariensem magnorum criminum reatu inquinatum iratus Rex Carolus Abbatia privavit, eamque Lupo jam Presbytero contulit. Is igitur a Monachis vigesima secunda Novembris anno octingentesimo quadragesimo quarto electus, & die sequente a Rege confirmatus. In illa vero Congregatione Monachi septuaginta duo numerabantur.

ep. 21. & 42.

§. XVIII.

Capitulare Tolosanum.

to. 7. Conc. p. 1780. to. 2. Capit. p. 22.

Rex Carolus Tolosa ad deditionem compulsa Libellos Presbyterorum illius Regionis contra suos Episcopos accepit, & dum convocari posset Concilium, interim remedium attulit edito Capitulari, novem articulos complectente, & mense Junio anno octingentesimo quadragesimo quarto dato. In articulo primo Rex prohibet Episcopis, ne ægre ferant, quod Presbyteri ad se rem detulissent. Tum illa mensura frumenti, vini, & aliarum rerum, quæ præscribitur, contenti esse jubentur. Presbyteri has præstationes ultra quinque milliaria deferre non teneantur, eosque Episcoporum famuli propterea vexare non audeant. Episcopi Diœceses suas circumeuntes diversentur in tali loco, quo Parochi vicini commode convenire possint.

c. 1.

c. 2.

Paro-

Parochus loci & quatuor alii ceteris viciniores annonam in hoc articulo præscriptam ad sustentandum Episcopum præstent, nec ministris eorum plura exigere, aut ullum in hospitis domo damnum inferre liceat. Semel tantum in anno Episcopi circumeant; saltem supradictas expensas a Presbyteris semel tantum percipiant. Item tunc tantum percipiant, si non per alium, sed per se Diœcesim lustrent. Sæculum IX. A. C. 844. c. 5.

Episcopi Parochias Presbyterorum sordidi lucri amore non dividant, sed si necessitas populi exegerit, & ubi Parochias diviserint, etiam Parochorum expensas sibi præstandas dividant. Duas non plures Synodos & tempore auctoritate Canonum constituto celebrent. Magni momenti ideo est istud Capitulare, quia inde cognoscimus, quantum Episcoporum aliqui potestate sua abusi fuerint. c. 6. c. 7. c. 9.

§. XIX.

Concilium Theodonis Villæ.

Mense Octobri ejusdem anni octingentesimi quadragesimi quarti tres fratres Lotharius, Ludovicus & Carolus prope Theodonis Villam congregati in loco, qui tunc judicium, & hodie lingua vulgari *Jeust* dicitur, amicitiam fraternam inter se custodire & fovere, atque

Sæculum IX. A. C. 844.

pacem Ecclesiæ sua discordia perturbatam aut pulsam reducere promiserunt. Postquam in hunc finem convenissent Episcopi, Drogone præside, sex articulos condiderunt, qui Conciliorum Decretis adnumerantur. In his articulis Episcopi Reges hortantur, ut imposterum concordiam & pacem inter se sanctissime colant, ut Ecclesiis ob præteritas rixas vacantibus Episcopos dent, aut ejectos restituant, ut Monasteriis virorum vel fœminarum, quæ potestati sæcularium commissa erant, Abbates vel Abbatissas reddant, aut saltem Episcopos ad curam eorum gerendam compellant, atque ita sarta tecta serventur, Officium Divinum celebretur, Monachi alantur, ut edito Decreto generali prohibeant, ne quis Bona usurpet Ecclesiastica, ea tamen conditione, ut inde necessaria Reipublicæ subsidia præbeantur, & tandem ut pristinam Ecclesiæ auctoritatem conservent.

Conc. to. 7. p. 1800. Capit. to. 2. p. 7.

§. 1.

§. 3.

§. 5.

Reges hos articulos coram se recitatos approbarunt, eosque se servaturos polliciti sunt.

§. XX.

Concilium Vernense.

to 7. p. 1805. Cap. Conc. 2 p. 13. Ap. Lup. 195.

Post bimestre mense Decembri anno octingentesimo quadragesimo quarto, jubente Rege Carolo, Vernelii ad Orsiam

siam amnem ab Episcopis Regni ipsius Concilium celebratum, cui Ebroinus Archicapellanus Episcopus Pictaviensis præfuit, etsi Venilo Archiepiscopus Senonensis præsens esset. Canones duodecim conditi. Atque in Præfatione monetur Rex, ut pacem cum fratribus habeat. Deinde rogatur ut Dei timorem, Officii Divini Decorem & Justitiam rebus omnibus præferat, in omnes Provincias missis Legatis scelerum patratores & Apostolicæ Disciplinæ contemptores coerceat. Præcipitur, ut in omnibus Diœcesibus Monasteria visitentur, in quibus vel paupertas vel alia miseria disciplinam relaxaverat. Monachi vagi vel Apostatæ & Clerici desertores secundum Canones puniantur. Qui Sanctimonialibus sacrilegis nuptiis miscentur, excommunicentur, nisi publicam pœnitentiam subeant. Raptores sæcularis potestatis rigore terreantur. *Si quæ Sanctimoniales*, inquit Concilium, *causa Religionis, ut eis falso videtur, vel virilem habitum sumunt, vel crines attondent, quia ignorantia magis quam studio eas errare putamus, admonendas castigandasque decernimus.*

Sæculum IX. A. C. 844.

Quoniam quosdam Episcoporum ab expeditionis militaris labore valetudo eximit, aliis autem vestra indulgentia quietem largitur (hic sermo dirigitur ad Re-

Sæculum IX. A. C. 844.

ges) *præcavendum est, ne per eorum absentiam res militaris dispendium patiatur. Itaque si vestra consentit Sublimitas, milites suos alicui ex Ducibus vestris committant, cujus auctoritate in officio contineantur.*

Sup. Lib. XLV. §. 26.

Ex hoc Canone dispicimus, illa Caroli Magni Decreta non amplius fuisse observata, quibus Viri Ecclesiastici eximebantur a præcepto per se militandi, quo propter possessionem fundorum suorum fuissent obligati. Et paulo ante

N. XVII.

Ebroinum Episcopum, nunc hujus Concilii Præsidem, & Lupum Abbatem Ferrariensem, qui hos Canones concinnavit,

Lup. ep. 41. Sup. n. 17.

eodem anno in pugna ad Inculismam dimicantes vidimus. Postea Episcopi Regem rogarunt, ne Ecclesiam Remensem adhuc longiore tempore Episcopo privatam vellet, atque ut Ordinationem Agii Episcopi Aurelianensis ab Archiepiscopo Venilone anno superiore consentientibus Suffraganeis, testimonium bonæ famæ dantibus Clericis, iisdemque & toto populo idipsum postulantibus factam, confirmaret.

Drogo Episcopus Metensis, & Lotharii Imperatoris Archicapellanus, in Regno Caroli secundum litteras Romæ a Sergio Papa impetratas tanquam Vicarius Apostolicus recipi postulabat. Res autem hæc, quæ sine exemplo erat, periculo

riculo non carere videbatur, si Episco- Sæculum IX.
pus unius Regni in alterius Regni Epis- A. C. 844.
copos, ipsis non consentientibus, jurisdictionem haberet; cumque S. Gregorius Concilium
S. Virgilio Arelatensi Vicariam potesta- Vernense.
tem in Gallias dedisset, eam solummodo ad Regnum Childeberti, Rege Episcopisque consentientibus, fuisse extensam. Nihilominus Episcopi Concilii Vernensis postulatione Drogonis & meritis & genere venerabilis (erat enim Regum patruus) aperte non rejecta dicebant; hac super re non audere se quidquam definire, sed expectandum, donec Conventus, quam fieri posset, maximus Galliæ Germaniæque cogeretur, ut Metropolitarum aliorumque Episcoporum exquireretur sententia, *cui refragari*, inquiunt, *nec volumus nec possumus. Nobis tamen, si tale Officium committi potest, & non alia quam quæ prætenditur latet causa, illi potissimum convenire videtur, qui & communione Sacerdotii nobis, & Excellentiæ vestræ* (nempe Regi) *propinquitatis privilegio sociatur.*

§. XXI.

Miracula falsa Divione.

Eodem anno octingentesimo quadrage- *Amol. epist. ap. Agob. to. 2. p. 136.*
simo quarto Alberico Episcopo Lingonensi vita functo Theobaldus succesferat. Haud multo post tempore duo

Sæculum IX A.C. 844.

Monachi, ut videri volebant, ad Ecclesiam S. Benigni Divione ossa afferunt, quæ alicujus Sancti esse dicebant, seque ea Romæ vel in quodam alio loco Italiæ accepisse, e memoria autem excidisse, quod esset Sancti nomen. Non credidit Episcopus, recipiendas esse has Reliquias non satis probatas, nec etiam temnendas; nam dicebant Monachi, se testimonia omni exceptione majora allaturos. Alter eorum abiit, ut ea quæreret, & non rediit. Alterum, qui Divione remanserat, mors abstulit. Interim his ossibus, quæ Sacræ Reliquiæ credebantur, secus sepulchrum S. Benigni honorifice depositis, nescio a quo in vulgus spargitur, patrari in eo loco miracula, fœminasque in ea Ecclesia derepente corruere & torqueri, quin in earum corporibus ullum deprehendi posset vestigium verberum, quibus se fuisse affectas dicebant. Cum rei insolitæ rumor de populo plurimos excitasset, ingens multitudo hominum ad miracula, ut putabantur, conspicienda confluxit, crevitque numerus mulierum usque ad trecentas quadragintasve, quæ ita ut retulimus in terram dejectæ ex Ecclesia exire nolebant dicentes, se, si inde domum digrederentur, iterum prodigiose vapulaturas & ut ad eandem Ecclesiam reverterentur, compellendas esse. Erant vero non

puellæ

puellæ modo, sed etiam nuptæ omnis ætatis & conditionis. Nec jam solum miracula in Ecclesia S. Benigni, sed etiam in aliis Ecclesiis civitatis Divionensis & in Diœcesi, speciatim in Ecclesia S. Andochi in oppido, quod vulgo *Saulieu* dicitur, fiebant. Quare cum Theobaldo Episcopo videretur, de hoc portento Amolonem Metropolitam suum Archiepiscopum Lugdunensem consulendum esse, Chorepiscopum suum, uno postquam illæ Reliquiæ allatæ fuissent anno, ad eum misit. Sæculum IX. A. C. 844.

Amolon respondit in hunc modum: *Existimamus, ossa hæc, quæ sine argumento nescio cujus Sancti esse dicuntur, e Sanctuario auferenda & extra Ecclesiam in atrio subter murum, vel potius in circuitu alterius Ecclesiæ, secreto & paucis testibus, in loco tamen mundo & decenti deponenda esse, ut aliquis iis honor habeatur, quia Reliquiæ esse dicuntur, & quia id certo non constat, rudi populo superstitionis materia subtrahatur.* Refert deinde exemplum S. Martini, & Gelasii Papæ auctoritatem; tum vero prosequitur: *Si probari possit, quod duo tresve homines in Ecclesia S. Benigni sanitatem recuperaverint, agendæ sunt Deo Gratiæ, nec ideo tamen cetera omnia, quæ vel in hac Ecclesia vel in aliis contingunt, sunt recipienda. Cum enim dictæ Reliquiæ allatæ fuerint* p. 138. vit. per Severe. c. 8. Sup. lib. XVI. §. 31. Miracula falsa.

Sæculum IX. A. C. 844.

rint tempore Quadrageſimæ, quando promultorum locorum conſuetudine populus frequentius accedit Eccleſias, facile fieri potuit, quod fidelibus ad honorem exhibendum fuerint oſtenſæ, & in Paſchali celebritate hoc more jam introducto improbi aliqui ex perdita hominum fæce, captantes occaſionem ſuæ indigentiæ conſulendi, vel ſatiandi avaritiam, ſimplices fallere, atque hos caſus, hæc verbera, extaſes, curationes comminiſci cœperint, cujus rei antea nunquam viſæ inſolentia cum ſimplicem populum pavidum reddidiſſet & timidum, movente commiſeratione bis fœminis morbum fingentibus eleemoſynas adeo largiter contulerint, ut noluerint diſcedere, quin etiam ſe abire ne quidem poſſe ſimulaverint.

Res enim eſt inaudita, in Eccleſiis aut ad ſepulchra Martyrum hujus generis patrata fuiſſe miracula, non quæ ægrotos ſanant, ſed bene valentibus ſanitatem & rationem adimunt. Quale autem illud ſit, quod innocentes puellæ, per interceſſionem Sanctorum ab ægritudine liberatæ, iterum vexentur, ſi ad parentes ſuos redire velint? aut illud, quod Sancti mulieres infirmas ſanent, ut eas a viris ſuis avellant, & caſtigent, ſi domum redire voluerint? quis non videat, impoſtorum hominum has eſſe vel Dæmonum illuſiones? non nullos reperire eſt in locis Sanctis, qui ſordide

Sæculum IX. A. C. 844.

Amolonis Responsum de Miraculis.

de avari, cum populum erudire deberent, & abusus reprimere, eosdem laudant, & adulantur pietati illorum, qui superstitioni serviunt, ut oblationibus potiantur, ditescant, & mensas epulis onerent. Hæc non tam constanter affirmarem, nisi hujus rei exempla luculenta in hac Diœcesi, sedente Antecessore meo, vidissem. Recordor enim homines ad ipsum venisse, qui se a Dæmone obsessos dicebant; at verberibus haud perfunctorie castigati fatebantur dolum, quem paupertate adacti tentassent. Scimus etiam, Uticæ in Provincia Narbonensi apud Sepulchrum S. Firmini conspectos fuisse ad hunc ferme modum, prout in vestris Ecclesiis contingere dicitis, in terram cadentes & membris captos, ita ut in eorum corpore ustionis notæ sulphureæ apparerent. Unde populus expavescens eleemosynas abunde afferebat. At vero Bartholomæus Episcopus Narbonensis, qui etiamnum luce fruitur, postquam Prædecessoris nostri consilium expetiisset, concursum populi prohibuit, & oblata a Fidelibus in alios pauperes distribui jussit. Et ecce, brevi postea tam ibi quam in aliis locis cessarunt præstigiæ, & populorum quies rediit.

Itaque omnino tibi suademus, ut zelo & severitate Sacerdotali armatus hac profanatione & Diaboli invento Ecclesiam purges. Hortare Fideles, ut hunc tumultum

Sæculum IX. A. C. 844.

tum ad salutem tam corporis quam animæ inutilem, imo noxium, devitent; quilibet ab omni strepitu remotus maneat in sua parochia, ubi Baptismum & cetera Sacramenta accipit, ubi Missæ interest, ubi ægrotans visitatur, & mortuus sepelitur, quo decimas & primitias conferre tenetur, ubi liberi ipsius baptizantur, ubi verbum Dei audit. Illo, inquam, illo vota sua & oblationes deferat, ibi ad Deum oret, & suffragia Sanctorum expetat, ibi eleemosynas eroget, & hospitalem se exhibeat. Nam hæc est devotio legitima & Ecclesiastica, hic est antiquus Fidelium mos; ita omnis novitas rejicitur, & Constitutio Apostolica conservatur. Si quis infirmatur, secundum Apostoli præceptum vocet Presbyteros, qui super ipsum orent, & sacro oleo in nomine Domini ungant. (*)

Postquam hac doctrina Fideles tuos muniveris, speramus, per Dei Misericordiam subtractione eleemosynarum finem fore morbos simulandi, si illi, qui ægrotare putantur, alia via quærere alimenta compulsi fuerint. Si qui contumaciter errorem defenderint, ex iis veritas acerrimis corporis cruciatibus exprimenda. Quippe

(*) Ex hoc loco Historiæ Ecclesiasticæ convincuntur Protestantes, quod antiquissimum Ecclesiæ morem perperam rejecerint.

Sæculum IX. A. C. 844.

De Dæmoniacis.

pe etiamsi illud verum esset, quod recedentes ex illis Ecclesiis illico nova vexatio corriperet, id evidenter Dæmonis opera contingeret, & ideo maxime exeundum esset ex illis Ecclesiis, atque inimici terriculamenta contemnenda, Dei autem auxilium in Ecclesia propria implorandum. Non enim nobis licet suspicari, quod invidia laborent Sancti, qui cum Deo in Cælo regnant, nec credendum, ipsos offendi, si ægroti sibi primum oblati deinde ad aliorum Sanctorum sepulchra deducantur.

Si tamen populus Ecclesias quorumdam Sanctorum adire velit, habet Festa solemnia, in quibus id facere pro antiquo Ecclesiæ more potest. Scilicet in Diebus Rogationum, & quotiescunque Preces publicæ ob varias necessitates in Quadragesima & in Festis Sanctorum indicuntur; quamvis etiam aliis diebus Loca Sacra adire liceat, si modo id in silentio, sincera pietate, sine ostentatione & strepitu fiat. Quis vero non videat, quantum a sana ratione alienum sit, opera devotionis legitima & præcepta negligere, aut fastidire, & econtra ad talia curiose converti, quæ facere nemo suadet, imo quæ prohibentur. Tandem si quos revera a maligno Spiritu vexatos invenire esset, eos secundum consuetudinem Ecclesiæ domi suæ & a propriis Parochis sanari oporteret, aut saltem modeste a propinquis suis vel amicis ad Martyrum

Sæculum IX. A.C. 844.

tyrum Ecclesias sine turbis & sine tumultu deduci. Hactenus Responsum Archiepiscopi Lugdunensis ad Episcopum Lingonensem datum, cui junxit epistolam Agobardi Antecessoris sui ad Bartholomæum Narbonensem. Hæc inter opera Agobardi extat.

to. 1. p. 197.

§. XXII.

Ecclesia Constantinopolitana.

vit. c. ult. In Oriente pace Ecclesiæ reddita corpus S. Theodori Studitæ anno post obitum ejus decimo octavo, nempe hoc anno Salutis octingentesimo quadragesimo quarto, cura Methodii Patriarchæ, & jussu Theodoræ Imperatricis Constantinopolim translatum. Inventum est vero integrum, & deinde in Monasterio Studiensi prope sanctum Platonem Theodori patruum & Magistrum sepultum.

Sup. lib. XLII. §. 8.

Orat. th. c. 2. n. 14. ap. Boll. to. 7. p. 320. Haud diu post Methodius Imperatrici suggessit, rem fore tanto Imperio probrosam, si Patriarchæ Nicephori, a Leone Armeno e Sede sua pulsi, & in exilio pro fide mortui memoria exoleret. Ergo ipse Methodius illius corpus ex Ecclesia S. Theodori eductum Constantinopolim ad Ecclesiam Apostolorum defert, ibique suis manibus illa ipsa, qua in exilium missus fuerat die, nempe decima tertia Martii, anno post restitutum imaginum cultum quarto, id est, Salutis octin-

Sup. lib. XLVI. §. 15.

octingenteſimo quadrageſimo ſexto ſe- Sæculum IX.
pelit. A. C. 844.

Interim nova diſſenſione animorum Conſtantinopoli exorta parum abfuit, ut Catholici inter ſe ipſos dividerentur, nam ardentiſſimo zelo impulſus Methodius Patriarcha, cum Iconoclaſtarum Hæreſim penitus extinctam cuperet, permultos Epiſcopos ordinabat, ut vera Doctrina in omnibus Eccleſiis prædicaretur; imo ipſe beneficium accipere videbatur ab iis, quibus ordinationem conferebat, ſi modo, Catholicos eſſe, ſibi prius liqueret. Sed fuere, qui Dignitatem Epiſcopalem conſequendi cupiditate accenſi S. Virum deciperent; nam omnibus, ſi orthodoxos ſe affirmaſſent, fidem habebat. Qua facilitate offenſi non nulli Epiſcopi & Abbates Patriarcham vituperabant, quod vitam illorum quibus manus imponeret, præſertim, ſi pœnitentiam publicam ſubiiſſent, non mature examinaret. Dicebant, illos imprimis rejiciendos, quos Iconoclaſtæ ordinaſſent; econtra Patriarcha in gradu ſuo conſervandos arbitrabatur, quod eorum error magis ad Diſciplinam, quam ad Doctrinam fidei ſpectaſſet. S. Joannicius ejusdem ac Patriarcha erat opinionis, & data ad eum epiſtola ſuaſit, ut illos ſolum excluderet, qui Doctrinam perverſam manifeſte tenerent. Cum deinde

vit. S. Joannic. c. 31. ap. Sur. 4. Nov.

Impe-

Sæculum IX, A. C. 844.

Imperator quoque in hanc sententiam concessisset, non nulli Episcopi & Abbates proprii judicii tenaces depositi & relegati; quod schisma non parum auxit.

§. XXIII.

S. Joannicius.

vit. ap. Sur. 4. Nov. to. 6. p. 67.

Sanctus Joannicius a longo jam tempore Anachoreta virtute & miraculis clarissimus natus erat Marycati Bithyniæ oppido prope Apolloniadem anno Leonis Constantini Copronymi filii decimo quarto seu anno reparatæ Salutis septingentesimo sexagesimo quinto parentibus valde egenis, unde puero porcorum custodia commissa. Grandior militiæ nomen dedit, & in Hæresim Iconoclastarum lapsus est; sed Constantino & Irene imperantibus hortatu Anachoretæ cujusdam ad Ecclesiam Catholicam reversus, sex annos exegit jejunans, orans, & in nuda humo cubans, quin tamen ideo militiæ valediceret, nam Imperatoris Prætorianis adscriptus erat. Tandem post expeditionem in Bulgaros susceptam, in qua eximia dederat fortitudinis specimina, mundum reliquit, litteras legere didicit, & exinde in tribus Monasteriis diversatus est. Postea solus ad montem Olympum in Bithynia se recepit, ubi postquam aliquot annos sine tecto transegisset,

gisset, in horrida caverna solo pane & aqua victitans, se inclusit. Sæculum IX. A. C. 844.

Duodecim annis procul ab omni hominum societate exactis Joannicius Monasterium *Eristi* ingressus habitum induit. Prophetiæ Dono præditus erat, & multa ab eo patrata miracula referuntur. Fama Viri Sancti ad extremas Imperii provincias pervasit, ejusdemque maxima existimatio & auctoritas Catholicos tempore, quo Leo Armenus & Michael Balbus Ecclesiam persecuti sunt, plurimum juvit. Pace Ecclesiæ reddita, & Theodora Imperatrice ad clavum Imperii sedente, Joannicius in ultima senectute in parva cella Monasterii montis Antidis se abdidit.

§. XXIV.

Fœdera cum Bulgaris.

Theodora Imperatrix fœderibus, cum Bogori Bulgarorum Principe prius initis, confirmatis sororem ei reddidit suam, captivam, petiitque vicissim reddi sibi Monachum, cognomento *Cupharam*, diu ante a Bulgaris captum. Bogoris vero soror, in Regia Constantinopolitana captiva, Religionem Christianam sincere amplexa, litteras quoque didicerat, atque veræ fidei, in qua solide fuerat erudita, nihil præferebat. In patriam ergo reversa fratrem hortari non

Post. Theo. l. 4. n. 13. 14.

Sæculum IX. A. C. 844.

ceſſabat, ut ad Fidem converteretur, cujus prima principia jam ante ex Theodori Monachi ſermonibus hauſerat. Et ipſe quidem antiquæ ſuperſtitioni ad extremum inhæſit; at jacta fidei ſemina ſuo tempore fructus dederunt.

§. XXV.

Paulicianorum Seditio.

Petr. Sic. p. 70.

Sup. lib. XLVI. §. 54.

Imperatrix, rebus cum Bulgaris ita compoſitis, ad convertendos Paulicianos ſeu Manichæos Armeniæ, vel certe delendos, ſi flecti non poſſent, animum adjecit. Illos Imperator Michael Curopalata, ut diximus, perſecutus fuerat, & Leo Armenus ejus Succeſſor multos, nimirum illos omnes, qui in Provinciis Romano Imperio ſubditis degebant, necari juſſerat. Hæc mandata usque in Armeniam ad Thomam Epiſcopum Neocæſarienſem & Paracondatium Exarchum pervenerant, qui Sectæ illius principes interfecerunt. Poſtea vero Exarchus a quibusdam Sergii Diſcipulis, quos græce *Aſtates*, id eſt, vagabundos nominabant, inſidiis capitur & jugulatur, dum interim ab aliis, quos *Cynochorites*, id eſt, Canes rurales vocabant, Metropolita perimitur. Peracto facinore Vagabundi Melitinam in Armenia effugiunt, ubi indulgente Saracenorum Præfecto in loco *Argous* dicto ſedem figunt, & Va-

v. Cedr. to. 1. p. 433.

gabundi

gabundi esse desinunt. Illo deinde fœdissimæ Sectæ homines undique confluentes ex Romanorum terris prædas agere cœperunt. Sed breve fuit Sergii regnum, quippe postquam aliquot annis in illo loco *Argous* moratus fuisset, a quodam, cui nomen Zanion, trucidatus est. Is in monte inventum, asseres secantem, rapta de manibus ejus securi, capite truncavit, sub annum octingentesimum trigesimum quintum, Theophilo Imperatore. Nam Sergius post regnum Irenis annis triginta quatuor turpis Sectæ caput fuerat, cujus Discipuli, arcanorum conscii Michael, Canacoris, Joannes invisibilis, Theodotus, Basilius, Zosimus pluresque alii extitere. Sublato Sergio nullum Præpositum eligere placuit, sed æquali potestate Senatores esse; sibique subjectos habebant Presbyteros, quos Notarios appellabant. Sæculum IX. A. C. 844. *Petr. p. 60. p. 72.*

Hic Paulicianorum erat status, cum Theodora homines extirpare aggressa est. (*) Missis tribus militum Præfectis centum ferme millia obscenam Sectam profitentium interfecit. Hi suspendio, alii capitis obtruncatione, alii in mare præcipitati perierunt. Eorum Bona Im-

(*) Malum consilium, & adversum Doctrinæ SS. Patrum! qui non hominem, sed peccatum, sed Hæresim destructam volebant.

Sæculum IX. A. C. 844.

peratoris patrimonio adscripta. Inter copiarum Duces, quibus Theodotus Strategus, seu Orientis Præfectus, imperabat, erat quidam Carbeas, Secta Paulicianus. Is dolore insaniens, quod parentem in patibulo expirantem vidisset, cum socciis quinque Melitinam fugit, ubi a Musulmannorum Emiro benigne exceptus, inde postea Califam adiit, qui venientem hospitem inter maximi honoris signa amplexus est. Fœdere deinde inito Carbeas ejusque satellites adversus Romanos cum Musulmannis militare coperunt amplissima spe sortis optimæ concepta, nam permulti sub signa Paulicianorum convolaverant. Imo urbem *Argous*, pristinam sedem suam, repararunt, Amaram a fundamentis extruxerunt, & numero ad eos confugientium semper crescente novam civitatem, ab ipsis Tephricam, seu Tibricam dictam, condiderunt. In ea Carbeas Sedem fixit, ut a Musulmannorum Melitinensium jugo & ceterorum hominum strepitu esset remotior. Itaque cum inter Armeniam & Romanorum Ditiones medius habitaret, eo libentius subditi imperata facebant, & ad diripiendos captivos manus commodabant. Illos vero, qui captivitatis impatientes obedire pertinaciter recusabant, Musulmannis venumdabat. Romani Imperii fines, quam Pontum Euxinum

xinum spectant, vastabat, cunctos Sectæ suæ inter Romanos vita periclitantes recipiebat, homines vitæ licentia & ultima scelera ausos ad armorum societatem invitabat. Ita tantum abfuit, ut Theodora Imperatrix hanc pestem extingueret, ut multo magis incrementa addiderit, & Musulmannis auxilia contra Romanos præbuerit. Sæculum IX. A. C. 845.

§. XXVI.

Martyrum Amoriensium ultima.

Hucusque Christiani in excidio civitatis Amoriensis capti in obscuro carcere contabescere cogebantur. Tandem post septem annorum spatium Boidizius civitatis proditor, qui circumcisionem pati & ad Mahometem deficere non exhorruerat, die quinta Martii, anno octingentesimo quadragesimo quinto, sub noctem ad januam ergastuli venit, Constantinum Aetio Patricio a secretis vocat, & vocem per foramen immittens, attendere jubet, ne quis explorator loquentes audiret. Tum dixit: *Ego quidem Patricium, Dominum tuum, semper amavi; cum ergo certissime sciam, statutum esse Califæ, eum crastina interficere, nisi flecti se sinat, & cum ipso in oratione communicet, accurri celeriter, ut consilium vobis aperirem, quo si usi fueritis, salvi esse potestis. Permove Dominum* *Sup.* §. 2. *Acta c.* 3. *Boll. to.* 6. *p.* 464.

Sæculum IX. A. C. 845.

tuum, ut obediat, tu ipse morem gere, & conserva in corde tuo Christianorum fidem. Ignoscet vobis Deus, quod extrema necessitate coacti feceritis.

Constantinus signum Crucis contra os apostatæ formans dixit: *Deus te percutiet, tentator! apage, minister iniquitatis!* his in angulum carceris regreditur, & Patricio percontanti, quis eum vocasset, & quam ob causam, respondit, latam esse in ipsum sententiam mortis, quam crastina subiret, presso, quod proditor dederat, consilio, ne forte Domino suo scandalum crearet & lapsus causa esset. Patricius Deo gratias agens dixit: *Fiat voluntas Domini.* Postquam autem testamentum suum, Constantino scribente, dictasset, ceteros vinctos, ut sibi Laudes Divinas tota nocte decantanti voces jungerent, invitavit & facile obtinuit. Mane adest Prætor, a Califa missus, cum viris armatis & instrumentis mortis ad terrorem incutiendum aptis. Mox januam carceris aperiri, & præcipuos captivorum exire jubet. Egreditur illi numero quadraginta duo, rursusque janua clauditur. Quærit deinde Delegatus: *Quot annis vos in carcere fuisse existimatis? hoc ipse novisti*, inquiunt, *numeravimus jam annum septimum.* Et ille: *Ex mora longa Califarum tam defuncti quam Successoris ejus clementiam æsti-*

Martyres Amorienses.

mare

mare debetis. Nempe Califæ *Mutazem* ante trium annnorum ſpatium mortuo ipſius filius *Vatec* vel *Aluatec* ſucceſſerat. Sæculum IX. A. C. 845.

Cum poſtea ſermones miſcuiſſent, & Chriſtiani Muſulmannis objeciſſent, quod Deum verum non cognoſcerent, quia Deum ſuum non tantum Boni ſed etiam Mali auctorem facerent, (*) dixit a Califa miſſus: *Ergo hodie non communicabitis in oratione cum Califa? ideo enim miſit me, & ſcio, complures ex vobis id ipſum cupere. Sed poſtquam contumaces illi conſpexerint iſtos honoribus claros, dolebunt, quod ſorte proſpera ſua imprudentia exciderint.* Chriſtiani uno ore reſponderunt: *Rogamus ſolum Deum verum, ut non tantum Califæ, ſed etiam tibi & univerſæ Arabum nationi mentem indat, ab-*

(*) Quæri hic poteſt, an dicendum, quod Mahometani in verum Deum credant, eumque adorent. Certe putant, & profitentur, ſe credere in illum Deum, qui Mundum condidit, Moyſi Legem dedit, & JEſum Chriſtum, ſaltem ut purum hominem & Prophetam miſit. Sed Bonum ex integro & Malum ex quolibet defectu. Itaque e numero Infidelium Mahometani & Judæi neutiquam eximendi ſunt; non enim credunt in Deum verum, qui non credunt in JEſum Chriſtum, per quem Filium ſuum & Deum de Deo incarnatum Deus unus & trinus hominibus manifeſtari voluit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sæculum IX. A. C. 845.

jecto Mahometis errore, adorandi JEſum Chriſtum a Prophetis & Apoſtolis prædicatum. Abſit, ut lucem fugiamus & amplectamur tenebras! Prudenter penſate ea, quæ dicitis, inquit Delegatus, *ne pœnitentia ſera vos ſubeat; nam refractarios acerrima tormenta manent.* Reſponderunt Chriſtiani: *Deo animas noſtras commendamus, ſperamusque, nos ab eo usque ad ultimum ſpiritum accepturos gratiam, qua muniti nunquam Fidei renunciemus.* Rurſus Delegatus: *In die Judicii exprobrabitur vobis, quod crudeles veſtro auxilio deſtitueritis filios orphanos & uxores viduas, quas Califa potuiſſet, niſi obſtinacia veſtra obſiſteret, in hanc terram advocare. Imo ſatis temporis etiamnum ſupereſt, ſi vos adduci patiamini, ut Mahometem Prophetam colatis. Romani, vah dedecus! fœminæ imperium ferre poſſunt, quæ nunquam contra Dominos noſtros tueri vos valebit. De Bonis & rebus neceſſariis ne ſitis ſolliciti; unius anni cenſus ex Ægypto vobis & poſteris veſtris usque ad decimam generationem locupletandis ſufficiet.* Chriſtiani iterum uno ore: *Anathema Mahometi & omnibus, qui eum ut Prophetam colunt!*

Illico jubente judice corripiuntur Confeſſores a militibus & religatis in tergo manibus ad ripam fluvii, nempe Tigris, ubi Samarra Califæ Regia ſtabat, rapiun-

Sæculum IX. A. C. 845.

rapiuntur, innumera Muſulmannorum & Chriſtianorum multitudine ad ſpectaculum nunquam antea viſum confluente. Cum ad fluvium perveniſſent, Prætor, uno ex Martyribus ad ſe vocato, cui nomen Theodorus Craterus, ait: *Tu vero, qui inter Chriſtianos Sacerdos eras, qui tamen arma geſſiſti & homines occidiſti in Dignitatis tuæ probrum, cur modo Chriſtianus videri vis? an non utilius eſſet auxilium Mahometis Prophetæ invocare, cum nulla tibi in JEſu Chriſto, quem negaſti, ſpes ſuperſit? Imo hoc ipſum*, reſpondit Theodorus, *impellit ad ſanguinem pro ipſo fundendum, ut peccatorum meorum veniam merear. Si mancipium tuum fugitivum rediret, & pro te in necem rueret, an culpam priorem non ignoſceres? Hæc dicebam*, inquit Prætor, *ut ſaluti tuæ conſulerem. Sed illico fiet tibi, quod cupis.*

Muſulmanni Chriſtianos Martyrio afficiunt.

Jamque lictoribus Æthiopibus gladios expedientibus, ſeſeque ad feriendum comparantibus, Theodorus veritus, ne Patricius nimio dolore opprimeretur, ſi amicorum ſuorum ſanguinem fluere conſpiceret, ejus lateri admotus, inquit, *ſemper nos omnes, Domine, tam officii dignitate quam virtute ſuperaſti & anteceſſiſti; decet igitur, ut etiam primus coronam Martyrii accipias.* At Patricio Theodorum iſto honore privare nolen-

Sæculum IX. A. C. 845.

te, ille, commendans animam ſuam Deo, ad carnificem proxime acceſſit, ferrumque conſtanti animo recepit. Ceteri deinde omnes ſervato Dignitatis ſuæ ordine impavidi collum præbent, Prætore invictam virorum conſtantiam obſtupeſcente. Eccleſia quadraginta duos Martyres in die paſſionis ſuæ ſexta Martii honorat. Califa *Vatec* anno ſequente octingenteſimo quadrageſimo ſexto, Hegiræ ducenteſimo trigeſimo primo, poſtquam regnaſſet annis quinque & novem menſibus, naturæ debitum ſolvit. Ceterum immodicus Veneris uſus ei præmaturæ mortis cauſa fuit. Poeſi & Muſica delectabatur. Voce etiam eleganti ad cantandum a natura præditus erat. Fratrem ſuum *Jafar Abufadel* cognomento *Mutevaquel* Succeſſorem habuit.

Martyr. R. 6. *Mart.*

§. XXVII.

Normanni Pariſiis.

Ann. Bert. 844. 845. *Chr. Font.* *Duchesn. to.* 2. *p.* 388. *Mar. S. Germ. to.* 4. *Act. Ben. n.* 104.

Interim Normanni Franciam infeſtabant. Anno octingenteſimo quadrageſimo quarto adverſo Garumna Toloſam usque advecti impune vicina oppida omnia depopulati ſunt. Inde recedentes, cum Galæciam aliasque interiores Hiſpaniæ regiones invaſiſſent, a Saracenis ſtrenue depelluntur. Anno octingenteſimo quadrageſimo quinto, Indictione octava, menſe Martio navigiis viginti ſex in Sequanam

quanam invecti Duce Ragnerio Rothomagum appellunt, ubi Præfectorum illius provinciæ vel imbecillitate vel ignavia explorata descendunt, & divisis irrumpentes agminibus incolas cædunt, capiunt, pagos, Ecclesias, Monasteria diripiunt & incendunt. Usque Chalevannum prope S. Germanum vulgo *en Laye* progressis nunciatur, Regem Carolum in eos movere. Itaque Sequanam trajiciunt, & alteram ripam, copiis paucis, quæ ibi erant, in fugam actis, vastant. In vicinia Insula Christianos undecim a se captos erectis columnis laqueo perimunt. Item alios plures partim ex arboribus in campo, partim in ipsis domibus suspendunt. Tandem Parisios usque adverso flumine vela faciunt, & nemine obsistente urbem atque vicina Monasteria intrant. Sæculum IX. A. C. 845.

Monachi San-Germanenses in pratis S. Episcopi corpus e sepulchro eductum Combesivillam in Bria, sex Leucis ab urbe distantem pagum, tunc temporis Ditioni illius Monasterii subjectum transtulerunt. Hebertus quoque S. Genofevæ Abbas S. Virginis ossa Athim (vicus est quinque leucis ab urbe Parisiensi distans & Monasterio subditus) deferri jussit, atque inde Dravetum, ubi aliquanto tempore remansit. Plures aliæ Reliquiæ in loco tuto collocatæ.

Jam-

Sæculum IX. A. C. 845.

Jamque e tumbis ſuis etiam corpora S. Dionyſii & Sociorum ejus evocabantur, cum Rex Carolus præſens id prohibuit, cum animo conſtituiſſet, Monaſterium ſibi a parente ſuo tantopere commendatum paucis, quæ ſupererant, cohortibus ſtrenue defendere. Rege ibi commorante Normanni coactis, quantum lubuerat, prædis onuſti mittunt legatos, qui pacta pecunia pacem promitterent. Abhorrebat Rex probroſa fœdera; ſed Optimates, quorum non nulli a barbaris ſollicitati ad conſenſum fuerant, compulerunt prope invitum, ut daret, quantum illi poſtulabant. Ergo Ragnerio & Ducibus Normannorum præcipuis ad Monaſterium S. Dionyſii venientibus inter Francos & Prædones concluſum eſt, ut ſeptem millia librarum argenti acciperent, ipſis in vicem per deos ſuos & quidquid in gente illa ſacrum ſanctumque habebatur jurantibus, nunquam ſe in Ditiones Caroli, niſi ad auxilium ferendum advocarentur, redituros. Poſtquam funeſtæ cohortes receſſerunt, S. Germani corpus a Monachis illius Monaſterii rurſus relatum, & ab Ebroino Abbate in priſtinum ſepulchrum vigeſima quinta Julii, qua prima ejus Translatio celebrari ſolebat, repoſitum. Ebroinus hic erat Epiſcopus Pictavienſis, Regis Caroli Archicapellanus, cujus juſſu duo

Mona-

Monachi Miracula, quæ in hac translatione S. Germani edita credebantur, conscripserunt. Sæculum IX. A C. 845.

Normanni, relicta Sequana, oras & littora Oceani, inter alia Monasterium Sitivienſe, ſeu S. Bertini, diripuerunt & igni vastarunt. Ecce vero cum naves ſuas prædis opimis graves agunt in patriam, tanta corporis animique cœcitate capiuntur, ut pauciſſimi eorum ad ſuos pervenirent. Normannorum agmen aliud, quod anno ſuperiore vaſtitatem in Aquitaniam invexerat, hoc anno octingenteſimo quadrageſimo quinto Regionem Xantonenſem invadunt, Francorum copias prœlio vincunt, & ſedes ibi figunt.

§. XXVIII.

Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis.

Eodem anno octingenteſimo quadrageſimo quinto, menſe Aprili, jubente Carolo celebratum eſt Concilium Bellovaci, quo Epiſcopi decem ex duabus Provinciis Remenſi & Senonenſi convenerunt, videlicet Venilo Archiepiſcopis Senonenſis, Erchanradus Epiſcopus Pariſienſis, Immo Noviodunenſis, Rothadus Sueſſionenſis, Simeon Laodunenſis, Lupus Catalaunenſis, Ragenarius Ambianenſis, Elias Carnutenſis, Erpoinus Silvanectenſis, Avius ſeu Agius Aurelianenſis, *to. 7. Conc. p. 1811.*

Sæculum IX. A. C. 845.

sis, & Hincmarus, in eodem Concilio Archiepiscopus Remensis electus. Hanc Ecclesiam Ebbone deposito per annos decem vacantem primum Fulco Presbyter, & deinde Notho etiam Presbyter rexerant; nunc vero postquam Episcopi testimonium reddidissent de iis omnibus, quæ de Ebbonis Depositione viderant & audiverant, atque quid in ejusmodi casu faciendum ex Auctoritate Canonum retulissent, Hincmarus a Clericis, populo Remensi, & Provinciæ illius Episcopis, consentientibus Archiepiscopo Senonensi, Episcopo Parisiensi, & Abbate S. Dionysii Præpositis suis, applaudente sua Congregatione, & Rege Carolo approbante, ordinatus est.

Flod. III. c. 1.

Hincmar. opusc. 26. p. 303.

Erat Hincmarus de Gente Francorum plurimis Majorum ceris clarus Bernardi Comitis Tolosani propinquus. Necdum pueritiam egressus Monasterio S. Dionysii sub cura Hilduini Abbatis ad pietatem formandus & in liberalibus litteris erudiendus traditur; tunc autem tantum Canonicorum habitum, sicut plerique alii in illa Congregatione, in qua Disciplinæ rigor fuerat relaxatus, suscepit. Inde ob nobile genus & elegans ingenium evocatus ad Regiam Ludovici pii deducitur, & Principis familiæ adscribitur. Ibi juncta cum Abbate suo opera apud Imperatorem effecit, ut Disciplina Monastica

nastica in Monasterio S. Dionysii Auctoritate Episcoporum restitueretur; atque, illud Monasterium in Concilio Parisiensi anno octingentesimo vigesimo nono ab Aldrico Archiepiscopo Senonensi, & Ebbone Archiepiscopo Remensi cum suis Suffraganeis celebrato reformatum fuisse, ex epistolis Ludovici pii dispicimus. Sæculum IX. A. C. 845.

Hincmarus neminem prius quam se ipsum reformare aggressus, relicto Aulæ strepitu, & assumpto habitu Monastico, secundum totum Regulæ rigorem vitam composuit, & longo tempore in illa tranquillitate vixit, Episcopatum aliasve Dignitates nec sperans nec cupiens. Hilduinum deinde Abbatem, cum Imperatoris gratia excidisset, in exilium proficiscentem consentiente Episcopo suo, & fratribus Benedictionem impertientibus, secutus in Saxoniam, auctoritate sua, qua apud Imperatorem & Proceres valebat, usus est, ut ei reditum ab exilio & Monasteriorum suorum restitutionem impetraret. *Sup. lib. XVII. §. 23. to. 7. Conc. p. 1674.*

Cum Gregorius IV. in Franciam veniisset, Hilduinus nullum non movit lapidem, ut Hincmarum in partes Lotharii pertraheret, sed frustra; & postquam Ludovicus Imperator pristinam potestatem recuperavit, rursus Hincmarus Hilduino sinceram amicitiam opere ipso comprobavit. Exinde in Monasterio munere thesauro Præfecti seu Reliquiarum *Sup. lib. XLVII. §. 37.*

Custo-

Sæculum IX. A. C. 845.

custodis fungens quiete permansit. Sed ab Imperatore iterum ad Regiam vocatus obediit, & Episcoporum Synodis interfuit, inter alias Synodo Vernensi, quo eum Ludovicus S. Dionysii Abbas Hilduini Successor deduxit. Carolus vero Rex Hincmaro duas Abbatias, S. Virginis Compendii & S. Germari contulit, quas non nisi ab Episcopo suo & Abbate jussus recepit. Fundum quoque a Rege accepit, quem postea ad Episcopatum evectus S. Dionysii Xenodochio donavit.

Mabill. Diplom.

§. XXIX.

Concilium Bellovacense.

to. 7. Conc. p. 1812.

Concilium Bellovacense, in quo Hincmarus electus & ordinatus est Archiepiscopus Remensis, edidit octo Canones seu potius pacta inter Carolum & Hincmarum inita, quæ etiam ad alios Episcopos extenduntur, nam sermo jam ad plures jam ad unum dirigitur. In illis Articulis dicit Hincmarus: *Nihil species, quod mihi nocere possit, ob rem quamcunque præteritam, nisi imposterum contra Deum & te culpam admisero.* Hic articulus cautionis loco est propter præterita bella civilia. *Bona Ecclesiæ meæ tempore Regni tui ablata mihi restitues, litteras donationis concessas rescindes, & similes nemini unquam concedes.* Ecclesiam

siam meam nulla exactione illicita vexabis, sed in illo rerum statu, quo Patris & Avi tui tempore fuit, conservabis. Sæculum IX. A. C. 845.

Itaque ut promissa in his tribus articulis implerentur, Rex Carolus Ecclesiæ Remensi Epernacum, Julliacum, Cormiciacum & cetera omnia, quæ in diversos clientes tam Ecclesiasticos quam Laicos sparserat, restituit; id enim ipsius literæ prima die Octobris, anno Regni sui sexto, Indictione octava, scilicet, hoc anno octingentesimo quadragesimo quinto, datæ probant. In tribus posterioribus articulis Conventus Bellovacensis nomine omnium Episcoporum a Rege petitur, ut eos contra bonorum Ecclesiasticorum prædones tueatur, ut Ecclesiarum tabulas confirmet, & si vel Rex vel Episcopi his, quæ in articulis continentur, contraria egerint, remedium ex omnium consensu afferatur. Juravit Rex Carolus se hos octo articulos nunquam violaturum, & eadem privilegia ad cunctas Regni sui Ecclesias extensurum.

§. XXX.

Concilium Meldense.

Eodem anno, decima septima Junii, Episcopi trium Provinciarum Senonensis, Remensis, & Bituricensis, Meldis Concilium celebrarunt, Archiepiscopis Venilone, Hincmaro & Rodulfo præsi- *to. 7. Conc. p. 1813.*

Sæculum IX. A. C. 845.

dentibus. Collecti sunt quorumdam Conciliorum præcedentium Canones, quos nullus secutus fuerat effectus, nempe Theodonis Villæ, Lauriacensis seu Ligerienſis in territorio Andegavensi, Colonienſis prope Cenomanum (hæc duo posteriora anno octingentesimo quadragesimo tertio coacta) & Bellovacensis. Nunc adjectis quinquaginta aliis universim Canones octoginta numerantur. Canones Concilii Vernensis non sunt inserti, sed conqueruntur Patres, quod ad notitiam Regis & populi necdum pervenerint.

Articuli Meldis editi non tam Canones sunt, quam preces, quibus Rex abusus tollere rogatur. Queruntur Episcopi, quod Rex & Proceres, cum in domibus Episcopalibus diversantur, adducant fæminas, & nuptas, diuque ibi commorentur. Nempe Aula Regum erat quasi ambulans, & Princeps ferme semper in itinere constitutus. Item quod, quocunque Rex transiret, civitates ab exercitu expilarentur. Deinde statuuntur sequentia: Rex Episcopos ab officiis Ecclesiasticis, præsertim in Quadragesima & Adventu, non abstrahat. Episcopi vero bonas horas non perdant, sed prædicent, increpent, Confirmationem conferant, & in suis Civitatibus resideant, excepto illo tempore, quo Diœcesim suam visitant. Principes concedant licentiam celebran-

lebrandi bis in anno Concilia Provincia- Sæculum IX.
lia, quæ ob nullas negotiorum sæcula- A. C. 845.
rium turbas omitti debent. Episcopi ca-
veant, ne nova Doctrina & periculosa
præsertim in Monasteria irrepat, & qui-
libet habeat virum doctum, qui ad Pa- Canones
rochos erudiendos idoneus sit. Clerici Meldenses.
sub pœna Depositionis arma militaria non 37. 38.
contingant. Nullus deinceps Episcopus
supra Sacra juret. Ad Regis aures defe- *Sup. lib.*
ratur, Scotorum, id est, Hibernorum, *XXXVIII.*
Hospitia a piis hominibus illius nationis §. 58.
fundata, prope ad nihilum fuisse redacta,
in ea enim non modo advenas non susci-
pi, sed illos, qui ibi a pueris Deo servie-
runt, expelli, & ad stipem ostiatim quæ- 41.
rendam adigi. Rex Monasteria quibus-
dam privatis in allodium data restituat. 42.
Mittat in Regni Provincias Mandatarios,
qui res Ecclesiasticas inquirant, a se vel
parente suo quibusdam subreptitie in
proprietatem datas.

Chorepiscopi officiis Episcopo pro-
priis non fungantur. Inde liquet, eos in 44.
Francia Episcopos non fuisse juxta distin-
ctionem quam alibi adnotavi. Sacrum
Chrisma non nisi in Cœna Domini con- *Sup. l. X.*
secretur. Si quis Episcopus morbo im- § 16. 17.
peditus ea, quæ muneris sui sunt, imple- *Lib. XII.*
re non valeat, Archiepiscopus consen- §. 13.
tiente Episcopo provideat. Ea vero, *c.* 46.
quæ ad defensionem Reipublicæ spectant, 47.

Sæculum IX, A.C. 845.

Episcopus disponat consentiente Archiepiscopo. Presbyteri nullibi nisi in Ecclesiis fontem Baptismalem habentibus & tempore præscripto, quando aliud non exigit necessitas, baptismum conferant.

48.

Clerici, qui cum Dominis suis, inquiunt Patres, ad nostras Diœceses veniunt, non fungantur munere suo, nisi litteras commendatitias a suis Episcopis afferant; & si habeant, cujuslibet tamen Ecclesiæ consuetudines edoceantur. Si autem Optimatum aliquis Clericos ordinandos præsentet, admoneatur, eos ad Episcopos suos Diœcesanos, quibus subjiciuntur, esse remittendos, ubi ordinandi sunt,

51.

nisi litteras Dimissoriales habeant. Ex his dispicimus, hos Clericos Optimatum familiis adscriptos, Disciplinam Ecclesiasticam multum turbasse. Nullus ordinetur sine titulo, & qui cum titulo ordinatur, prius saltem uno anno inter Clericos Regulares, aut in civitate (nempe Episcopali) ministraverit, quo tam ejus Doctrina quam mores cognoscantur. Canonici juxta Constitutionem Ludovici Imperatoris Congregati vitam commu-

52.

nem degant. Rex Canonicos ad Regiam non vocet sine consensu Episcopi. Titulos Cardinales in urbibus & Suburbiis constitutos Episcopi secun-

58.

dum Canones conferant. Ergo etiamnum illa ætate omnes Ecclesiæ urbium

54.

Epi-

Episcopalium Tituli Cardinales dicebantur. Sæculum IX. A.C. 845.

Monachi Palatium sine Auctoritate Episcopi non adeant, nec iis Episcopi vel Abbates ad deferenda mandata vel ad gerendum officium villicationis sub specie obedientiæ utantur. Monachus de suo Monasterio Episcopo aut ipsius Vicario inconsulto non ejiciatur, sed Episcopus ei vitæ normam præscribat, ne, nemine juvante, pereat. Nempe juxta Regulam S. Benedicti Monachi contumaces expellebantur. Episcopus neminem excommunicet, nisi crimen sit manifestum, & sine consensu Archiepiscopi & Episcoporum Provincialium Anathema non pronunciet. Ergo adhucdum Anathema a simplici Excommunicatione distingueba-tur. Renovantur querelæ contra usurpationes Bonorum Ecclesiasticorum, & petitur, ut illi, qui Ecclesiæ Nonas & Decimas propter fundos, quos possident, pendere tenentur, excommunicentur, si non pendant, quo sarta tecta servari, & Clerici ali possint. Nempe, Laici qui agros ex concessione Ecclesiæ possidebant, duplici titulo adstringebantur, & primo Decimas Ecclesiasticas, deinde etiam nonam partem fructuum Ecclesiæ tanquam Domino suo directo dare tenebantur. Plures hic Canones contra mu-

57.

59.

Reg. 28. 36.

Sup. l. XIX. §. 9. 60. 61.

62.

Cang. Gloss. nona.

64. 65. 66. 67. 68. 69.

Sæculum IX. A. C. 845.

lierum raptores, adulteros, & Sanctimonialium illusores sequuntur.

71. Quilibet Episcopus habeat litteras Regias, quibus munitus a ministris Reipublicæ, si indiguerit, auxilium petere contra improbos possit.

72. Nemo in Ecclesiis quasi jure hæreditario sepeliatur, sed illi solum, quos Episcopus vel Parochus ob vitæ ipsorum Sanctitatem eo honore dignos judicaverit. Pro sepultura nulla exigatur pecunia, juxta auctoritatem S. Gregorii in epistola ad Januarium Calaritanum data. Leges & Canones contra Judæos referuntur, & præcipitur, ut observentur.

Lib. VIII. ind. 2. ep. 56. c. 73.

74. Viri potentes, & maxime potentes feminæ, in suis domibus fornicationes & omnis generis lasciviam non tolerent, sed suos familiares a Capellanis instrui & castigari jubeant. Nempe ea jam tunc erat Optimatum potentia, ut scelera in eorum domibus impune perpetrari possent.

75. Cum non nunquam Arcis Regiæ oratoria Laicis committerentur, monetur Rex, ne eos etiam decimas percipere permittat, sed Presbyteris ad sarta tecta, luminaria, & excipiendos hospites relinquantur.

76. Comites aut judices alii post quartam feriam cinerum Actus Judiciales non exerceant, & dies octo Paschæ feriæ sint.

78. Omnia Capitula Ecclesiastica a Domno Carolo Magno Imperatore & a Domno Ludovico pio Augu-

Augusto promulgata observentur. *Hæc autem constituimus*, inquiunt Episcopi, *non præjudicantes aut parvipendentes, quæ a Majoribus nostris forte severius propter rigorem Ecclesiasticæ Disciplinæ sunt præcepta; sed quicunque per Pontificalem auctoritatem & Regiam Majestatem promulgata & confirmata contempserit, si Ecclesiasticus sit, a Concilio a suo ordine amoveatur, si Sæcularis, sua Dignitate a Rege privetur & relegetur.* Hic duæ Potestates conjunguntur, quia Rex hæc omnia confirmaturus præsumitur. Id ipsum Episcopi postulant in conclusione. Dicunt se hos canones a Rege rogatos condidisse, & hortantur, ut illas constitutiones, quas apposita manu sua approbasset, quales erant Colonienses & Bellovacenses, ad effectum deduci curaret. Attamen Episcopi Concilii Meldensis, cum Canonum confirmationem obtinere non possent, eos in lucem edere distulerunt.

Sæculum IX. A.C. 845.

79.

80.

§. XXXI.

Normanni Hamburgi.

Normanni hoc eodem anno octingentesimo quadragesimo quinto Ludovici regnum invadunt. Ter in Frisia pugnatum. Et primo quidem prœlio victi in duobus aliis victores suos superarunt. Itaque sexcentis navibus in Albim,

Ann. Fuld. & Metens. 845. *Chr. Duch. to.* 2. *p.* 524.

Sæculum IX. A. C. 845.

Rorico Rege ipsorum Classem ducente, invecti, militibus ad Hamburgum expositis, tanto terrore accolas nil tale cogitantes implent, ut ne quidem agrestes saltem ad tumultuarium auxilium ferendum convocari potuerint. Comite absente S. Anschario Archiepiscopo animus erat a primo hostium impetu urbem defendere, dum validiores vires colliguntur. Sed videns, vim hostium urbem jam obsidentium repelli non posse, curam ad salvandas Reliquias convertit. Clerici sparguntur in diversa, ipse Archiepiscopus vix sine pallio barbarorum manus effugit. Dilabitur undique populus, multi capti, plerique trucidati. Barbari sub noctem Hamburgum perveniunt, ibique una die & duabus noctibus commorantes omnia diripiunt & igne vastant. Hoc incendio consumta est Ecclesia, quam S. Episcopus cura maxima ædificaverat, Monasterium quoque, & Bibliotheca, in qua inter ceteros erant libri eleganter descripti, a Ludovico pio illuc missi. Denique nemini de rebus suis quidquam superfuit, quam quod sub manu forte erat, & secum auferre potuerat. S. Anscharius, omnibus, quæ per annos complures sui Episcopatus collegerat, uno momento amissis, nullo impatientiæ motu turbari visus, sed tantum sæpius dicere auditus est, illa Jobi verba: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Archi-

vit. S. Ansch. n. 22. to. 6. Act. p. 89.

Archiepiſcopum in hunc modum cum ſuis Monachis errante, & cum ubique inſtaret periculum, Reliquias ex uno loco ad alium deferente, nunciatur in malorum cumulum, Ausbertum Epiſcopum, quem in Sueciam miſerat, fuiſſe ejectum. Nam aliqui de populo, clandeſtine conjurati, in ejus domum irrumpunt, ejusdem nepotem Nithardum truculenter necant, cuncta diripiunt, ipſum Epiſcopum ſociosque vinciunt, & ex Suecia probroſe expellunt. Hæc vero inſcio Rege plebs ſeditioſa auſa eſt. At ecce, Dei vindicta brevi omnes tantæ impietatis reos corripuit; nam alii morte, alii morbo, alii rerum omnium privatione pœnas dederunt, ita ut cuncti JEſu Chriſti potentiam mirarentur. Exinde Suecia annis ſeptem Presbyterum non habuit.

Sæculum IX. A. C. 845.

Ausbertus Epiſcopus.

Hamburgenſi Civitate expilata, nihil ultra proſpere ſucceſſit Normannis, & Saxonibus ſtrenue ſua defendentibus Rex Roricus ſeu Oricus, cum per nuncios comperiſſet, quantam cladem Normanni, Franciam ad Sequanam depopulati, accepiſſent, rerum ſuarum trepidus ad Ludovicum Regem Legatos mittit, qui pacem peterent, addentes, captivos ſe & quidquid de præda poſſent reddituros. Hi Legati Paderbornæ, ubi Rex Ludovicus in autumno hujus anni octingenteſi-

Ann. Fuld. Chr. Norm. Ann. Bertin.

Sæculum IX. A. C. 845.

mi quadrageſimi quinti Comitia Generalia agebat, adfuerunt. Sclavorum quoque & Bulgarorum advenere legati. Et Sclavorum quidem natio etiamnum Infidelis erat, ſed Duces & Tribuni quatuordecim cum ſuis vaſallis deſiderium aperuerant Chriſtiana Sacra ſuſcipiendi, quos Rex Ludovicus in octava Epiphaniæ eodem anno octingenteſimo quadrageſimo quinto baptizari juſſerat.

§. XXXII.

Capitulare Benedicti Diaconi.

Præf. Bened. Præf. Baluz. n. 44. Sup. lib. XLVII. §. 14.

Sub idem tempus Benedictus, Eccleſiæ Moguntinæ Diaconus, in Regno Ludovici degens, Capitularia, quæ Anſegiſus Abbas vel ſciens omiſerat, vel ſibi ignota inſerere non poterat, collegit, & in libros tres digeſta libris quatuor Anſegiſi prioribus adjecit; unde jam libri ſeptem numerantur. Benedictus hoc Opus ab Otgaro Epiſcopo ſuo juſſus ſcripſit, & tribus Regibus tunc ſceptrum retantibus Ludovico, Lothario & Carolo dedicavit. Ceterum ſemper primo loco Ludovicum, nempe Regem ſuum, nominat. Conſtitutiones quoque Pipini & Fratris ipſius Carolomanni, quæ obſervabantur, inſeruit. Hujus Collectionis partes maxime ex Tabulis Bibliothecæ Moguntinæ excerpſit; ſed rerum delectus & ordo deſideratur. Quod vero in ſua præfa-

v. Baluz. n. 11. 12.

præfatione dicat, Capitularia Auctoritate Papæ fuisse confirmata, id solum de Capitularibus Carolomanni, de quibus ipsi in hoc loco sermo est, accipiendum. Sæculum IX. A. C. 846.

§. XXXIII.

Concilium Parisiense.

Lotharii Imperatoris & fratrum ipsius discordiam pejus accendit Dynastæ cujusdam, cui nomen Gisalbertus, Regis Caroli Vasalli, temeritas, qui anno octingentesimo quadragesimo sexto raptam Ermingardem Lotharii filiam matrimonio sibi jungere ausus est. Credidit Lotharius, non solum Carolo Auctore hoc facinus perpetratum, sed etiam Ludovicum Germanicum consensisse. Ludovicus quidem suspicionem hanc facile diluit, sed fratrum animos reconciliare non potuit. Itaque Lotharius, ut Carolo vicem redderet, restitutionem Ebbonis in Sedem Remensem moliri cœpit, uno anno postquam ordinatus fuisset Hincmarus, quem Carolo addictum sciebat. Quamobrem petiit a Sergio Papa litteras, in quibus depositionem Ebbonis denuo ad examen vocari juberet, obtinuitque, ut Papa scriberet epistolam ad Carolum, in qua jubebat, ut Gundebaldum Archiepiscopum Rothomagensem cum quibusdam Episcopis Regni sui, & Hincmarum mitteret Treviros, ubi convenirent *Ann. Fuld.* *Flod. III. hist. c. 3.*

Sæculum IX. A. C. 847.

rent cum Legatis Romanis. Idem Papa Gundebaldo & Hincmaro per litteras significavit.

Cum Rex Carolus minime e re sua fore existimaret, si Episcopis Regni sui potestatem faceret eundi Treviros, locum in Ditione Lotharii positum, ubi plena libertate non gauderent, postquam Legati Papæ advenerunt, Gundebaldus Concilium Parisiis celebrandum indixit, atque datis litteris Ebbonem & Papæ Legatos illo convocavit. Ipse Gundebaldus illo cum suis Suffraganeis se contulit; quo etiam Venilo Archiepiscopus Senonensis, Landranus Turonensis & Hincmarus Remensis cum suis Suffraganeis venerunt. Landranus erat Archiepiscopus Turonensis senior, cui, cum Sedi suæ renunciasset, Ursmarus anno octingentesimo trigesimo sexto successerat. His Præsulibus Parisiis decima quarta Februarii, anno octingentesimo quadragesimo sexto, Indictione decima, id est, anno octingentesimo quadragesimo septimo secundum nostram numerandi rationem, nam ipsi annum in Festo Resurrectionis auspicabantur, congregatis, nec Ebbo, nec quisquam ipsius nomine adfuit, & ne quidem litteris datis absentiam excusavit. Tunc vero Gundebaldus aliique hujus Synodi Episcopi datis litteris ei significarunt, ipsi interdictum esse, quidquam

Vid. Coint. 836. n. 58. præf. Conc. Meld. v. obs. Labbe to. 8. Conc.

quam ad occupandam Sedem Remenſem moliri, aut ob hanc cauſam ulli hominum moleſtum accidere, donec coram Epiſcopis ſecundum Papæ Sergii mandatum Canonice fuiſſet judicatus. Ebbo non reſpondit, & annis adhuc quinque, quibus ſuperſtes fuit, nunquam amplius vel ab aliquo Concilio, vel a Sacra Sede reſtitui petiit. Sæculum IX. A. C. 847.

In hoc Concilio Pariſienſi Epiſcopi ultimam manum Canonibus, a ſe Meldis menſe Junio anno octingenteſimo quadrageſimo quinto conſcriptis, appoſuerunt, & Præfationem compoſuerunt, in qua queruntur, ſe toties & fruſtra Regem & Principes fuiſſe exhortatos, ut ad reformationem Reipublicæ & Eccleſiæ incumberent. Dicunt, præſentibus calamitatibus & præcipue continuis Normannorum incurſionibus admonitionum ſuarum contemptum puniri. Tunc etiam a Patribus petiit Paſchaſius Abbas Corbejenſis, ut Literæ Ludovici pii & Lotharii confirmarentur, quo Monaſterio huic liberam electionem, & poteſtatem de Bonis ſuis decernendi conſervaret. Item, ut confirmarentur Literæ Regis Caroli, qui ſe illius Cœnobii Tutorem dicebat. Conceſſit Concilium, quod petebat, addito hujus Monaſterii inſigni elogio, quod a fundationis ſuæ tempore Sacræ Regulæ ſtatuta exacte ſervas-

to. 7. Conc. p. 1818.

ibid. p. 1848.

Sæculum IX. A. C. 847.

servavisset. Actis hujus Confirmationis subscripserunt Episcopi viginti quinque, inter quos sunt tres Metropolitani, Hincmarus, Gundebaldus & Venilo. Reliqui iidem ferme sunt, quorum nomina post Synodum Meldensem leguntur.

§. XXXIV.

Paschasius Abbas Corbejensis.

Sup. Lib. XLVII. §. 33. Mabil. to. 6. Act. p. 125. Id. n. 16. Marculf. II. form. c. 24. 43. Sup. XXXIX. §. 28.

Paschasius Ratbertus Abbatiali potestate Monasterium Corbejense ab anno octingentesimo quadragesimo quarto regebat, Diaconatus Ordine insignitus; nec enim unquam, sicut etiam Ludovicus Abbas S. Dionysii, ad altiorem ascendit. Illo igitur tempore, quo Abbas erat, Librum suum de Eucharistia Regi Carolo tradidit, loco munusculi, quod in majoribus Festis Principibus offerri mos erat, ut, cum de formulis Marculfi sermo mihi esset, notavi. Ratbertus igitur a Rege invitatus, Donum istud protulit, sperans, Opus suum eo magis utile futurum, quo magis in lucem emitteretur. Liquet etiam, illo usque nulli disputationi ansam dedisse.

Aliquamdiu priusquam Abbas esset Paschasius Tractatum scripserat de partu Virginis, cujus scriptionis hæc fuit occasio. Ratramus, ejusdem Cœnobii Corbejensis Monachus, cum audivisset, doceri in Germania, JEsum Christum non sicut

sicut alios parvulos exiviſſe e ſinu Sanctæ Matris ſuæ, ſed modo prodigioſo, arbitratus eſt, hanc opinionem veritati Incarnationis adverſari, eamque edito Scripto ſtili ſatis acerbi impugnavit, imo & Hæreſis accuſavit. Attamen fatetur, de Fide Catholica credendum, Mariam ſicut prius, ita etiam poſt partum, Virginem permanſiſſe. Illico contra Ratramum Paſchaſius calamum ſtrinxit, defendens opinionem communem de modo prodigioſo, quo JEſus Chriſtus natus eſſet; ut vere affirmari poſſit, Sanctam ejus Matrem ſemper fuiſſe Virginem, & cum ſine concupiſcentia concepiſſet, etiam a partus doloribus fuiſſe exemptam. Hoc Opus Paſchaſius Theodrabebæ Abbatiſſæ in Civitate Sueſſionenſi, & Sacris Virginibus ipſius curæ commiſſis inſcripſit. Reſpondit Ratramus, iterumque Reſponſum Paſchaſius refutavit; quæ Scripta per errorem aliqui S. Ildephonſi Toletani calamo edita putarunt. Non legimus, ullos motus hanc diſceptationem fuiſſe ſecutos; & ſine dubio ejusmodi quæſtiones inutiles & indecoræ melius ſilentio preſſæ fuiſſent. Sed nempe in illius ætatis Scriptoribus inter Barbaros impolite educatis primorum Eccleſiæ Doctorum ſapientia & diſcretio requirebatur.

Sæculum IX. A. C. 847.

to. 1. Spicil. p. 318.

Tom. VIII. Bibl. Patr. Paris. p. 426. 282. to. 12. Bibl. Lugd. p. 565. v. Præf. to. 1. Spicil.

§. XXXV.

Sæculum IX. A. C. 847.

§. XXXV.

Capitulare Epernacense.

Episcopis Regem Carolum continuo urgentibus, ut Articulos Reformationis, quos ipso jubente in Conciliis Meldensi & Parisiensi partim condiderant, partim collegerant, sua Auctoritate firmaret, tandem mense Junio Comitia peculiaria Epernaci ad Matronam amnem in Diœcesi Remensi convocavit; ubi salutaria Episcoporum monita usque adeo fuere contemptui habita, ut vix alterum hujus rei exemplum inter Principes Christianos in tota Historia Ecclesiastica occurrat. Ita nempe hac de re scribit Auctor illius temporis; in titulo præmisso autem Capitulorum in Villa Epernacensi excerptorum dicitur: *Hæc quæ sequuntur Capitula excerpta sunt ex Capitulis anno octingentesimo quadragesimo sexto ab Episcopis in Synodis suis, nempe, a Gundebaldo, Ursmaro, Hincmaro, & Amalone cum Suffraganeis suis editis, & Regi, sicut ipse jusserat, traditis, ut Epernaci Villa Ecclesiæ Remensis relegerentur. Et quia factione quorumdam Procerum animus ipsius Regis contra Episcopos commotus est, remotis & exclusis ab illo Concilio Episcopis, ex omnibus illis Capitulis hæc tantum observanda collegerunt, scriptaque Episcopis*

Ann. Bert. 846. to. 2. Capit. p. 30. to. 7. Conc. p. 1852.

pis tradiderunt, dicentes, Regem & ipsos nihil amplius de eorum Capitulis acceptasse. Ursmarus erat Archiepiscopus Turonensis, & Amalon Lugdunensis, qui in Conciliis præcedentibus non nominantur. Sæculum IX. A. C. 847.

Articuli Epernacenses sunt numero novemdecim; quippe ad hanc paucitatem Proceres octoginta Canones Meldenses redegerunt, & positis illis, qui ad Ecclesiasticos spectabant, omnes ceteros, qui ad emendandos ipsorum Laicorum mores tendebant, rejecerunt.

§. XXXVI.

Saraceni Romæ.

Interim Itali semper Saracenorum arma vel experiebantur, vel timebant. Cum volveretur annus octingentesimus quadrageſimus sextus Saraceni ex Africa, qui & Mauri dicebantur, mense Augusto Tiberi adverso Romam devehuntur, & quia muros superare non poterant, Ecclesias S. Petri & S. Pauli extra urbem positas diripiunt, omnem cultum & divitias, atque etiam Altare argenteum, quod erat supra sepulchrum S. Petri, auferunt. Relicta Roma Fundos perveniunt, quam civitatem cum, multis interfectis, igne succendissent, captivos secum trahentes mense Septembri prope Cajetam castra metantur. Missæ a Præ-

Ann. Fuld. & Bertin. 846. Anast. in Leon. IV.

Chr. Cassin. l. 1. c. 27.

Sæculum IX. A. C. 847.

fecto Spoletano Francorum copiæ turpiter victæ fugam capessunt. Has dum Saraceni persequuntur, ad loca deferuntur vicina Monti Cassino, cujus Monasterii ingentes esse divitias fama perceperant. Sed cum nox rueret, tentoria fixerunt, rati opimam prædam sibi eripi non posse; nam nulla erant Monasterii munimenta, & unico rivo, cujus vadum facile teneri posset, dividebantur. Fratres præsentissimo mortis periculo perculsi nudis pedibus & cinere capillis insperso ad Ecclesiam S. Benedicti procedunt, ibique in lacrymis & oratione pernoctant. Tunc cæli serenitas, quæ erat maxima, subito inductis nubibus turbatur, ruit copiosissimus imber, & ita excrescunt aquæ, ut transire nemo valeret. Mane Saraceni ex castris prosilientes vadum quærunt aut cimbas, & utraque spe fallente dentibus frendent, & admordent digitos. Tandem amissa præda, postquam duas Cellas seu prœdia Monasterii, quæ trans rivum erant, incendio vastassent, ringentibus ad sua castra redeundum fuit.

§. XXXVII.

Sergii II. obitus. Leo IV. Papa.

Ann. Bert. 847. Anast. Papeb.

Saracenis etiamnum in Italia grassantibus improviso Sergium II. Papam mors e vivis eripuit vigesima septima Janua-

Januarii anno octingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, poſtquam S. Sedem tenuiſſet annis tribus. (*) Unica Ordinatione

Sæculum IX. A. C. 847.

(*) Ad Sergium II. notat Caveus, exſtare unicam ipſius *Epiſtolam ad Epiſcopos Transalpinos de prælatione Drogonis Mediomatricenſis*, Vicarii Sedis Apoſtolicæ, Conc. tom. 7. p. 1799.

Ceterum obſervo, in Opere ipſius Cavei, qui in ſuis Prolegomenis Monachos ignaviæ proterve accuſat, Sæculo IX. quod ipſe Photianum vocat, Monachos & Epiſcopos ex Ordine Monaſtico ad eam Dignitatem evectos utramque implere paginam. Quin imo, ſi quis ex Hiſtoria Cavei literaria Scriptores profeſſione Monachos expunctos vellet, longiſſimam Scriptorum Eccleſiaſticorum, quos memorat, ſeriem in plerisque Sæculis ad nihilum prope redigeret. Quid vero, quod Caveus Eccleſiæ Romanæ acerbiſſimus hoſtis nullos alios Scriptores Eccleſiaſticos (ſi manifeſte Hæreticos & ab univerſa Eccleſia damnatos excipias) quam tales recenſeat, qui ſe in Communione ejusdem Romanæ Eccleſiæ vivere profitebantur? Ergo nemo per omnia Sæcula præter Romano-Catholicos pro veritate fidei calamum ſtrinxit? Plane, incredibile eſt JEſum Chriſtum Eccleſiæ ſuæ amantiſſime plantatæ & ſuo ſanguine redemptæ tam male providiſſe, niſi hæc ipſa Romana Eccleſia ſola vera ſit! Dicit D. Mosheim in Præfat. ad hiſt. Hær. Es hat allzeit in der Kirche Leute gegeben, welche einen Theil der Wahrheit eingeſehen.

Sæculum IX. A. C. 847.

menſe Martio creavit Presbyteros octo, Diaconos tres, & per diverſa loca Episcopos viginti tres. Complures Eccleſias Romanæ Urbis reparavit & ornavit, inter alias Baſilicam S. Silveſtri, Titulum ſuum, ubi translatis multis Sanctorum Corporibus Monaſterium fundavit. Sepultus eſt in Baſilica S. Petri; ſed antequam illuc deferretur, Succeſſor ei una omnium voce electus Leo IV. Romanus, Rodoaldi filius. Is Monaſterio S. Martini extra Urbem & prope Baſilicam S. Petri, ut in ſacris literis erudiretur, a parentibus traditus, a Gregorio Papa IV. percrebreſcente illius pietatis fama, in Palatium Lateranenſe evocatur, familiaribus adſcribitur, & Subdiaconus ordinatur. A Sergio II. deinde Presbyter Titulo Sanctorum coronatorum conſecratus, inde invitus, cum Papa eſſet electus, in Lateranum trahitur; ubi omnes pro more ejus pedes oſculati ſunt.

Ut vero tam feſtinanter eligerent Pontificem, urgebat Romanos metus Saracenorum, qui S. Petri Baſilica expilata necdum procul ab Urbe receſſerant. At cum

---

ben. Ergo habemus virum Proteſtantem fatentem, ſaltem a nemine per tot Sæcula ante Lutherum totam Veritatem fuiſſe agnitam! ubi JEſu Chriſti promiſſum, *ille vos docebit omnia?* Joan. 14.

cum sine consensu Imperatoris Papam ordinare non auderent, Sacra Sedes duobus mensibus & quindecim ferme diebus vacavit. Tandem in illa trepidatione veriti, ne Roma secundo obsideretur, Leonem Papam duodecima Aprilis consecrant, etiamsi Imperatoris consensus necdum fuisset allatus; profitentur tamen, se fidem servare, qua post Deum Cæsari obstringerentur. Interim Saraceni conscensas naves prædis onustas Africam versus impellunt. Ecce autem JEsum Christum & Apostolos blasphemantes sæva tempestas ulciscitur. Collisæ inter se naves solvuntur, & submerguntur pleræque. Cum corporibus, quæ fluctus rejecerunt in littora, inventa est aliqua pars thesauri ex Ecclesia S. Petri adempta, & illo relata. Non omnes tamen Saraceni ex Italia solverant; nam ex ipsorum Ducibus unus, qui ad ferendam Radelgiso opem venerat, Beneventi commorans, eodem anno capta Civitate Telesensi Monasterium S. Mariæ ✝✝ diripuit.

Leo, Papa electus, nihil antiquius habuit, quam direpta Ecclesiæ S. Petri ornamenta restituere, quam curam toto Pontificatus sui tempore scilicet annis octo nunquam dimisit. Huic Ecclesiæ donavit Cruces, Imagines, Calices, Candelabra diversi generis, siparia seu tape-

Sæculum IX. A. C. 847.

Anast.

Ann. Bert.

Chro. Cass. I. c. 28. de Cingle.

Anast.

Sæculum IX. A. C. 847.

tes pretioſiſſima materia contextos, hominum & animalium ſimulacris decoratos. Imprimis autem totus fuit in ornanda Confeſſione, id eſt, Sepulchro S. Petri, & Altari, quod ſupra poſitum erat. In fronte poſuit tabulas aureas, fulgentibus gemmis diſtinctas, & opere vermiculato ſuam atque Lotharii Imperatoris imaginem exhibentes; quarum omnium pondus ducentas ſexdecim auri libras exæquabat. Addidit limbos argenteos ducentarum octo librarum, & Ciborium ſeu Umbraculum ſexcentarum librarum. Omne argentum, quod Leo in hanc ſolam Baſilicam contulit, & cujus pondus memoratur, ter mille octingentas ſexaginta & unam libras exæquat, quod quinquies mille ſeptingentas nonaginta & unam marcas conficit. Alias quoque Eccleſias pro cujuslibet Dignitate, inter ceteras Titulum ſuum quatuor Coronatorum exornavit. Reſtauravit Aulam, in qua Anteceſſores ipſius in Nativitate Domini convivia ſolemnia celebraverant, nam iſtud ſub duobus poſtremis Pontificibus intermiſſum fuerat.

§. XXXVIII.

S. Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus.

vit. S. Joan. c. 58. ap. Sur. 4. Nov.

Haud multo poſt alium Patriarcham Sedes Conſtantinopolitana accepit. S. Me-

Sæculum IX. A. C. 847.

S. Methodius certior factus, quod S. Joannicius morti proximus esset, ad eum invisit, precibus ipsius se commendat, & longis colloquiis animum levat. S. Joannicius vero Patriarchæ adventum summo honori ducens prædixit, eundem sibi non diu superstitem futurum. Verum dixisse eventus comprobavit, nam S. Joannicium, cum annum ætatis ageret octogesimum primum, die decima quarta Novembris, anno Michaelis Imperatoris quinto, id est, anno octingentesimo quadragesimo sexto, fatis functum S. Methodius hydrope correptus, post menses octo nempe decima quarta Junii anno octingentesimo quadragesimo septimo ad regna cælestia secutus est, postquam Sedem Constantinopolitanam annis quatuor tenuisset. Dicitur solitus fuisse portare fasciam, qua ejus mentum sustinebatur, quod in persecutione maxillæ ipsius fuissent confractæ, idque gerere apud Successores ejusdem tanquam singulare decus in morem abiisse. Ecclesia amborum memoriam illa die, qua obierunt, colit. S. Methodio in Sedem Constantinopolitanam suffectus est S. Ignatius Antecessore suo illustrior. Is Michaelis Rangabei Imperatoris, qui anno octingentesimo decimo tertio Leoni Armeno Regnum tradiderat, & Precopiæ ex Imperatore Nicephoro genitæ filius

vit. S. Meth. n. 17. Boll. 14 Jan. to. 20. p. 967. Glyc. p. 290. Martyr. Ro. 14. Jul. & 4. Nov. vit. Ign. per Nic. to. 8. Conc. p. 1180. Sup. Lib. XLV. §. 50.

Sæculum IX. A. C. 847.

natu minimus in primis cunis Nicetæ nomen acceperat, sed parente e solio Orientis dejecto comam sibi radi petiit, & Ignatius vocari voluit, annum agens ætatis teneræ decimum quartum. Leo, ut æmulos etiam a spe regnandi amoveret, Michaelem & tres filios in varias Insulas relegavit, & in pueros, quos e fonte Sacro levaverat, fævus, exsecari omnibus virilia jussit. Ignatius bona fide institutum Monasticum amplexus ita in virtutem semita profecit, ut defuncto Abbate in ejus locum substitueretur. Ipse deinde in tribus Insulis, quæ *Platos*, *Hyatros*, & *Terebinthus* seu Insulæ Principum dicebantur, Monasteria condidit. Ordines Sacros accepit de manibus Basilii Episcopi Civitatis *Pareon*, seu *Paros* in Hellesponto, qui in persecutione Iconoclastarum plurima forti animo tulerat. A Basilio igitur primo Lectorem, deinde Subdiaconum, Diaconum & tandem Presbyterum ordinatum Catholici multi, cum Iconoclastis communicare nolentes, tum ex Civitate Constantinopolitana, tum ex vicinis Bithyniæ urbibus Ignatium adibant, & liberos suos baptizandos afferebant. Ille omnes ad se venientes erudiebat, adversus hæresim confirmabat, & præterea persecutionem patientes, captivos, exules, suis bonis spoliatos adjuvabat; qua in re piam operam

peram etiam conferebant mater ejus & soror, quæ ad extremam senectutem pervenientes maximam opum suarum partem in hæc Charitátis opera impenderunt. Talis erat Ignatius illo tempore, cum ceteris omnibus, quibus Sedes Constantinopolitana destinabatur, prælatus est. Tunc annum ætatis numerabat quadragesimum octavum, atque illam Sedem annis undecim & sex mensibus tenuit. Sæculum IX. A. C. 847.

§. XXXIX.

Rabanus Archiepiscopus Moguntinus.

Mense Octobri ineunte ejusdem anni octingentesimi quadragesimi septimi celebratum est Moguntiæ Concilium Rabano Præside, qui Otgaro Archiepiscopo vigesima prima Aprilis defuncto successerat. Rabanus viginti annorum spatio Abbatiam Fuldensem rexerat, quo tempore plerosque Libros suos scripsit. Primo, a Monachis suis rogatus scripsit Commentarium suum in S. Matthæum, eumque Haistulfo Archiepiscopo Moguntino, cui jam anno octingentesimo decimo nono Opus suum de Institutione Clericorum obtulerat, inscripsit. Hic Commentarius, sicut plerique alii a Rabano scripti, nihil ferme aliud, quam Textuum ex SS. Patribus collectionem continet. *Sup. Lib. XLVI. §. 49 Mabill. to. 6. act. p. 41.*

Sæculum IX. A. C. 847.

Circa annum octingenteſimum trigeſimum Freculfo Epiſcopo Lexovienſi ſuam Explicationem in Octateuchum, id eſt, in octo primos Veteris Teſtamenti Libros, miſit, inſtantiſſime ab eodem Freculfo rogatus, cum ipſe ſcribere non poſſet, usque adeo libris deſtitutus, ut ne quidem Bibliam integram haberet. Cum exitioſæ rixæ inter Ludovicum pium & liberos ejus ferverent, ea prudentia uſus eſt Rabanus, ut neutrius partis amicitia excideret. Anno octingenteſimo trigeſimo quarto ſcripſit Ludovico Epiſtolam conſolatoriam, miſitque deinde collectionem Textuum ex Scriptura, ex quibus docentur filii & ſubditi, quam diſtrictum ſit divinum præceptum, ut illi parentibus, & hi Principibus obediant. Paulo poſt Imperatori Fuldæ commoranti Librorum Regum Explicationem, rogante Hilduino Abbate a ſe ſcriptam, & poſtea etiam explanationem Librorum *Paralipomenon* obtulit. Anno octingenteſimo trigeſimo ſexto Commentarios ſuos in Libros Judith & Eſther Judithæ Imperatrici nuncupavit, addita cauſa, quod ipſa unius nomen & ſupremam alterius Dignitatem ſortita eſſet. Ludovico pio defuncto Rabanus libros ſuos in Jeremiam, atque haud diu poſt Commentarium in Ezechielem Lothario Imperatori dedicavit.

Tunc

Tunc temporis vero Rabanus solitudinis quiete fruebatur; quippe postquam Monasterio Fuldensi annis omnino viginti præfuisset, anno octingentesimo quadragesimo secundo, abdicato Abbatis munere, citra Rhenum in Regnum Lotharii se recepit. Miserunt Monachi, qui rogarent, ut rediret, & ipso venire recusante Abbatem elegerunt Hattonem, cum ipso olim Alcuini Discipulum. Post paucos dies rediit Rabanus, seseque in cellula montis S. Petri prope Monasterium abdidit, ubi denuo calamum resumens libros vulgavit. Otgaro Archiepiscopo inscripsit librum Pœnitentialem, & Drogoni Episcopo Metensi Tractatum de Chorepiscopis, in quo Episcopis suadet, ut a Chorepiscopis Ordines Sacros conferri consentiant, cum Consecrationem (*) Episcopalem habeant.

Sæculum IX. A. C. 847.

Elog. Mabill. p. 29.

to. 8. Conc. p. 1852.

Sub idem tempus ad varias quæstiones de pœnitentia sibi a Reginboldo Chorepiscopo Moguntino propositas respondit. In illo otio præterea composuit viginti

Rabani Scripta.

ibid. p. 1485.

(*) Ut aliis temporibus & locis retulimus, non semper Chorepiscopi Ordinem Presbyteratu altiorem habebant. At Chorepiscopi, de quibus hic sermo est, vere Ordine Episcopali, sicut hodie Episcoporum in Germania Vicarii in Pontificalibus Generales, insigniti fuisse videntur.

Sæculum IX. A.C. 847.

ginti duos libros de Universo, quos Haimoni suo olim in literarum studiis Condiscipulo inscripsit, & in Epistola nuncupatoria hortatus est, ne mores illorum Episcoporum imitaretur, qui magis rerum temporalium judiciis, quam populi instructione occupabantur.

Cum Operis hujus de Universo fama ad aures Ludovici Regis Germaniæ perveniisset, illud sibi expetiit, & a Rabano missum accepit. Nam illi Reges erudiri cupiebant, & Lectores alebant. Ceterum in hoc Opere primum agitur de Deo, deinde de omnibus Creaturarum ordinibus, nihilque ferme aliud occurrit, quam explicatio nominum, & verborum definitiones, quo facilius sensus Historicus & Mysticus S. Scripturæ capiatur. Rabanus adhuc juvenis, Alcuino id consilii suggerente, duos libros de Laudibus S. Crucis conscripserat, viginti & octo Schematibus Mysticis illustratos. Quælibet figura delineata est in tabula, cujus area versibus impleta, & literæ, quæ in ipsa figura conspiciuntur, itidem versus sunt. Opus hoc immensi laboris & modicæ utilitatis nihilominus in tanto pretio fuit, ut Rabanus illud Ludovico pio Imperatori offerendum existimaret. Imo illud etiam postea Romam misit, ubi Sergio Papæ anno octingentesimo quadragesimo quarto traditum

Rab. to. 1. *p.* 173.

Ann. Fuld. 844.

tum fuisse, illius temporis Annales memorant. Sæculum IX. A. C. 347.

Itaque Rabanus tum Scriptis, tum singulari prudentia clarissimus, quamvis esset infirmus & senectute gravis, nam certe septuagenarius erat, in conspectum Regis Ludovici deducitur, eoque consentiente, die S. Joanni sacra, vigesima quarta Junii, anno octingentesimo quadragesimo septimo, Archiepiscopus Moguntinus eligitur, & consecratur.

§. XL.

Concilium Moguntinum.

Rabanus post trium mensium spatium jubente Rege Ludovico Synodum suam convocavit eundem in finem, in quem Concilium Meldense in Regno Caroli fuerat celebratum, nimirum, ideo præcipue, ut Bonorum Ecclesiasticorum Usurpatores reprimerentur. Cum Archiepiscopo adfuerunt duodecim Episcopi Suffraganei, & præ ceteris noti, Samuel Wormatiensis, Baturadus Paderbornensis, Hebo Hildesheimensis, Hemmo Halberstadiensis, S. Anscharius tunc Hamburgo expulsus, ut suo loco retulimus, Salomon Constantiensis cum Chorepiscopis, Abbatibus, Presbyteris, & reliquis Clericis. Ubi omnes Moguntiæ fuere congregati, triduo jejunarunt, ad Ecclesias inter preces publicas procedentes,

to. 8. Conc. p. 39. v. Boll. Comm. §. 9. 13. 49. to. 3. p. 510. Sup. n. 31.

Sæculum IX. A C. 847.

tes, & Dei Gratiam sibi ad Concilium coituris implorantes. Statuerunt deinde in singulas Diœceses Decretum mittere & præcipere, ut ter mille quingentæ Missæ pro Rege, Regina, eorumque liberis celebrarentur, & centies decies septies Psalterium recitaretur.

Convenerunt deinde in Monasterio S. Albani, ubi secundum antiquam consuetudinem Synodos celebrabant. Tum in duas turmas divisi sunt. Prima erat Episcoporum, qui cum suis Notariis sacram Scripturam, Canones, Patrum Scripta scrutabantur, unde argumenta & auctoritatem producerent ad conservandum Disciplinam Ecclesiasticam. Exaltera parte Abbates sedebant cum delectis Monachis, qui S. Benedicti Regulam legebant, unde Monasticæ Disciplinæ rigorem restituerent. In illis Collationibus conditi sunt Canones triginta & unus; mihi vero notatu digna visa sunt sequentia.

§. 2. Quilibet Episcopus habeat Homilias continentes necessarias admonitiones, quibus subjecti erudiantur, easque transferri curet in rusticam Romanam linguam aut Theotiscam, quo facilius cuncti possint intelligere, quæ dicuntur. Nempe hæ duæ linguæ in toto Francorum

§. 3. Imperio vulgares erant. Antequam conferatur Baptismus, observetur Scrutinium,

tinium, & illis ſolum conferatur tempo- Sæculum IX.
ribus, quæ a Romano Pontifice legitime A. C. 847.
ſunt conſtituta.

Qui contra Regem vel Eccleſiaſticas *c.* 5.
Dignitates vel Reipublicæ poteſtates con-
juraverint, excommunicentur. Uſur- *c.* 6.
patores Bonorum Eccleſiaſticorum ex-
communicantur, & Regis præſidium con-
tra eos expoſcitur. Monachi nihil jure *c.* 14.
proprietatis poſſideant, negotiis ſæcula-
ribus non implicentur; imo interdicun-
tur eis functiones ſacræ, niſi Epiſcopus
conſenſerit. Rex admonetur, ne pau- *c.* 17. 18.
peres ingenuo ſanguine natos opprimi
patiatur; nam illa ætate pars plurima
plebis adhucdum ſervitutis vinculo ad-
ſtringebatur. Complures Regulæ pœ- *c.* 31. 21. 22.
nitentiales præſcribuntur. Parricidis an- 23. 24.
tiqui pœnam ſtatuerant, ut juxta exem- *c.* 20.
plum Caini tota vita ſua in orbe erra-
rent; unde arrepta occaſione ebrietati
aliisque hac pejoribus vitiis indulgebant.
Decernit Concilium, ut in uno loco per-
maneant, rigidiſſimæ pœnitentiæ leges
ſervent, non militent, nec unquam uxo- *c.* 25.
rem accipiant.

Quidam Presbyteri Ordine ſuo deje-
cti pœnitentiæ cauſa varias peregrinatio-
nes ſuſcipiebant; cumque eorum non
nulli fuiſſent interempti, Concilium con-
tra percuſſores excommunicationem pro-
nunciat.

Pres-

Sæculum IX. A.C 847.

c. 26. Presbyteri ab ægrotis exigant, ut confiteantur, iisque pœnitentiam, quam subire deberent, indicent, sed non injungant. Amici autem infirmorum defectum precibus & eleemosynis suppleant. Attamen si infirmi convaluerint, pœnitentiam impleant.

c. 27. Qui ob admissa scelera ultimo supplicio afficiuntur, post mortem suam Ecclesiæ suffragiis non priventur, nec vivis Communio denegetur, si vere pœnitentes sint & boni latronis exemplum sequantur. Credo, hic vocem *Communio* solam absolutionem significare. (*)

Epis-

(*) Non sine fundamento ita opinatur Fleurius; nam alias in Historia Ecclesiastica legimus, non fuisse concessum, ut S. Eucharistia ad illos, qui morti addicebantur, deferretur, atque id etiam ipsius Concilii Verba in Act. Conc. Edit. Paris. indicare videntur. Sunt autem sequentia. *Quibus respondimus: Si omnibus de peccatis suis puram Confessionem agentibus & dignæ pœnitentibus Communio in fine secundum Canonicum jussum danda est, cur non eis, qui pro peccatis suis pœnam extremam persolvunt?* Et inferius: *Salutem ergo homini adimit, qui quis mortis tempore pœnitentiam denegat &c.* Præterea sæpe etiam fit mentio de concedenda moribundis Communione; quod sine comitante Absolutione a peccatis explicari vix potest.

Episcopi his Articulis ad Regem Ludovicum missis rogarunt, ut iis suo consensu auctoritatem conciliaret, addideruntque Epistolam Synodicam, in qua inter alia queruntur, quod reverentia locis Sacris debita impudenter læderetur. Sæculum IX. A. C. 847. §. 31.

In eodem Concilio damnata est mulier, nomine Thiota, quæ Prophetissam se simulans turbaverat totam Diœcesim Constantiensem, patriam suam, quæ regio illa tempestate Allemannia dicebatur. Hæc fœmina commenta est, quosdam eventus antea soli Deo notos sibi cœlitus fuisse revelatos, præsertim Mundi finem, quem dicebat hoc ipso anno imminere. Et permulti utriusque sexus his vaticiniis territi munera copiosa mulieri afferebant, & ipsius precibus se commendabant. Quin imo non nulli viri Ecclesiastici mulierem in Allemannia huc & illuc errantem comitabantur. Cum Moguntiam venisset, ad S. Albanum & conspectum Episcoporum deducitur, quibus versipellem accurate interrogantibus compulsa est fateri, quod Presbytero quodam id consilii suggerente, fraudem adornasset, & lucelli spe ad hæc mendacia animum adjecisset. Ergo in Concilio damnata, & publice virgis acerrime cæsa justas pœnas dedit, quod fœmina Prædicationis ministerium contra morem & præcepta Ecclesiæ sibi ar- *Ann. Fuld.*

Sæculum IX. A. C. 848.

rogasset. (*) Ita principium infamiæ huic mulierculæ vaticinandi finis fuit.

§. XLI.

Initia Gotteschalci.

Mang. diss. c. 1. Mabill. præf. to. 6. c. 2. n. 139. Annal. Fuld. 848. Bert. 849. Hincm. ad Nicol. Pap. to. 2. p. 862. epist. 3.

Anno sequente octingentesimo quadragesimo octavo alterum Moguntiæ Concilium Rabanus celebravit ad damnandos errores, quos Gotteschalcus Monachus docere deferebatur. Is, alio nomine Fulgentius, natione Germanus, sed in Monasterio Orbacensi Diœcesis Suessionensis Monachum professus sub Abbate Bavone impensius incubuit ad lectionem Patrum, præsertim S. Augustini, cujus plurimos textus suæ memoriæ impressit. At nocuit juveni occulta scindi cupido, quod ex admonitionibus prudentissimi viri, Lupi Abbatis Ferrariensis, cognoscimus. Nam cum eum consuluisset de quæstione, an post resurrectionem Beati Deum oculis corporis visuri sint, respondit Lupus primo, nullum se ad ejusmodi quæstionem responsum daturum fuisse, se sine læsione charitatis potuisset silere. Deinde motam quæstionem pertractat, & addit: *Exhortor te, Venerabilis Frater, ne ingenium tuum si-*

mili-

(*) En, exemplum pœnæ corporalis a Concilio inflictæ, nisi dicatur, id Auctoritate Regis factum.

milibus quæstionibus amplius fatiges; nam sic futurum esset, ut inutili studio exhaustus ad capiendas res altiores & magis necessarias non sufficias; cur enim ea tantopere inquiramus, quæ forte scire necdum expedit? potius excurramus in vastissimos campos Sacrarum Scripturarum, eas studiosissime meditemur, orationem lectioni jungamus, & tunc denique Dei Bonitate dignum erit, ut se nobis eo modo manifestet, qui naturæ nostræ convenit, quando, quæ supra captum nostrum sunt, temere non investigabimus.

Sæculum IX. A. C. 848.

Ceterum Gotteschalcum etiam Walafrido Straboni populari suo amicitia junctum fuisse constat. Presbyter ordinatus a Rigboldo Chorepiscopo Remensi circa annum deinde octingentesimum quadragesimum sextum, Sergio Pontifice, peregrinandi studio ductus, Romam se contulit. In patriam redeuntem Gotteschalcum hospitio comiter excepit Eberardus inter purpuratos in aula Lotharii Imperatoris insignis, apud quem aliquamdiu mansit. In illa commoratione de Prædestinatione disputavit ea libertate, quæ fidei adversari visa est Nothingo Episcopo Veronensi. Is aliquanto post in Germaniam nempe regiones Weteraviæ vicinas profectus, ut Ludovicum juvenem Imperatorem videret, cum Rabano Mauro, jam tunc Archiepiscopo

Rab. ep. ad Noth. ap. Sirm. to. 2. p. 1312. v. Baudr. Logana.

Sæculum IX. A. C. 848.

Gotteschalcus.

Moguntino, de Gotteschalci errore collocutus est, placuitque consilium, ut Rabanus ad refutandum hunc errorem calamum arriperet. Stetit promisso, & eum Tractatum in forma Epistolæ concinnatum Nothingo inscripsit. Aliam Epistolam dedit ad Comitem Eberardum, in qua dicit: *Compertum nobis est, in domo tua diversari hominem semidoctum, nomine Gotteschalcum, qui affirmat, Prædestinationem Dei omnibus hominibus necessitatem imponere, ita ut, qui salvus fieri cupit, & ad hunc finem consequendum fide & bonis operibus maenitus pugnat, frustra laboret, nisi ad vitam prædestinatus sit. Hoc errore jam complures impulit in desperationem, quia ipsis suggerit: Quid prodest mihi, si pro Salute mea operer? Frustra Bonum facio, si prædestinatus non sum; etiamsi vero Malum faciam, Prædestinatio me tamen ad vitam æternam perducet.* Tum Rabanus hunc errorem oppugnat ex Auctoritate S. Augustini, S. Prosperi, aliorumque Patrum, & in fine Epistolæ hortatur Comitem Eberardum, ut hospitem perversam Doctrinam spargentem domi suæ non retineat.

Ap. Sirm. to. 2. p. 1342.

Hæ Epistolæ Gotteschalcum ex Italia migrare coegerunt; cumque deinde Dalmatiam, Pannoniam & Noricum peragrasset, venit Moguntiam. Illico Rabanus

banus Synodum suam, scilicet ineunte Octobri anno octingentesimo quadragesimo octavo convocavit, cui Rex Ludovicus interfuit. Gotteschalcus oblato libello Doctrinam suam explicavit; *Geminam esse Prædestinationem. Quia sicut Deus ante Mundi constitutionem omnes Electos suos incommutabiliter per gratuitam Gratiam prædestinasset ad vitam æternam, ita etiam omnino omnes reprobos propter ipsorum mala merita ad mortem sempiternam prædestinasset.* Arguebat Rabanum dicentem, reprobos non esse prædestinatos ad damnationem, sed solum eam a Deo prævideri. *Deus enim*, inquiebat Gotteschalcus, *sua Præscientia cognoscit, eos malum initium & finem multo pejorem habituros, ideoque ad pœnam æternam prædestinavit.*

Sæculum IX. A. C. 848.

Hincm. de præd. c. 5. p. 26.

Doctrina in hunc modum a Gotteschalco exposita a Concilio Moguntino rejecta est, & statutum, ut ipse ad Hincmarum Archiepiscopum Remensem, in cujus Diœcesi ordinatus fuerat Presbyter, mitteretur. Quam ob rem Rabanus Epistolam Synodicam ad Hincmarum dedit, in qua dicit; Gotteschalcum, Monachum Gyrovagum, docere, quod Deus prædestinet ad malum, sicut ad bonum, & quod dentur homines, qui se convertere non possent, quasi vero Deus ab initio incorrigibiles creasset. At ista

ap. Hincm. ibid. c. 2. to. 8. Conc. p. 52.

Sæculum IX. A. C. 848.

Rabani expositio non accurata videtur, nec illi satis consentanea, quam Hincmarus ab ipso Gotteschalco editam citavit. Deinde Rabanus in sua Epistola dicit: *Hunc igitur mittimus tibi, & monemus, ut in tua Diœcesi incluso non permittas, amplius populum fallere; complures enim ab ipso decepti & perversi feruntur.* Præter hanc Epistolam dedit Rabanus ad Hincmarum aliam, in qua de ipsa Fidei Doctrina differit.

§. XLII.

Walafridus Strabo.

Bult. t. V. c. 60.

Walafridus Strabo, quem Gotteschalci amicum paulo ante fuisse diximus, natus anno octingentesimo sexto, a prima ætate institutum Monasticum in Abbatia Augiæ divitis amplexus a Tattone Magistro bonis literis excultus est. Annum ætatis agens decimum octavum Visiones Wetini, ut supra advertimus, versibus reddidit. Fuldam missus sub Rabano Præceptore Sacris Literis operam dedit. Rogatus a Monachis S. Galli scripsit vitam S. Galli & S. Othmari, illius Monasterii Fundatorum. Complura etiam ab ipso composita exstant carmina, in quibus aliquot viros illa tempestate claros celebrat. At duo Strabonis Opera præ reliquis memorabilia sunt, Glossa ordinaria, & Tractatus de Divinis Officiis.

Sup. Lib. XLVI. §. 54

Officiis. Gloſſa ordinaria ſunt Adnotationes breviſſimæ in totam S. Scripturam, inprimis ex Commentariis Rabani excerptæ, quibus celebratiores per ſexcentorum annorum ſpatium Orbis Chriſtianus non habuit. Sæculum IX. A. C. 848.

Tractatus de Officiis Divinis poſt annum octingenteſimum quadrageſimum ſcriptus eſt, cum in eo mentio fiat Ludovici pii jam defuncti, nata occaſione ex quæſtione de Imaginibus, de quibus Walafridus ſobrie diſſerit, tam illos vituperans, qui imagines contemnunt, quam qui ſuperſtitioſe colunt, & docens, honorem creaturis convenientem eſſe exhibendum. c. 8.

Quamvis non neget morem Veterum orandi verſa ad Orientem facie, illos tamen non damnat, qui Altaria vel Eccleſias, ſi magis commodum fuerit, alio ſitu extruunt. c. 4.

Fatetur Campanarum uſum non eſſe admodum antiquum, & ex Italia fuiſſe advectum. Tunc nempe ultra annos ducentos Campanarum uſus in Francia vigebat, quod ex hiſtoria S. Lupi Senonenſis liquet. c. 5. *Sup. Lib. XXXVIII.* §. 16.

Ceterum notat, linguam Teutonicam pleraque vocabula ad Religionem pertinentia a Græco & Latino mutuaſſe. *Quod inde factum*, inquit, *quia Barbari in Romanorum exercitibus ſtipendia merebantur, & permulti Præcones Verbi* c. 7.

Sæculum XI. A. C. 848.

Divini ad eos erudiendos veniebant. Itaque noſtri permulta utilia prius ſibi ignota didicerunt præſertim a Gothis, qui poſt ſuſcepta Chriſtiana Sacra in Provinciis Græcorum habitantes lingua noſtra ſcilicet Teutonica utebantur. Tum, qui inter eos doctrina excellebant, Libros Sacros in linguam ſuam tranſtulerunt, quorum Exempla etiamnum in multorum manibus ſunt. Id quoque a Fratribus fide dignis nobis relatum, quod apud Scythas, præcipue Tomitanos, hodieque Divina Officia eadem lingua celebrentur.

Soc. IV. c. 53 Sup. Lib. XVII. §. 36. Hæc Translatio Scripturæ in uſum Gothorum ſine dubio illa fuerit, quæ Ulfilam Auctorem habet, & cujus ſuo tempore memini; ſed alterius præter iſtud teſtimonii, Officium Divinum Lingua Teutonica fuiſſe peractum, non recordor.

c. 18. Auctor morem benedicendi agnum prope Altare, de quo Fideles in Feſto Paſchæ ante omnem alium cibum comedant, rejicit tanquam Superſtitiones Judaicas redolentem; ſed nihilominus hæc Benedictio etiamnum in fine Miſſalis Romani extat.

c. 20. Illud quoque notat, Fideles tempore S. Gregorii diebus Jovis in Quadrageſima non jejunaſſe, ſed iſta conſuetudine poſtea introducta Gregorium juniorem

(ſive

(sive Gregorium II. sive tertium putet) etiam pro his diebus Missas & Officia ordinasse. Consuetudinem quotidie Missam celebrandi ab exemplo S. Cassii Narniensis comprobat. Dicit, Presbyteros diversas tenuisse consuetudines, cum aliqui unicam in die Missam, alii duas tresve, aut quot expedire videbatur, celebrarent. *Qua in re*, inquit, *forte nituntur Auctoritate Ecclesiæ Romanæ, in qua non nunquam duæ tresve Missæ, sicut in Nativitate Domini, aut in Festis quorumdam Sanctorum, celebrantur.* Imo id quandoque esse necessarium judicat, ut si in Festo solemni Missa pro defunctis celebranda sit, aut alia causa superveniat. Diversa refert exempla, ut Leonis Papæ sæpe una die septies vel novies Missam celebrantis, & S. Bonifacii Moguntini nunquam sæpius quam semel in die Sacris operantis, additque, cuilibet licere facere quod videretur.

Walafridus antiquæ Liturgiæ Gallicanæ, quam complures adhuc servabant, mentionem facit. *Consuetudo*, inquit, *in Missa cantandi Symbolum Constantinopolitanum a Græcis ad Latinos pervenit, & præsertim post damnatum Felicem Urgelitanum in Gallia & Germania invaluit. Hoc Symbolum in Hispania cantatur ex mandato Concilii Toletani* (nempe tertii anno quingentesimo octo-

Sæculum IX. A. C. 848.

S. Greg. IV. Dial. c. 56.

c. 21.

Sup.

c. 22.

Conc. Tolet. III. c. 2. Sup. l. XXXIV. §. 56. Conc. Tol. IV. c. 14 Sup. Lib. XXXVIII. §. 48.

Sæculum IX. A.C. 848.

octogesimo nono coacti) *item alterius Concilii in eadem Civitate* (nempe quarti anno sexcentesimo trigesimo tertio)

De Divinis Officiis.

præcipitur, ut singulis Dominicis in Missa Hymnus trium puerorum cantetur, quod Romani propter Officiorum multitudinem tantum quater in anno, quando duodecim recitantur lectiones (nempe in quatuor Angariis) *cantant.* Auctor illos Laicos reprehendit, qui in pluribus Missis transeuntes offerebant, & Missæ finem non exspectabant, aut qui credebant, tot oblationes sibi dandas, quot essent personæ, pro quibus orabant, quasi vero unicum Sacrificium non sufficisset omnibus. Non reprehendit pluries in die, si pluribus Missis interessent, communicantes. Dicit legitimam Missam illam esse, ubi sunt Sacerdos, Respondens, Offerens, & Communicans. (*)

Primis

(*) *Legitimam*, nempe de congruo, non autem necessario. Nam si Verba Christi Domini: *Bibite ex hoc omnes*, Matth. XXVI. tam stricte accipienda essent, ut volunt Protestantes, sequeretur, non solum aliquos, sed omnes Fideles, qui intersunt, necessario & ex præcepto teneri Corpus Domini Nostri sumere. Sed præcepto Christi Domini satisfit, si Fideles secundum explicationem & præceptum Ecclesiæ semel in anno tempore Paschali S. Communionem accipiant præter obligationem in Festis & Domini-

Primis temporibus, inquit, *Sacerdotes induti vulgaribus veſtimentis operabantur Sacris* Sæculum IX. A. C. 848. c. 24.

Dominicis Sancto Sacrificio aſſiſtendi. Deinde nullibi id præcipiunt Canones, ut in ſingulis Miſſis præter Sacerdotem etiam alii Fideles communicent. Præterea ſi, quod Proteſtantes admittunt, licet Sacerdoti conſecrare Evchariſtiam, ut devotioni alterius Fidelis communicare volentis ſerviat, eumque S. Corpore & Sanguine JEſu Chriſti muniat, cur non etiam liceat, ſe ipſum ſolum ſacratiſſimo hoc Corpore & Sanguine paſcere? Ut nihil dicam de eo, quod Miſſæ inſit ratio Sacrificii, quo Deus Pater Omnipotens honoratur, adoratur & nobis reconciliatur. In hoc videlicet maxime errant Proteſtantes, quod negent Evchariſtiam eſſe Sacrificium contra omnium Sæculorum & SS. Patrum Teſtimonia, ut vidimus in Tractatu Domini Mede, qui cum negare non poſſit, Evchariſtiam a veteribus Chriſtianis frequentiſſime Sacrificium fuiſſe appellatum, vocem *Sacrificium* in alio ſenſu quam Eccleſia Catholica explicare irrito & vano labore adnititur, poſtquam in ſui Tractatus exordio faſſus eſt, quod hæc ipſa vox ingenia magnorum & eruditiſſimorum virorum Proteſtantium nimium quantum torqueat. Tandem advertendum, etiam tunc quando Sacerdos ſolus cum uno miniſtro celebrat, nihilominus in ſenſu literali & proprio adeſſe Sacerdotem, reſpondentem, offerentem, & communicantem, quod dicit Walafridus, quia Sacerdos, ante-

Sæculum IX. A. C. 848.

Sacris, quem morem adhucdum a quibusdam in Oriente ſervari ajunt. Tempore S. Gregorii non licebat omnibus Epiſcopis Dalmaticam gerere, cum interim hodie omnes ferme Epiſcopi & aliqui Presbyteri hanc ſub Caſula gerere ſibi licere putent. Cultum Archiepiſcoporum ſeu Summorum Paſtorum recenſet in hunc modum: *Dalmatica, Alba, Manipulus, Orarium,* † *Cingulum, Sandalia, Caſula, & Pallium.* Dicit, S. Paulinum Forojulienſem ſæpe in immolatione Sacrificii præſertim in Miſſis privatis Hymnos recitaſſe. Tum ob Sacræ Sedis Reverentiam ejusmodi ritus ab omnibus prope Eccleſiis fuiſſe receptos, cum nullæ Traditiones magis imitatione dignæ ſint,

Si neceſſitas poſtulat, omnis homo & etiam fæmina Baptiſmum conferre poteſt. Baptiſmus conferri poteſt per aſperſionem. In Hiſpania dies Rogationum poſt Pentecoſtem celebrabant, ne jejunarent tempore Paſchali. In fine hujus Tractatus Walafridus Dignitates & Munera Sæcularia cum Eccleſiaſticis confert, dicitque: *Capellani principio dicti ſunt a Cappa S. Martini, quam Reges*

Greg. VII. ep. 112. Sup. l. XXXVI. §. 10.

† Stola.

c. 25.

c. 26.

c. 28.

c. 31.

antequam conſecret, panem utique Deo offert, & poſt conſecrationem e ſuis ipſe manibus JEſu Chriſti Corporis & Sanguinis Communionem accipit.

ges Franciæ, cum ad Bellum proficiscerentur, secum deferebant, ut eo facilius de hostibus victoriam reportarent. Ergo illi Clerici, qui Cappam portabant, Capellani vocati. Iidem hanc Cappam cum ceteris Reliquiis custodire adsueverant. Liber Pontificalis, S.Damasco adscriptus sæpe in hoc Walafridi opere adducitur. Ipse Abbas fuit Augiæ divitis annis septem, atque anno ætatis suæ quadragesimo tertio, salutis reparatæ octingentesimo quadragesimo nono ad superos abiit. Cognomentum latinum accepit Strabus seu Strabo, quod torvis esset oculis. Sæculum IX. A. C. 848.

§. XLIII.

S. Convoyo Abbas Redonensis.

Inter hæc Nomenojus, Britanniæ Dux, qui liberum se a Regis Caroli potestate credebat, Concilium convocat, urgente S. Convoyone Abbate Redonensi & admonente Principem, omnes illius Provinciæ Episcopos Simoniaca labe esse inquinatos, imprimis autem Subsannium Episcopum Venetiensem; denique ab iis nec ullum Presbyterum nec Diaconum, nisi pecuniam daret, ordinari. S. Convoyo Principi iram Dei denunciabat, si hos abusus, cum posset, non tolleret. Ergo cunctos illius Provinciæ Episcopos & Viros doctissimos adesse jubet; cumque *vit. S. Conv. c. 10. to. 6. Act. B. p. 211*

Sæculum IX. A. C. 848.

que isti ex Episcopis quæsiviſſent, an verum esset, quod Sacras Ordinationes accepta pecunia venderent, responderunt, se nihil aliud accipere, quam dona sponte oblata, quæ sibi competerent. Postquam diu & fervide disputatum, inter ambas partes convenit, ut duo Episcopi Romam proficiscerentur, & omnes deinde de Papæ Judicio starent. (*) Hanc Legationem in se suscipere jussi sunt Substannius Venetiensis & Felix Curisopitensis, rogavitque Nomenoyus Convoyonem, ut se itineris socium daret, coronam auro gemmisque claram ad S. Petri limina deferret, & a Pontifice Corpus alicujus ex Antecessoribus suis Papæ Martyris peteret.

S. Convoyo in Diœcesi Venetiensi lucem primo aspexerat. Cum deinde per aliquot annos illius Ecclesiæ Archidiaconus

(*) Secundum Canones primo ad Archiepiscopum Turonensem Metropolitanum pertinuisset hujus causæ cognitio, sed cum ille & Episcopi Britanniæ diversis subessent Regibus, nec aliud remedium supererat, quam ad Summi Pontificis judicium recurrere. Ita contigit, ut, cum sæpe litigantes se sponte subjicerent, sæpe varia adjuncta statim Sacram Sedem adire suaderent, non solum majores Ecclesiæ universalis Causæ, sed etiam minores promiscue ad SS. Pontificum Tribunal devolverentur.

nus sub Episcopo Ranario fuisset, desiderio solitudinis ductus quinque viros Ecclesiasticos plerosque Presbyteros ejusdem Diœcesis socios sibi delegit, & a quodam Dynasta, cui nomen Ratwilus, Locum, vulgo *Roton*, qui hodie Redonum dicitur, anno octingentesimo trigesimo primo donatum obtinuit. Quidam Eremicola, nomine Gerfredus, qui Floriaci ad Ligerim S. Benedicti Regulam ad amussim servare didicerat, S. Convoyonem & Socios ipsius illa Disciplina imbuit; cumque novum istud institutum a quibusdam hominibus, quos invidia urebat, turbaretur, Vir Sanctus Confratrem suum Luhemelum ad Nomenoyum Ducem, tunc Francis subjectum, misit ad exorandum præsidium. Ipse Dux ad Monasterium se contulit, eique nomine Ludovici pii Imperatoris agros donavit, qui eodem anno octingentesimo trigesimo quarto hanc donationem confirmavit, & aliqua alia munifice addidit. Ex quo autem favor Principis hoc Monasterium S. Salvatoris Redonense adjuvit, mirum in modum florere cœpit, ibique permulta miracula patrata, quibus & istud adnumeratur: Homo quidam cœcus, cui nomen Coslinus, patria Pictaviensis, postquam recuperandi visus causa complura loca Sacra adiisset, in somnio admonetur, ut Redonum confugeret. Ubi illo perve-

Sæculum IX. A. C. 848.

nit

Sæculum IX. A. C. 848.

nit coram S. Convoyone in terra prostratus ait: *Sancte Presbyter, miserere mei, & redde mihi oculorum usum, quem jam ante multum temporis amisi.* Vir Sanctus, postquam diu vocem tenuisset, dixit. *Tace, frater mi! meum non est cæcis lumen reddere.* Illo autem efflictim deprecari non cessante, jussit S. Abbas, ut ad hospitium pauperum deduceretur. Mox ad Ecclesiam S. Salvatoris delatus, convocatis omnibus illius Monasterii Presbyteris, ait: *Ite celeriter, Sacris vestibus induimini, & Deo Sacrificium offerte.* Ipsis mandata peragentibus, dixit deinde Abbas ad Monachum sibi ministrantem, qui hanc historiam scripsit, *affer cito labrum æneum, in quo Presbyteri peracto Sacrificio manus lavant.* Et postquam manus abluissent, ait: *Defer hanc aquam ad cæcum, lavet oculos & faciem. Tu vero dic ei: fiat tibi secundum fidem tuam.* Cum igitur cœcus hac aqua se laviſſet, exiit ex oculis & naribus ejus sanguis, quo tota facies perfusa, & confestim visu recepto Deum laudans tres quatuorve dies in Monasterio versatus est.

§. XLIV.

Novi Episcopatus in Britannia.

Ubi S. Convoyo cum duobus Episcopis Romam pervenit, Leo Papa, convocata Synodo, illos quoque adesse jussit. Cum

Cum vero Episcopi Britones increparentur, quod pro Ordinationibus munera accepissent, responderunt, se id feciſſe ex ignorantia. At quidam Archiepiscopus, cui nomen Arsenius, dixit: *Episcopus nihil ignorare debet.* Subjecitque Papa illa verba ex Evangelio: *Si Sal evanuerit, in quo salietur?* Itaque Concilium declaravit; nulli Episcopo licere quidquam pro collatione ordinum accipere sub pœna Depositionis. Idem Concilium plures alias quæstiones, de quibus Episcopi Britanniæ Sacram Sedem consuluerant, resolvit, quod ex Epistola Papæ ad eos data liquet. In ea Summus Pontifex loquitur in hunc modum: Sæculum IX. A. C. 848. *Matth.* 5, 31.

Requiritis, an Episcopi Simoniæ convicti possint servato Episcopali Ordine pœnitentiam agere, & respondemus, secundum Canones esse deponendos, si modo sententia feratur in Concilio & a duodecim Episcopis, aut si per septuaginta duos idoneos testes probentur rei. Si autem Episcopus accusatus petat Romæ audiri, illo mittendus est. Papa deinde ad sex Articulos, de quibus fuerat consultus, respondet, & inter alia definit; Presbyteros ad Synodum venientes non esse compellendos, ut munera seu Eulogias afferant, ne propterea venire graventur. Ne Sortes in Judiciis adhibeantur, quia aliquod genus divinationis sunt. Episcopos non

to. 8. *Conc. p.* 30.

c. 3.

c. 4.

Sæculum IX. A. C. 848. c. 6.

debere ſententiam ferre ſecundum Commentarios & libros aliorum Scriptorum, ſed tantum ſecundum Canones & Papa-rum Epiſtolas Decretales. Tum enumerans Concilia & Pontifices in Codice Canonum contentos unicum S. Silveſtrum ante Siricium ponit. Unde patet eum Collectionis Iſidori nullam rationem habuiſſe. Cum iſta Epiſtola Papa Duci Nomenoyo corpus S. Marcellini Papæ, qui jam illa ætate ſed ex levi fundamento Martyr credebatur, opera S. Convoyonis transmiſit.

Baron. an. 855.

Sup. l. XIII. §. 4. v. Tille. to. 5. p. 613.

Epiſcopis Britanniæ in patriam reverſis, Nomenoyus offenſus, quod eos Papa non depoſuiſſet, eosdem ipſe de Sedibus ſuis dejicere, & ſimul viam quærere, qua ad Regnum perveniret, conſtituit; quippe civitates, Nannetum, Rhedones, & regiones Andegavenſem atque Cenomanenſem usque ad Meduanam amnem in poteſtatem redegerat. Ergo quatuor Epiſcopos Britanniæ, ſcilicet Subſannium Venetienſem, Salaconem S. Maclovii, Felicem Cornubienſem & Liberatum Vorganienſem cum magna Optimatum frequentia convocat, & compellit ad abdicandam Dignitatem Epiſcopalem deponendo baculum & annulum, communia Epiſcoporum Inſignia. Imo iis mortem ſecreto denunciari, niſi ſe reos confiterentur, juſſiſſe fertur. In

Nar. to. 8. Conc. in fin. & ap. Sirm. poſt Capit. Car.

Sedes

Sedes depositorum quatuor alios (*) ordinari præcepit, cumque satis intelligeret, Archiepiscopum Turonensem hos consecrare recusaturum, & ne quidem in Britanniam venturum, ne Regem Carolum offensum haberet, tres novas Sedes Episcopales, antea Monasteria, nempe Dolæ, Brioci & Trecorii erexit, Episcopum Dolensem Metropolitanum esse voluit, & sic Britanniam a Diœcesi Turonensi avulsit. Rebus Ecclesiasticis ita compositis ab his septem Episcopis Dolæ suo arbitrio Rex unctus & inauguratus est. Exinde tres novi Episcopatus semper steterunt, & Dola jure & auctoritate Ecclesiæ Metropolitanæ per annos trecentos eminuit. Sæculum IX. A. C. 848.

§. XLV.

Papa Romam munit.

Hæc anno circiter octingentesimo quadragesimo octavo agebantur. At eodem anno Pontificatus sui secundo Leo Papa S. Petri Ecclesiam muro cingere cœpit. Totius Civitatis Romanæ nobiles viros rapinas a Saracenis impune *Anast. in Leon. to. 8. Conc. p. 17.*

(*) Ex Fleurii narratione non satis apparet, a quibus hos alios Episcopos ordinari præceperit, an a depositis vel aliunde accersitis. Sed neque in ipso fonte, scilicet in Actis Benedict. vit. S. Covvoionis istud clarius indicatur.

Sæculum IX. A. C. 848.

avectas impatientissime dolentes & in futura tempora pejora metuentes Leo bene sperare jussit, constituitque propositum a Leone III. Prædecessore suo conceptum exequi; ille enim novam civitatem apud Basilicam S. Petri jactis fundamentis condere aggressus fuerat. Cum hac de re Leo IV. Lothario Imperatori scripsisset, is consilium optimum lætissimus approbavit, hortatusque est Papam, ut tanto operi manum strenue admoveret, in subsidium tam suo quam Regum fratrum suorum nomine non exigua pecuniæ vi transmissa. Papa accepto Imperatoris responso Romanos ad deliberandum de re tantæ molis convocat. Statutum, ut ex omnibus civitatibus Reipublicæ subjectis & ex Monasteriis artifices advocarentur, ut per vices maximo operi instarent. Quatuor annorum spatio ædificium perfectum est, Papa cura continua utilissimæ rei invigilante; nam tempus omne quod ab officiis spiritualibus supererat, huic negotio dabat, nec frigore ventis pluviisve retardari se patiebatur, quin ipse inspiceret, an opus satis promoveretur.

Anast. p. 10. Eodem tempore, scilicet, Indictione duodecima, quæ hoc anno octingentesimo quadragesimo octavo inibat, Papa ipsius urbis mœnia vetustate collapsa reparabat. Portas restauravit, & turres quin-

decim

decim a fundamentis extruxit, sæpissime jam equo vectus, jam pedibus, opus inviſens. Præter alia turres duas ſuper Tiberim prope portam, qua ad portum Romanum exitur, eduxit, præparavitque catenas, quibus objectis etiam parvæ hoſtium naviculæ prohiberi poſſent. Permulta etiam Sanctorum corpora, quo ſecurius ſervarentur, in urbem transtulit. Sæculum IX. A. C. 849.

Anno ſequente octingenteſimo quadrageſimo nono, Indictione duodecima, Saraceni Tozaram in Sardinia appulſi, inde ſolvunt in portum Romanum vela facturi. Romanis maxima conſternatione trepidantibus, Neapolitani, Amalphini & Cajetenſes conſcenſis navibus Oſtiam devehuntur, unde miſſis ad Papam nunciis ſignificari jubent, ad præſtandum celeriter auxilium & adverſus Saracenos dimicandum ſe adveniſſe. Papa quo eorum fidem exploraret, rogat, ut Legatos Romam mitterent. Tum cunctorum Dux nomine Cæſarius, Sergii Militiæ Magiſtri filius, cum paucis ſociis Romam venit, & quæ per ſuos nunciaverat, coram Pontifice rata eſſe affirmat. Ergo Papa pluribus armatorum cohortibus ſtipatus Oſtiam ſe confert, ut affectus, quo Neapolitanos complectebatur, pateret. Illi Pontificis pedes exoſculati rogant, ut ſibi ſua manu Sacram Communionem præberet, & ad ineundum forti- *p.* 12.

Sæculum IX. A. C. 849.

ter prœlium firmaret. Itaque Papa inter publicas supplicationes ad Ecclesiam S. Auræ omnes deducit, ubi genibus flexis Oratione illius temporis adjunctis conveniente super eos pronunciata, & celebrata Missa, cunctos Corpore Domini nostri communit. Altera die, cum Papa inde discessisset, adsunt Saraceni triremibus permultis advecti, quos dum Neapolitani strenue invadunt, superveniens turbo pugnantes dirimit. Saraceni partem plurimam fluctibus obruti. Multi in Insulis, fame jam prope exanimes, interfecti, non nulli ad terrorem furca prope urbem Portuensem suspensi, non pauci Romam perducti ad diversa opera & imprimis ad extruenda mœnia, quibus Papa Vaticanum cinxit, manus commodare jussi sunt.

§. XLVI.

Rerum in Hispania conspectus.

Sup. lib. XLIV. §. 49. Sebast. Salmant. p. 53.

Sub illa tempora Cordubæ, quæ Muslimannorum in Hispania Metropolis erat, Barbari melioris partis vastissimi Regni Domini Christianos persequebantur. Ceteræ Hispaniarum Provinciæ tribus Principibus Christianis parebant. Alphonso Casto, Rege Asturiæ, postquam annis quinquaginta regnasset, anno octingentesimo quadragesimo secundo, Æra octingentesima octogesima, fatis functo

Rami-

Sæculum IX. A. C. 849.

Ramirus Veremundi filius a populo electus succesſerat. Is ornatiſſimam Eccleſiam in honorem Sanctæ Virginis ædificavit duobus millibus ab Oveto poſitam, & poſtquam regnaſſet annis ſeptem, in pace quievit. Ei ſucceſſit filius Ordogno anno octingenteſimo quadrageſimo nono, Æra octingenteſima octogeſima ſeptima, & annis ſexdecim Sceptrum tenuit. Compluribus civitatibus, unde Alphonſus Muſulmannos ejecerat, nempe præter alias Tudenſi, Aſturigenſi, & Legionenſi incolas dedit. Alphonſo caſto imperante S. Jacobi Apoſtoli Corpus Compoſtellæ in Gallæcia inventum, & Alphonſus modicam Eccleſiam in illo loco ædificaſſe fertur. Iſtud vero conſtat, quod Sæculo hoc nono Fideles credideriſt, oſſa S. Jacobi, S. Joannis Germani, Jeroſolyma in extremam Hiſpaniam fuiſſe translata, & omnibus iſtarum Reliquiarum maximam fuiſſe venerationem. Ita hac de re Uſuardus & Ado in ſuis Martyrologiis.

Sampir. Aſtor. p. 57.

25. Jul.

Interim ad Pyrenæos montes novum Regnum oriebatur; nam Eneconem ſeu Ignigonem, cognomento Ariſtam, Vicecomitem Bigerrenſem, anno circiter octingenteſimo trigeſimo Chriſtiani illius regionis Regem ſalutarunt, ut contra Muſulmannos pugnaret, contra quos nec a Gothis, Alphonſi Caſti Subditis,

Marc. hiſt. Bearn. l. II. c. 2. l. III. c. 1.

Sæculum IX. A.C. 849.

utpote nimis remotis, nec a Francis sub languenti Ludovici pii imperio præsidium habebant. Ignigone anno octingentesimo trigesimo quinto rebus humanis erepto successit Chimenus filius, & huic rursus filius suus Ignigo, qui Pampelonam cepit, & anno octingentesimo quinquagesimo in vivis fuisse legitur. Hæc fuere Regni Navarræ principia. In alia Hispaniarum parte Catalonia & Rascinorensis Comitatus Francis suberant, atque Ecclesiæ Barcinonensis, Urgelitana, Gerundana, & Elnensis Ecclesiam Narbonensem Metropolim habebant.

Musulmannis illa tempestate in Hispania imperabat Abderamus hujus nominis tertius, qui annis triginta & uno, scilicet ab anno octingentesimo vigesimo primo, Hegiræ ducentesimo sexto, usque ad annum ducentesimum trigesimum octavum seu annum Salutis octingentesimum quinquagesimum secundum regnavit. Anno Regni ejus vigesimo tertio, Salutis octingentesimo quadragesimo tertio plus quam centum navium classis Ulissiponem lacessivit. Anno sequente alia & ista numero superior Hispalim obsedit, & postea Gaditanum portum oppugnavit. Hos prædones non alios fuisse, credere pronum est, quam Normannos, quos tandem Arabes magna clade accepta & vix editis compluribus prœliis depulerunt. Anno

Rodenr. hist. Arab. c. 25.

no octingenteſimo quadrageſimo ſeptimo Abderamus miſſis in Franciam Legatis pacem petiit a Rege Carolo, qui eos Remis in conſpectum admiſit. Eodem tempore omnes Chriſtiani Abderami poteſtati ſubjecti miſſo ad Regem, ad Epiſcopos & Fideles Regni Francorum libello querelas movebant contra quemdam Bodonem, quod olim Chriſtianus, & aliquot abhinc annis Judæus factus, Abderamum & Muſulmannos ſollicitaret contra Chriſtianos in Hiſpania degentes, velletque omnes compelli, ut vel ad Judæos vel ad Mahometanos deficerent. Hæc res perſecutioni futuræ præluſiſſe videtur. Ceterum permulti Gothi aliique Chriſtiani, ut ſe jugo Infidelium ſubtraherent, in Franciam tranſiverant, litteris anno octingenteſimo decimo ſexto a Carolo Magno & Ludovico pio impetratis, quibus eis præſidium promittebatur. Rex Carolus Calvus, cum Toloſam anno octingenteſimo quadrageſimo quarto obſideret, ſimiles litteras illis conceſſerat, qui Barcinonam & ad alia loca propinqua confugerant, ſpondebatque eos eodem jure ac Francos eſſe habendos.

Sæculum IX. A. C. 849.

An. Bertin. 847.

tom. 1. *Cap. p.* 499. 569. *to.* 2. *Cap. p.* 26. *Coint. an.* 844. *n.* 50.

§. XLVII.

Martyres Cordubenſes. S. Perfectus.

Sub initium Regni Abderami duo Fratres Adolphus & Joannes Martyrium paſſi

Eulog. l. II. memor. c. 8.

Sæculum IX. A. C. 850.

passi sunt, quorum Acta Speraindeo Abbati Cuteclarienſis conſcripſiſſe creditur. Horum memoriam Eccleſia vigeſima ſeptima Sept. colit. Anno octingenteſimo quadrageſimo duæ Virgines Chriſtianæ Nunila & Alodia prope Najaram in Navarra mortem pro Chriſto perpeſſæ ſunt, & poſt elapſum biennium earum corpora in Monaſterium S. Salvatoris Leyrenſe, quod tunc Legerenſe dicebatur, translata. Earum honori dies vigeſima ſecunda Octobris in Eccleſia dicata eſt. Sed magna perſecutio anno octingenteſimo quinquageſimo, Æra octingenteſima octogeſima octava, Regni Abderami vigeſimo nono incepit. Perfectus Presbyter Cordubæ natus, Monaſterii S. Aciſcoli, ubi totam ferme juvenilem ætatem transegerat, alumnus, ſcientia Eccleſiaſtica apprime inſtructus, Muſulmannis erat notiſſimus, quia linguam Arabicam callebat. Sed olim coram *Cadi*, ſeu Muſulmannorum Judice mortis metu turbatus fidem negaverat. S. Aciſcolum vero, quem modo nominavimus, accepta corona Martyrii cum Sorore ſua Victoria Cordubæ ſub Diocletiano celebrem reddidit; quos Eccleſia decima ſeptima Novembris honore proſequitur.

Martyr. R. 27. *Sept.* *Moral. ad c. 7 l. 11. S. Eulog.*

Martyr. R. 22. *Oct.*

Eulog. ibid. c. 1 Boll. to. 10. p. 584.

Prud. Peri-ſteph. hym. 4. *Martyr. R.* 17. *Nov.*

Quadam die cum Perfectus Presbyter per urbis plateas rem ſuam domeſticam curaturus procederet, Muſulmanni non

non cogitantem affantur, quæstiones de Religione movent, & percontantur, quid de JEsu Christo & Mahomete sentiret. *JEsus Christus*, respondit ille, *est Deus super omnia Benedictus in Sæcula. De Propheta autem vestro quid Christiani sentiant non audeo vobis dicere, ne vos acriter offensos habeam. Si vero fidem datis, vos iram cohibituros, dicam.* Illis spondentibus, ipse lingua Arabica adjecit: *Credimus, Mahometem falsorum Prophetarum e numero esse, de quibus Evangelium prædixit; seducent plurimos, & in ignem æternum præcipitabunt.* Addidit plura alia, quibus nefariam lasciviam in Secta Mahometis approbatam arguebat.

Sæculum IX. A. C. 850.

Rom. IX. 5.

Illi tunc quidem dissimularunt, haud diu vero post iidem Musulmanni conspicientes S. Perfectum ad curandam rem familiarem domo sua egredientem dixerunt adstantibus: *En virum, qui nuper Prophetæ, a Deo benedicto, anathema pronunciavit, oneravitque blasphemiis, quas æquis auribus audire non potestis!* Tunc vero venientem comprehendunt, tam velociter abstrahunt, ut pedes ejus vix terram contingerent, & Judici sistunt, clamantes: *Homo iste maledixit Prophetæ nostro, & in eos, qui Mahometem colunt, convicia ingerit. Non ignoras, quæ pœna deceat tantum nefas. Cadi* Perfectum

S. Perfecti Confessio.

Sæculum IX. A C. 850.

fectum carceri tradi jubet vinculis ferreis onustum, in Festo, quod Musulmannis pro Pascha est, interfecturus. Sanctus autem Confessor in carcere vigiliis, jejuniis & orationi incumbens, ut in Sancta fide, quam aliquando coram mundo negaverat, confirmaretur, in spiritu Prophetiæ prædixit, *Nazar Hageb* seu Cubicul-

Bib. Orient. p. 78. 198.

riis Præfectum, Spadonem, quem Sultanus Purpuratorum principem & in negotiis ad Hispanias spectantibus Min-

ibid. p. 419.

istrum habebat, præcoci fato ex vivis migraturum. S. Perfectus de eo loquens, ait: *vir iste hodie potentissimus, postquam me interfecerit, usque ad finem anni hujus non superverit.*

Postquam S. Perfectus aliquot mensibus in carcere fuisset detentus, & jejunio solemni mensis *Ramadan* a Musulmannis celebrato adveniisset Festum primæ diei mensis *Chaoval*, quod inter maximæ lætitiæ signa agere solebant, Martyr e carcere emissus trans Betim fluvium in latissima prata, qua Civitas Cordubensis meridiem spectat, raptatur ultimo supplicio afficiendus. Accurrit turmatim ad spectaculum populus, & ipse iterato Mahometi & Sectatoribus ejus Anathema dicens capite plectitur die Veneris decima octava Aprilis anno octingentesimo quinquagesimo, qua die Ecclesia ipsius memoriam colit. *Nazar*

Mart. Rom. 18. Apr.

Evnu-

Evnuchus e vivis raptus, priusquam annus ille totus effluxisset, sua morte testatum fecit, Sanctum Martyrem vera dixisse. Sæculum IX. A. C. 850.

Sub idem tempus quidam mercator nomine Joannes accusatur, quod Mahometi maledixisset, eosque, qui emptionis causa ad ipsum venissent, ad abjiciendam infamem Sectam sollicitasset. *Cadi*, seu Judex, hunc virum non quidem omnino blasphemiæ convictum credidit, & morte dignum, attamen crudelem in modum cædi jussit, ut cogeretur JEsu Christo renunciare. Verum Joannes, quæ sibi objiciebantur ultro confessus, edixit, se JEsu Christi Crucifixi in ultimis esse inhæsurum. Prætor plusquam quingentis plagis concisum, semivivum asino imponi & versa ad caudam facie per urbem jubet circumduci præcone clamante: *Ita puniuntur, qui Prophetam blasphemant, & Religionem contemnunt.* Rursus deinde in carcerem mittitur, ubi eum S. Eulogius, hujus historiæ Scriptor, socium habuit, cum & ipse eodem detrusus est. Hi duo viri Perfectus & Joannes, primitiæ Martyrum in illa persecutione, ceteros ad imitandum nobile exemplum excitarunt. *Eulog. mem. lib.* 8.

§. XLVIII.

Sæculum IX. A. C. 850.

§. XLVIII.

Normanni Franciam depopulantur.

Chr. Norm. Interim Normanni Franciam depopulari non ceſſabant. Jam anno octingenteſimo quadrageſimo ſexto facta in Friſiam irruptione Eccleſias deſtruxerant, & inermem populum ad eas confugientem trucidaverant. Quod ubi ad aures Epiſcoporum, Abbatum Flandriæ, & vicinarum regionum fama detuliſſet, Reliquias ſuas in Monaſterium S. Audomari firmis muris turribusque munitum deportarunt. Erant vero Reliquiæ S. Bavonis, S. Wandrilli, S. Ansberti, S. Wulframi, S. Piaſti, S. Winoci, S. Auſtrebert & duorum Monachorum ignoti nominis. Ceterum quorumdam Sanctorum corpora illo translata, ibi poſtea per annos quadraginta cuſtodita fuere. Anno ſequente octingenteſimo quadrageſimo ſeptimo Dorſtatum in Friſia incendunt, & Inſulam Bataviam ſeu *Betau* occupant. In Aquitaniam advecti Burdegalam ingenti labore diu obſeſſam tandem anno octingenteſimo quadrageſimo octavo, Judæis patriam prodentibus, expugnant, diripiunt & igne vaſtant. Sors eadem Metulliacum hodie *Melle* in territorio Pictavienſi afflixit.

Ann. Fuld. 847. *Bert.* 847. 848.

Ann. Bert. 850. Anno octingenteſimo quinquageſimo Normanni Duce Rorico iterum Friſiam, Bata-

Sæculum IX. A. C. 850. *Chr. Norm.*

Bataviam & Rheni Vahalisque ripas rapinis exhauriunt. Gandavum veniunt, Sanctique Bavonis Monasterium injectis ignibus cremant. Lotharius Imperator, cum Piratarum vim repellere non posset, Roricum Vasallum recepit, eique Dorstatum & alios Comitatus concessit. Interim aliæ Normannorum cohortes Menapios, Tarvisinos aliosque populos maritimos spoliant; at rursus alii ejusdem nationis prædones, cum Angliam invadunt, repelluntur. Godefrido autem uni ex eorum Ducibus, postquam adversa Sequana invectus usque Bellovacum perveniisset & urbem diripuisset, Carolus Rex pactis fœderibus eodem anno octingentesimo quinquagesimo agros colendos concessit.

§. XLIX.

Gotteschalcus fustibus cæsus & Carceri datus.

Inter hæc in Gotteschalcum Monachum, qui Hincmari curæ commissus fuerat, Cadurci ad Oesiam anno octingentesimo quadragesimo nono tredecim Episcopi, jubente Rege Carolo ad negotia Reipublicæ tractanda congregati, sententiam pronuntiarunt. Notissimi Episcoporum fuere Venilo Archiepiscopus Senonensis, & Hincmarus Remensis, Rotadus Episcopus Suessionensis, Lupus Catalaunensis, Pardulus

to. 8. *Con. p.* 55. *Hincm. de præd. c.* 2.

Sæculum IX. A. C. 850.

dulus Laodunensis. Adfuerunt etiam duo Chorepiscopi, quorum alter erat Rigboldus Remensis, tres Abbates nempe Ratbertus Corbejensis, Bavo Orbacensis & Halduinus Altivillarensis. Ergo in illo conventu Gotteschalci ejusque causæ instituto examine, Hæreticus & contumax judicatur, & deponitur Sacerdotali gradu, quem contra Canones a manibus Rigboldi Chorepiscopi Remensis Episcopo suo Rotado Suessionensi hujus rei inscio acceperat. Præterea ut insolentia & obstinatio hominis puniretur, secundum Canones Concilii Agathensis & Regulam S. Benedicti, ut ferebat sententia, virgis cædendus erat & carceri mancipandus, quod in causas civiles & Ecclesiasticas temere se ingessisset. Prohibitus est docere amplius, perpetuum indictum silentium, & sententia districtim executioni mandata; nam publice inspectante Rege Carolo duris verberibus castigatus Scripta sua flammis tradere coactus, & in Abbatia Altivillarensi Diœcesis Remensis inclusus est, quia Hincmarus Rotadi Episcopi ipsius fidem suspectam habebat.

Ann. Bert. 849.

§. L.

Scripta pro & contra Gotteschalcum.

Gotteschalcus ne quidem in carcere calamum

lamum valere jussit, sed scripsit ge- Sæculum IX.
minam Fidei Confessionem, breviorem A. C. 850.
unam, alteram prolixam, utramque vero *ap. Usser.*
in eundem sensum. *Credo*, inquit in *p. 211.*
priore Confessione, *quod Deus Electos ad vitam æternam gratuito elegerit, & justo suo judicio Reprobos ad mortem* (*) *æternam prædestinaverit, quia Præscientiam certissimam eorum peccatorum habuit. Nam ipse Dominus dicit: Princeps hujus Mundi jam judicatus est.* Joan. 16, 11. *Quod S. Augustinus ita explicat: id est, quod irrevocabiliter ad ignem æternum destinatus sit. Item dicit Dominus: qui autem non credit, jam judicatus est.* Joan. 3, 18. *Id est, inquit S. Augustinus, peractum est judicium etsi necdum apparuerit.* (**) Postquam

(*) Si Deus ideo Reprobos prædestinavit ad mortem æternam, quia eorum demerita infallibiliter prævidit, jam non est proprie prædestinatio, cum demeritorum cognitionem non præcedat, sed sequatur. Et saltem ejusdem rationis prædestinatio non est, ac illa Electorum ad vitam, quæ prævisionem meritorum præcedit. Attamen, nec in isto sensu Gotteschalci Deus Reprobos prædestinat ad mortem æternam, quia dicit, per os Ezechielis Prophetæ c. 33. v. 11. *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat.*

(**) Hic novum habemus illius rei exemplum; omnes semper Hæreticos ad propugnan-

Sæculum IX. A. C. 850.

quam complures alios Textus ex S. Auguſtino attulit, citat etiam S. Gregorium, S. Fulgentium præſertim Librum ad Monimum, & S. Iſidorum.

Sup. lib. XXXI. §. 56.

Altera Gotteſchalci Confeſſio in modum orationis ad Deum dirigitur. Fundatur in Dei immutabilitate, cujus effectus eſt Decretorum ejus æternitas. Dicit,

p. 225.

Prædeſtinationem eſſe in ſe ipſa unam, quamvis in ſuis effectibus duplex ſit, ſicut S. Auguſtinus dicit, duplicem eſſe Charitatem erga Deum & erga hominem. Dicit

p. 232.

etiam ſe percupere, ut ad Doctrinam illorum, qui quæſtionem hanc non ſatis capiunt, ſibi liceret, quod verum credit

Gotteſchalcus.

in aliquo Conventu coram multitudine populi

dos errores ſuos Auctoritatem S. Scripturæ fruſtra obtendiſſe. Cum enim Auctoritate Eccleſiæ eſſent deſtituti, facile convincebantur, quod genuinum S. Scripturæ ſenſum non aſſequerentur. Hinc etiam Proteſtantes, ut ut ſemper Scripturam crepent, & ad confirmandam ſuam Doctrinam Textus Textibus accumulent, nihil tamen probant, quia vel nullius Eccleſiæ Auctoritatem adducunt, ſicut Interpres Fleurii & D. Mosheim, vel ſi, neſcio quam, Chriſti Eccleſiam jactent, quam ipſorum opiniones docuiſſe dicunt, illam tamen nec nominare poſſunt, nec indicare, quo tempore & quo loco, a Romana Eccleſia diſtincta, extiterit. Imo D. Mosheim in ſuis Prolegom. ad Hiſt. Hæret. admittit, Eccleſiam errare poſſe,

populi Fidelis, Rege, Episcopis, Presbyteris, Monachis & Canonicis præsentibus publice defendere. Petit sibi dari licentiam, per probationem ignis suam Doctrinam demonstrandi; quippe paratum se continuo in quatuor dolia aqua fervente, oleo & pice plena & tandem in ignem maximum ingredi, (*) ea conditione, ut si salvus & incolumis exiret, veritatem ipsius Doctrinæ omnes confiterentur, si autem ipse ardorem experiri non auderet, aut usque in finem non sustineret, flammis perire cogeretur. *Flod. III. c. 21.*

Sæculum IX. A. C. 850.

Hincmarus vero data ad Prudentium Episcopum Trecensem epistola eum con-

posse. Quomodo autem ejusmodi Protestans certus esse potest, quod veram Fidem teneat? Duobus modis Deus Fidei veritatem revelat, vel immediate sicut Apostolis & S. Paulo, vel mediate, nempe ope S. Scripturæ & Ecclesiæ. Jam vero Revelationem immediatam non dicit se accepisse D. Mosheim; sed nec mediate Fidem discere potuit ab Ecclesia, quam credit errare posse. Nihil ergo supereſt, quam S. Scriptura. Sed, quæso! si fatente D. Mosheim tota Ecclesia in exponenda S. Scriptura fallere & falli potest, quanto magis ipsa solus? Quid sequitur, nisi omnibus Christianis, si Auctoritatem Romano-Catholicæ Ecclesiæ rejiciant, nullam esse infallibilem Fidei Regulam?

(*) Ex his satis liquet, Monachum fuisse fanaticum.

Sæculum IX. A. C. 850.

suluit, quo potissimum modo Gotteschalci pertinaciam expugnare deberet. Docet, quæ in Concilio acta fuerint, & omnia remedia, quæ ad eum convertendum adhibuerit. Quærit, an eundem ad officium in Cœna Domini vel in Festo Paschæ admittere, aut etiam Sacram Communionem ei præbere expediat. Præterea Hincmarus datis ad Monachos Reclusos suæ Diœcesis litteris admonuit, ne Gotteschalci erroribus (videbat enim complures a veneno sibi non satis cavere) seduci & perverti se sinerent.

ep. Rab. ad Hincm.

Inter illos, qui Gotteschalco favebant, fuit Ratramus Monachus Corbejensis. Is data ad Gotteschalcum amicum suum epistola Hincmari litteras liberrima censura perstringebat. Nam Ratrami epistola a custodibus Gotteschalci excepta ad manus Hincmari delata est. At Prudentius quoque Episcopus Trecensis collectis ex Sacra Scriptura & Patribus, maxime vero ex S. Augustino locis duplicis Prædestinationis veritatem probare conabatur. In eo Scripto etiam de libero arbitrio & de JEsu Christo pro omnibus mortuo agebat, quod ad Hincmarum & Pardulum Laodunensem consentientibus Patribus Concilii Parisiis ineunte autumno anno 849. celebrati transmisit. Prudentius eidem Scripto præfixerat epistolam in qua dicit: *Cupiebam tecum amice collo-*

Maug. diff. c. 13.

colloqui præsertim de quæstionibus nunc agitatis, sed cum id mihi permissum non fuerit, compulsus sum tibi scribere, ut te rogarem, ne Auctoritatem S. Augustini te vivo lædi patiaris. Prolixe deinde probat, in quanto pretio hæc Auctoritas in Ecclesia habeatur. Sæculum IX. A. C. 850.

§. LI.

Epistola Synodica ad Nomenoyum.

Concilium Parisiense, (*) cujus hic mentio facta, ex quatuor Provinciis Turonensi, Senonensi, Remensi & Rothomagensi congregatum erat. Venerant Episcopi viginti duo, inter quos celeberrimi adnotantur, Landranus Archiepiscopus Turonensis hujus nominis secundus, Successor Ursmari, qui priori Landrano successerat, Venilo Archiepiscopus Senonensis, Prudentius Episcopus Trecensis, Agius Aurelianensis, Erchanradus Parisiensis, Hincmarus Archiepiscopus Remensis, Pardulus Episcopus Laodunensis, Rotadus Suessionensis, Paulus Archiepiscopus Rothmagensis, & Freculfus Episcopus Lexoviensis. Hi Episcopi Nomenoyo, qui se Regem Britanniæ dicebat, epistolam scripserunt in hunc modum: *Chro. Fontan. Duch. to. 2. p. 388. to. 8. Conc. p. 58.*

(*) In Act. Conc. præponuntur hæc verba: *Concilium Parisiense quod hactenus dictum est a Baronio, Binio, Sirmondo & aliis Turonense IV.*

Sæculum IX. A. C. 850.

Quamquam Christiani nomen geras, Christianorum tamen agri tua cupiditate vastati, Ecclesiæ aliæ destructæ, aliæ unacum Sacris ossibus concrematæ. Ecclesiarum Bona, quæ patrimonium pauperum sunt, illicite in tuos usus redacta, rapina, adulteria, corruptiones Virginum passim commissæ, Episcopi legitimi Sedibus propriis expulsi, &, ut mitius loquamur, quia dicere nolumus fures & latrones, mercenarii introducti. Patroni nostri Beati Martini Diœcesis, ex qua vos esse negare non potestis, violata. Tandem ad cumulum malorum auxisti temeritatem, dum Vicarium Beati Petri Apostolicum, cui dedit Deus Primatum in omni orbe terrarum, sprevisti. Cum enim ab eo postulasses, ut libro suo te insereret, & pro te Dei Clementiam exoraret, atque ille datis ad te litteris se id facturum promisisset, si ipsius monitis morem gereres, non solum nihil eorum, quæ mandaverat, fecisti, sed ne litteras quidem ipsas recepisti. Illud etiam deinde exprobrant, quod Lamberto Comiti Nannetensi in Regem Carolum rebelli faveret, & quod certos fines ab exordio Dominationis suæ a Francis inter se & Britones positos transgressus fuisset. Tandem principem hortantur ad pœnitentiam, Dei Judicium timere jubent, & nisi convertatur præmaturam mortem comminantur.

Hæc

Sæculum IX.
A. C. 850.

Hæc epistola a Lupo Ferrariensi composita; inter illius enim Scripta occurrit. Is deinde Bituricas se contulit ad Regem Carolum, qui in illam Civitatem mense Decembri anno octingentesimo quadragesimo nono venerat. Pronum est credere, eum Regi rationem de omnibus, quæ in Concilio acta fuerant, reddidisse, cum Rex ex eo quæsiverit, quam Doctrinam de Prædestinatione, de Libero Arbitrio, & JEsu Christi Redemptione ipse teneret. Lupus Regi breviter explicavit, quid circa has Quæstiones ex Sacra Scriptura & SS. Patribus didicisset. At intelligens, quod suspecta esset sua doctrina, de tribus his quæstionibus composuit Tractatum, quem aliqui alteri Lupo Presbytero Moguntino tribuendum putant; sed longe verisimilius ex calamo Lupi Ferrariensis fluxit. Item data ad Regem Carolum epistola eandem materiam per compendium tractavit. Tandem etiam Collectionem textuum ex SS. Patribus de his tribus quæstionibus edidit.

ep. 84. *Chro. Fontan.*

ep. 128. *ep.* 129.

Mense Martio exeunte anno octingentesimo quinquagesimo Hincmarus datis ad Rabanum litteris, quæcunque in causa Gotteschalci acta fuerant, retulit, eique Gotteschalci Confessionem Fidei majorem cum epistola, quam ipse Hincmarus ad Recluſos dederat, epistolam Ra-

Rabanus ad Hincmarum.

Sæculum IX. A. C. 850.

trami, atque Opus Prudentii misit. Rabanus excusavit, quod senectute & corporis infirmitatibus affectus, ad hæc Scripta calamo respondere non posset, sed tamen, ut Fidem suam de quæstione Prædestinationis profiteretur, Hincmaro misit duos Tractatus olim a se conscriptos, atque ad Nothingum & ad Eberardum directos. Nihilominus etiam in hac ipsa ad Hincmarum Responsoria satis prolixe de eadem materia agit, & hortatur, ut Gotteschalcum ita coerceat, ut nemini amplius vel loqui, vel scribere possit, addens, nolle se suadere, ut ei Communio præbeatur.

Sup. §. 41.

Maug. to. 1. *p.* 29.

Eodem anno Ratramus Monachus Corbejensis duos libros de Prædestinatione scripsit, ut morem gereret Regi Carolo, qui sibi provinciam demandaverat colligendi Textus Patrum, & eorum Auctoritate suam opinionem muniendi. In iis distinctionem duplicis Prædestinationis Electorum & Reproborum asserit, & in fine rogat Regem, ne hujus Scripti oblivisceretur, usque dum ista quæstione ad examen vocata definitum fuerit, quid Fideles credere teneantur. Rex hos duos Ratrami Libros, & Tractatus Lupi Ferrarienſis Hincmaro examinandos tradidit.

§. LIII.

Sæculum IX. A C. 850.

§. II.

Lupi Ferrarienſis Monita Regi Carolo data.

Rex Carolus Lupi prudentiam maximi faciebat, ut ex epiſtolis ejusdem Lupi tribus ad Regem ingenue & conſtanter ſcriptis diſpicimus. *Omnia illa ſollicite conjeci in compendium*, inquit in ſua prima epiſtola, *quæ tibi ſervanda ſunt, ſi beate & tranquille regnare cupis. Singulis diebus Deo, Creatori tuo, & Judici futuro, Gratias age, & ab eo initium, profectum & perſeverantiam in bonis operibus aſſidue poſtula. Nunc enim, cum ad virilem ætatem perveneris, cogitationes pueriles & oblectamenta juventutis dimittenda ſunt, & illa ſerio agenda, quæ Reipublicæ proſint, tibique in hac & in futura vita ſalutem afferant.* Carolus anno circiter octingenteſimo vigeſimo tertio lucem primo aſpexerat; ergo hanc epiſtolam anno circiter octingenteſimo quadrageſimo octavo datam fuiſſe neceſſe eſt, cum annum ætatis vigeſimum quintum ageret. Præterea Lupus in eadem epiſtola Regem hortatur, ut prudentum virorum conſilia quidem exquirat, ſed alieno arbitrio duci ſe non patiatur. Arcanum nullius auribus committeret, quod ſemel ſtatuiſſet, conſtanter exequeretur, impiorum ſocietatem fugeret, homines, quos

Lup. ep. 64.

Sæculum IX. A. C. 850

quos ipse evexisset, nunquam timeret, & nihil supra Salutem Reipublicæ amaret. Ex hac epistola dispicimus, Lupum non ignorasse vitia Caroli Regis, nempe Principis tota vita sua levis & imbecillis.

In alia Epistola, postquam Lupus eadem propemodum monita repetiit, ostendit Regi, quam res sit necessaria, ut mature, priusquam agat, deliberet, & Consiliarios probos deligat. In fine addit: *Mitto Majestati tuæ Historiam Imperatorum in compendium coactam, unde facile perspicias, quid imitandum, quid devitandum tibi sit. Sed rogo, ut Trajani & Theodosii vitas singulari attentione legas.* Epistolæ tertiæ initium est hujusmodi: *Cum ultimo a conspectu Majestatis tuæ recederem, jussus sum tibi mittere libellum, quo ad pietatem excitari possis. Mitto igitur Sermonem S. Augustini, in quo omnes Christianos a consuetudine jurandi abstrahere conatur, ostendens, quam horribile peccatum sit perjurium. Credo hunc Tractatum tibi fore perutilem, si forsan in Proceribus jurandi consuetudinem reprimas, & econtra persuadeas, ne fidem legitime juratam unquam lædant. Dico enim, non adulandi causa, quod, quicunque fidem tibi juramento promissam etiam secreto violet, animam suam gravi peccato perimat.*

ep. 93.

§. LIII.

§. LIII.

Concilium Ticinense.

Sæculum IX. A. C. 850.

Sub finem hujus anni octingentesimi quinquagesimi, Indictione quarta decima, Concilium Ticini (*) celebratum, cui Angilberdus Archiepiscopus Mediolanensis cum Theodemaro Patriarcha Aquilejensi præfuit. *to. 8. p. 61.*

Canones viginti quinque conditi, in quibus memoratu digna mihi visa sunt sequentia. Episcopus in suo cubiculo ad obsequia familiaria & secreta adhibeat optimæ famæ Presbyteros & Clericos, qui eum videant assidue vigilare, orare, Sacram Scripturam legere, qui ejusdem vitæ testes sint & imitatores. *c. 1.* Episcopus non solum diebus Dominicis & præcipuis *c. 2.*

(*) Advertendum, quod hoc Concilium dicatur Synodus *Regia Ticina*, de qua Henricus Canisius in Ant. Lect. in præfat. ad Lectorem inter alia dicit: *Ego de hac Synodo Regiaticina non habeo, quæ adferam. Recensem pagum, in quo Carolus & Ludovicus, Ludovici filii, paternum regnum anno 876. divisérunt, non ausim hic trahere. Tum etiam, quibus rationibus annum Christi 850. indictione 14. & Lotharii & Ludovici trigesimum primum conciliemus?* Deinde suam Observationem Basnagius his verbis incipit: *Canisii difficultatem solvit. Velserus in Epistola, quam etiam P. Labbe inseruit Conciliorum editioni.*

Sæculum IX. A. C. 850.

cipuis Festis Missam celebret, sed singulis diebus, si fieri possit, atque pro se ipso, pro aliis Episcopis, pro Regibus, pro tota Ecclesia & inprimis pro pauperibus oret. Vocabulo *frequentare*, quod ego vocabulo *celebrer* reddidi, forsan non præcipitur, ut Episcopus quotidie Missam celebret, sed tantum ut simpliciter interfit. (*) Item in Concilio præcipitur, ut convivium Episcopi sit frugale, & non ibi exhibeantur spectacula risum moventia. Non veniant Sycophantæ & histriones, sed accumbant peregrini & pauperes, legatur Sacra Scriptura, sermones de rebus piis & sanctis conferantur. Episcopus non gaudeat avibus, non canibus, non equis, non amet pretiosum vestium cultum, nec omne, quod fastum redolet. Sit simplex & verax in eloquio.

c. 5. Sacras Scripturas jugi meditatione discutiat, ut inde Presbyteris ac Clericis suis occultos litterarum thesauros aperiat, populis vero juxta ipsorum capacitatem verbum prædicationis impendat.

c. 13. Parochiarum duo genera distinguebantur, minores Tituli, qui simplicibus Pres-

(*) *Nempe*, ipsa Concilii verba sunt: *Statuimus, ut non tantum Dominicis diebus & præcipuis Festivitatibus Episcopi Missas celebrent; sed cum possibile fuerit, quotidiana quoque Sacrificia frequentent.*

Presbyteris committebantur, & Plebes seu Ecclesiæ Baptismales, quibus Archipresbyteri præerant, quorum erat præter solicitudinem Parochiarum suarum etiam illorum Presbyterorum, qui per minores Titulos habitabant, curam gerere, & cuncta referre ad Episcopum, qui per se ipsum Ecclesiam Matricem seu Cathedralem regebat. Concilium præcipit, ut Archipresbyteri unumquemque Patremfamilias conveniant, curentque, ut tam ipsi quam omnes, qui in eorum domibus commorantur, qui publice crimina perpetrarunt, publice pœniteant. Qui vero occulte deliquerunt, illis confiteantur, quos Episcopi vel Archipresbyteri ad id muneris elegerint. Si Confessarii in aliquo dubitaverint, exquirant sui Episcopi sententiam; Episcopus vero dubitans Collegas suos consulat. Oportet etiam per oppida singula villasque curam gerere Presbyteros, quomodo Pœnitentes præscriptum sibi abstinentiæ modum observent, utrum eleemosynam largiantur, utrum piis operibus vacent, & quanta sit cordis contritio, ut pœnitentiæ tempus vel extendatur vel aliquid detrahatur. Reconciliatio vero pœnitentium juxta antiquorum Canonum instituta non a Presbyteris, sed ab Episcopis fieri debet; nisi pœnitens periclitetur, aut Episcopus absens sit. Qui pœnitentiam publicam agunt,

Sæculum IX. A. C. 850.

c. 7.

Sæculum IX. A.C. 850.

agunt, armati non incedant, non causas litigantium judicent, nec ullo alio munere publico fungantur. Conventus collætantium non accedant, nec invisant amicos. Rem tamen domesticam curare possunt, nisi forte criminum suorum enormitatem usque adeo exhorreant, ut quidquam aliud curare non possint, prout ipsum loquitur Concilium.

Qui perpetratis publice criminibus pœnitentiam subire nolunt, tanquam membra noxia ab Ecclesiæ corpore resecentur, & anathematizentur. Attamen ad extrema remedia non procedat Episcopus, nisi prius nullam aliam viam intentatam reliquerit, & consilium sui Metropolitæ & suæ Provinciæ Episcoporum

c. 11. exquisierit. Excommunicatio autem simplex statim post scelus publice commissum pronuncietur, ut rei ad agendam pœnitentiam cogantur. Eam vero Epi-

Canones Concilii Ticinensis. scopus, in cujus Diœcesi peccatum fuit, injungat ad devitandam fraudem illorum, qui prœdia in diversis Diœcesibus possidentes, Episcopo sibi pœnitentiam injungere volenti dicebant, eam sibi ab altero prius fuisse injunctam. Scribet igitur, qui eum Communione privaverit, aliis quoque Episcopis, in quorum territoriis hujusmodi prœdia possidet, ut quid actum sit sciant. Qui publicæ pœ-

c. 8. nitentiæ mancipatus est, extremam Unctionem

Sæculum IX. A. C. 850.

ctionem non recipiat, nec alia Sacramenta, nisi prius Reconciliationem receperit. Nullus pœnitens, necdum expleto pœnitentiæ tempore conjugium contrahere valeat. Si Patre aut Matre connivente corrupta fuerit filia, ea conjugio copulari non possit, priusquam tam parentes quam filia per publicam pœnitentiam Reconciliationem obtinere meruerint. Nulla ratione Clerici aut Sacerdotes tolerandi sunt, qui sub nullius Episcopi Disciplina gubernantur. Docendi sunt igitur sæculares viri, ut si in domibus suis Divina Mysteria jugiter celebrari velint, quod valde laudabile est, non Acephalorum, sed illorum Presbyterorum utantur opera, qui ab Episcopis examinati fuerint, & cum peregrinantur, litteras suorum Episcoporum, a quibus Ordines acceperint, commendatitias exhibuerint. Diligentissime examinandæ sunt mulieres, quæ illicitum amorem aliorum mentibus, aliis vero odium magica arte immittere, aut etiam, nefas! viros perimere dicuntur, & populi rumore deferuntur. Si reæ sint, hujusmodi Diaboli ministræ ad acerrimam pœnitentiam compellantur, & si digna pœnitentiæ opera fecerint, tandem in articulo mortis reconcilientur.

c. 9.

c. 18.

c. 25.

Præter hos Canones Ecclesiasticos Ludovicus Imperator huic Concilio seu Comitiis Ticinensibus præsens Capitulare

to. 8. Conc. p. 70. to. 2. Capit. p. 345.

Sæculum IX. A. C. 850.

lare edidit ad causas sæculares spectans, quod deinde ab Imperatore Lothario parente ejus confirmatum. In primo articulo consulitur saluti peregrinantium, Romam pergentium, aliorumque hominum iter facientium. Unde dispicimus, frequentissima fuisse latrocinia. Deinde etiam querelæ leguntur, contra Præsules æque ac viros potentes sæculares, quod, ad Regiam iter facientes, hospites
c. 4. ad quos divertebant, variis exactionibus vexarent. Ludovicus anno superiore octingentesimo quadragesimo nono a
Ann. Bert. 850. Leone Papa, jubente ipsius Parente, qui eum Romam miserat, coronatus est Imperator. Anno postea octingentesimo quinquagesimo primo juvenem Impera-
Chron. Cass. lib. I. c. 29. torem Basacius Abbas Cassinensis nomine Longobardorum rogavit, ut eos a Saracenorum incursibus liberaret. Cum ergo Ludovicus Beneventum venisset, ubi eum Radalgisus excepit, ei Saraceni traduntur, quos ad unum omnes cum *Massar* ipsorum Duce nona Maji in Vigilia Pentecostes extra civitatem jugulari jussit.

§. LIV.

Martyres Cordubenses. Isaac.

Eulog. mem. lib. II. c. 1. Interim persequendi Christianos Cordubæ non erat finis. S. Perfecti, fortiter Martyrium sustinentis, exemplo excitati

citati quidam Monachi, ex eremo pro-Sæculum IX.
dierunt, & publice falsum Prophetam A.C. 851.
probris prosecuti sunt; qua re Musulmanni pavidi & seditionem pertimescentes etiam rogare cœperunt Christianos, ut se continerent. Ingens enim erat Christianorum multitudo, quod dispicimus ex magno numero Ecclesiarum & Monasteriorum, de quibus in Historia hujus persecutionis mentio fit. In hanc vero historiam nulla erroris suspicio cadere potest, cum scripta sit illo ipso tempore, quo res gestæ sunt, a S. Eulogio Presbytero teste præsente, qui in eadem persecutione Martyrii coronam adeptus est. Hic ergo cognoscere datur, quænam conditio Christianorum in Hispania sub Mahometanorum imperio fuerit. Duæ nempe erant nationes prorsus distinctæ, sicut hodie Græci & Turcæ, Christianis mores suos, linguam nempe latinam corruptam, & nomina sua tum Gothica tum Romana conservantibus.

Monachorum primus, in hac persecutione Martyrii palmam consecutus, fuit Isaac. Is Cordubæ parentibus nobilibus & opulentis natus, cum linguæ Arabicæ esset gnarus Tabularii publici munus obibat in primo juventutis flore. Ecce autem, subito mente mutata abdicato officio vitam Monasticam in Asceterio Tabennensi septem milliaribus a

Sæculum IX. A. C. 851.

Cordubensi Civitate distante amplexus est; quod Monasterium in densissima silva inter montes admodum asperos geminum scilicet virorum & fœminarum conditum fuerat a Jeremia Isaaci cognato viro prædivite, quo se cum uxore Elisabetha, liberis, & tota ferme familia receperat. Ceterum Martinus Elisabethæ frater Abbas erat, sub cujus Disciplina Isaac ibi tribus annis permansit.

His annis exactis Cordubam venit, & in foro publico Mahometanorum *Cadi* seu Judicem affatus ait: cuperem vestram Religionem amplecti, si eam me docere velles. Dixit Prætor, illud imprimis credendum esse, quod Mahomet docuisset revelante Angelo Gabriele acceptum, cœpitque Doctrinam suam explicare. *Mentitus est Mahomet*, reposuit Isaac, lingua Arabica usus, *Pseudoprophetæ Deo execrabilis, quod tot animas fœde deceptas ad pœnas inferni deduxerit. Vos vero, qui ceteris sapientiores videmini, cur non ex his tenebris emergere, & in lucem Christianæ Religionis prodire desideratis?* Plura ejusmodi ingerentem Judex subita ira abreptus cædit in faciem, sed Consiliariis, qui adstabant, monentibus, id Judicis gravitatem dedecere, & Mahometis lege præcipi, ut mortis rei liberaliter haberentur, ad Isaacum conversus dixit: *Forsan te ingurgitasti vi-*

Lib. 1. memo Præf.

no, & cerebrum turbasti, aut certe phre- Sæculum IX.
nesi laboras, & nescis, quid agas? Isaac A. C. 851.
respondit: *Nec vinum me turbat, nec morbus, sed moveor zelo Justitiæ & veritatis, cujus amore, si necesse sit, libenter mortem subibo.*

His dictis in carcerem a Prætore mittitur, qui cum rem detulisset ad Regem, Isaac ad pœnam capitis damnatur, quod verbis contumeliosis in Sanctum Prophetam invehi ausus esset. Ergo capite truncatur, & corpus trans fluvium pedibus suspenditur, horridum totius civitatis spectaculum. Id contigit Æra Hispaniæ 889. seu anno reparatæ Salutis 851. die Mercurii, Junii tertia, qua Ecclesia hujus S. Martyris memoriam colit. Elapsis aliquot diebus ejus corpus cum corporibus Martyrum, qui præclarum ipsius exemplum secuti fuerant, combustum, *Martyr. R. 3. Jun.* & cineres in profluentem sparsi.

§. LV.

Sanctius, Petrus, Walabonsus & alii.

Die Veneris, ejusdem mensis Junii *Eulog. II. c. 3.* quinta, Sanctius quoque juvenis capite plexus est, patria Albigensis, qui inde olim captivus abstractus, & iterum libertati restitutus, Prætorianis deinde adscriptus Regis stipendia meritus fuerat. Die Dominica, septima Junii sex *c. 4.*

Sæculum IX. A. C. 851. c. 8.

alii Christiani, Petrus, Walabonsus, Sabinianus, Wistremundus, Habentius & Jeremias Martyrio coronati. Petrus patria Astigitanus Cordubæ litteris operam dederat. Walabonsus Eleplæ * natus erat, cujus parens, cum duxisset Mulierem Arabem, eamque ad Fidem Christianam convertisset, e patria migrare & in varias orbis partes fugere coactus fuerat, donec Fronianum, exiguam in monte urbem, quatuor Leucis Corduba distantem, pervenit. Ibi uxor ejus fatis functa gemina prole oneratum reliquit. Filio Walabonsus & filiæ Maria nomen erat. Parens filium Monasterio S. Felicis Fronianensis, sub Disciplina Salvatoris Abbatis obtulit, filiam vero in Monasterio S. Mariæ Cuteclarienſis Deo consecravit. Abbate Salvatore defuncto Walabonsus ad patrem rediit, & deinde Diaconus ordinatus, cum Petro Presbytero Monasterium fæminarum S. Mariæ Cuteclarienſis prope Cordubam regere jussus est, Frugello Abbate, qui haud procul Congregationi Monachorum præerat, supremam omnium curam gerente. Sabinianus & Wistremundus Monasterii S. Zoili Armilati (ita dicti ab amne, in cujus ripa & vasta eremo, decem Leucis Corduba, qua Septentrionem spectat) distantis, alumni fuerant. Habentius Cordubæ natus vitam Monasticam

* seu Niebla Marianæ.

cam amplexus fuerat in Asceterio S. Christophori, adversus Civitatem in ripa Bætis amnis posito, ubi Reclusus degebat; nam a nemine nisi raro & per fenestram conspiciebatur, & sub veste laminas ferreas carni admotas gerebat. Jeremias ille erat senex, Monasterii Tabennensis Fundator. Sæculum IX. A. C. 851.

Sex isti Christi Pugiles ultro in conspectum Prætoris se conferentes uno ore clamabant: *Eandem Fidem tenemus ac Fratres nostri, cur non ad eandem pœnam abripi jubes? JEsum Christum Deum esse confitemur, credimus Prophetam vestrum esse Antichristi præcursorem, cœcitatem vestram dolemus.* Illico morti omnes addicuntur; & præterea Jeremias senio venerabilis, quod ceteris acrius in Mahometem invectus esset, priusquam necaretur, tam acerbe verberibus afficitur, ut viribus exhaustis in gradu suo stare non valeret. Ubi ad locum supplicii perventum, SS. Confessoribus mutuo se se ad constantiam exhortantibus, Petrus & Walabonsus primi carnifici cervices præbuerunt. Omnium deinde corpora palis affixa & post aliquot dies in rogum injecta. Cineres vero in fluvium sparsi. Horum sex Martyrum Ecclesia in die passionis suæ meminit. Martyres Cordubenses. *Mart. Rom. 7. Jun.*

Sæculum IX. A. C. 851.

c. 5.

Diaconus quoque nomine Sisenandus corpus suum Martyrio obtulit, ad id faciendum invitatus, ut ipse fatebatur, a Petro & Walabonso, postquam in Cælum fuissent recepti. Is in civitate Pacisaugustæ natus, Cordubam, ut literis imbueretur, missus in Monasterio S. Aciscoli educatus est. Creditum, horam supplicii sui ipsi fuisse Divinitus revelatam; nam in carcere detentus, cum ad quemdam amicorum literas exararet, scriptis tribus quatuorve lineis exiliit, & hilari vultu inchoatam Epistolam servulo responsum expectanti tradens, ait: *Effuge, fili mi! ne milites te comprehendant.* Mox etiam horrendum vociferantes intrant ergastulum, captivum educunt, atque colaphos incutiunt. Ergo Prætori sistitur, & constanter JEsum Christum confessus die Jovis, 16. Julii, eodem anno 851. in flore ætatis suæ interficitur. Corpus insepultum ante Palatii fores relictum. Sed diu postea, ossa Martyris inter saxa, quæ a fluctibus amnis volvebantur, opera mulierum piarum inventa, & ad S. Aciscolum sepulta sunt. Ecclesia hunc Martyrem in die, qua passus est, colit.

Mart. Rom. 16. *Jul.*

Prud. 4. *Steph.* *Mart. Rom.* 27. *Jun.*

Paulus Diaconus Cordubensis in Monasterio S. Zoili alumnus magna charitate captivis ministrabat (S. Zoilus vero Cordubæ cum aliis novemdecim sub Diocletia-

cletiano Martyrium passus, vigesima septima Junii colitur) porro S. Sisenandi exempla & sermonibus excitatus Prætoris conspectum subit, & exprobrat, quod falsa Religione se decipi pateretur. In carcerem deinde conjectum rogavit Tiberinus Presbyter Pacisaugustanus, ab annis viginti carceri, ob querelas nescio quas contra ipsum ad Regem delatas, mancipatus, ut postquam ad Dei conspectum perveniisset, sibi libertatem obtineret; quod se facturum Paulus promisit. Ipse deinde die Lunæ vigesima Julii Martyrii palmam consecutus est, & mirum! post paucos dies Tiberinus liber e carcere dimissus in domum suam rediit. Sabbato sequente vigesima quinta Julii Theodemirus juvenis Monachus Carmonensis certaminis campum ingressus & coronatus est. Qui ambo in Ecclesia S. Zoili uno sepulchro conjuncti sunt. Ambos etiam Ecclesia illis diebus, quibus passi sunt, honore prosequitur.

Sæculum IX. A. C. 851.

Mart. Rom. 20. & 25. *Jul.*

§. LVI.

Flora & Maria.

In hac persecutione Divina Sapientia Martyrii gloriam etiam infirmiori sexui contulit. Prima emicat Flora in vico Ausiniano octo millibus a Corduba dissito ex Matre Christiana & ex Patre

Eulog. II. c. 8.

Sæculum IX. A. C. 851.

Muſulmanno, (*) qui Hiſpali advenerat, nata. Genitore morte ſublato, pia mater Sacræ Religionis legibus filiam imbuit, adeo feliciter, ut ad ſanctitatem vitæ magnis paſſibus contenderet. Adhucdum adoleſcentula in quadrageſima jejunabat, & furtim dabat pauperibus cibum ſibi prandii hora a matre porrectum. Jam pene maximum abſtinentiæ tempus elapſum erat, cum clandeſtina infantis devotio vix quibusdam indiciis revelata eſt. Mater autem verita, ne jejunium tenellæ noceret ætati, vix continuis comminationibus impetrare potuit, ut quidquam de iſto rigore remitteret. Primum quidem Flora paſſim Fidelium intereſſe conventibus non audebat, eo quod frater ſuus, Muſulmannus, ipſius facta omnia exploraret; ſed poſtea illam veritatem edocta, neceſſarium eſſe, ut Fidem palam profiteamur, domo clam & inſcia matre relicta, cum ſorore ſua ad Sanctimoniales, ubi tuto degere poterat, confugit. Frater conceptam iram in Chriſtianorum capita effudit; nam effecit, ut quidam Clerici vinculis darentur, & fœminas illas Religioſas perſequi cœpit. At Flora nullatenus id ſibi feren-

(*) S. Eulogius, qui hæc ſcripſit, habet: *Patrem vero gentilem ex oppido habuit Hiſpalenſi.* Biblioth. Maxim. To. XV.

ferendum existimans, ut propter se Ecclesia vexaretur, publice domum reversa ait: *En ego, quam quæritis. Christiana sum, & quæcunque tormenta pro JEsu Christo sustinere parata!* Sæculum IX. A.C. 851.

Tunc autem frater Floræ, postquam ad eam pervertendam blanditias, minas, verbera frustra adhibuisset, ad judicem eam pertrahit, dicens: *Hæc soror mea, natu minima, Fidei nostræ, sicut ego, obsequium exhibebat; sed eam Christiani suis lenociniis perverterunt.* Prætore Floram interrogante, an res ita se haberet, illa respondit, se Christum ab infantia novisse. Illico Prætor furore accensus, virginem a duobus militibus manus ejus tenentibus extendi jubet, & tam dirum in modum verberari etiam in capite, ut decisa cum cæsarie cute os verticis nudum pateret. Tum Prætor prope exanimem fratri reddit & præcipit, ut ejus vulnera curaret, Legem Mahometis edoceret, & ad se reduceret. Perductam deinde in domum suam frater domesticis fœminis fovendam & deinde pervertendam tradit, solicite cavens ne ulla fugiendi spes supereresset. Nihilominus Flora, cum se sospitem esse sentiret, quadam nocte superato muro, licet admodum alto in tectum vicini tugurii reptat, unde in plateam desiliens, & tenebrarum beneficio usa, in domum cujus-

Sæculum IX. A.C. 851.

dam viri Christiani pervenit. Corduba deinde excedens, ad vicum vulgo *Offaria* dictum prope urbem Tuccitanam se contulit, ubi ad tempus cum sorore sua delituit. Tandem subeunte denuo Martyrii desiderio, Cordubam rediit, cumque in Ecclesia S. Aciscoli oraret & se Sanctis Martyribus commendaret, alia quoque Virgo nomine Maria ad orandum intravit.

Hæc erat Walabonsi Diaconi paulo ante Martyrio coronati soror. Cum Maria esset natu major, eam Walabonsus amore & cultu prope filiali prosecutus fuerat, & ea vicissim fratrem tenerrime amaverat. Huc usque illa in Monasterio Cuteclarienſi permanserat, quo eam parens tradiderat sub Disciplina Sanctæ fœminæ Artemiæ, quorum duo filii Adolphus & Joannes ineunte Regno Abderami sanguinem pro JEsu Christo fuderant. Tunc vero vehementi desiderio exemplum fratris sequendi incensa relicto Monasterio Cordubam venit, ut mortem pro Christo quæreret. Ibi Ecclesiam S. Aciscoli intrat, Floram Dei nutu invenit. Tum communicatis consiliis amplectuntur, osculantur invicem, affirmant, nunquam fieri posse, ut altera ab altera avellatur. Sicque in tanto æstu sponte sua Prætoris conspectum subeunt. Et prior Flora: *En ego illa sum,*

Sup. n. 46.

sum, quam aliquando sævum in modum verberibus laceraſti, quod e ſemine Muſulmannorum † procreata Chriſto tamen adhæſerim. Hactenus quidem infirmitate carnis delitui, nunc vero virtute Dei mei ſubnixa JEſum Chriſtum Deum eſſe profiteor, ſceleſtum autem Pſeudoprophetam veſtrum execror. Addidit Maria: *Ego quoque, quæ inter ſanctos JEſu Chriſti Confeſſores fratrem habeo, coram te profiteor, quod Chriſtum Deum eſſe credam, & veſtram ſuperſtitionem Diaboli eſſe inventum.* Judex minaciter conclamans ambas abſtrahi jubet in carcerem, in quo ſcorta cuſtodiebantur; ubi Sanctæ Virgines jejunio & orationi incubuerunt.

Sæculum IX. A. C. 851.

† Gentili.

§. LVII.

S. Eulogii initia.

Eulogius Presbyter, & ipſe tunc temporis in carcere detentus, cum Sanctas illas puellas noviſſet, atque ad ejus notitiam perveniſſet, quod etiam Chriſtiani earum conſtantiam frangere niterentur, & ipſæ periclitarentur, ſcripſit admonitiones ſaluberrimas, iisque, ut confirmarentur, transmiſit. Ceterum Eulogius Cordubæ ex Ordine Senatorio natus, & inter Clericos Eccleſiæ S. Zoili nutritus, virtute & Doctrina inter ſocios eminuit; tum majoris profectus deſiderio

vit. ap. Boll. 11. Mart. to. 7. p. 91.

Sæculum IX. A. C. 851.

siderio in aliis quoque locis Magistros fama celebres inquisivit, & inter alios Abbatis Speraindeo, quem doctorem eximium tota provincia suspiciebat, discipulus fuit. Ubi ad maturiorem ætatem pervenit, Diaconus & paulo post Presbyter ordinatus ad Doctorum gradum evehitur; quippe in Ecclesia Cordubensi Schola erat illa ætate celeberrima. Exinde Eulogius majorem vitæ rigorem amplexus Sacræ Scripturæ studio vigilias & jejunia jungebat. Sæpe ad Monasteria divertebat, ut magis magisque in virtutibus proficeret, & postquam cuncta illa Asceteria a Cordubensi Civitate haud procul remota lustrasset, in itinere, quod ei in Franciam anno 844. suscipiendum fuit, ad omnia Monasteria in vicinia Urbis Pampelonensis posita perrexit. Inde reversus complures libros tunc temporis vilipensos & propemodum ignotos, quales erant, Civitas Dei S. Augustini, Virgilii Æneis, Horatii & Juvenalis Satyræ & aliquot Christianorum Hymni, attulit. Profectionem quoque ad Urbem Romam in spiritu pœnitentiæ & ad delenda juventutis suæ peccata obire animo constituerat; sed eum ab hoc proposito amici dimoverunt.

Persecutione in Christianos commota, quidam Episcopus nomine Reccafredus

dus Martyribus adversari cœpit, quo etiam postulante carceribus dati sunt Episcopus Cordubensis cum quibusdam aliis, & complures Presbyteri, e quorum numero erat Eulogius, tanquam ille, qui Martyres in proposito editis libris confirmaret. Tunc igitur composuit illam exhortationem ad subeundum Martyrium, Virginibus Floræ & Mariæ inscriptam, in qua inter alia leguntur hæc verba: *Comminatur certe hostis, vos publice in foro venumdandas & prostituendas; sed procul sit tantum ab appetitu animi perniciosa consensio, quia tunc non polluet mentem aliena corruptio, quam non fœdat propria delectatio.* Deinde persecutionem describit in hunc modum: *Repleta sunt penetralia carceris catervis Clericorum, Laudes Divinas ibi cantantium, deserta sunt templa, araneæ parietes tegunt, cuncta tenent silentium. Non Sacerdos thus infert Altaribus, cessarunt Divina Officia.* Et post alia: *Qui vos expugnare tentant, vobis ob oculos ponunt hanc Ecclesiarum solitudinem, & quod non sit nobis in hoc tempore Sacrificium* (nempe erant, qui suadebant, cedendum & dissimulandum ad tempus, donec iterum liberum Sacrorum exercitium permitteretur) *verum*, inquit Eulogius, *Sacrificium Deo acceptabile est cor contritum. Non licet*

Sæculum IX. A. C. 851.

Docum. Mart. to. 8. Bibl. PP. Paris. p. 445. p. 446.

S. Eulogii Epistola.

p. 448.

Sæculum IX. A. C. 851.

cet vobis retro respicere, & veritatem, quam confessæ estis, negare.

Ex eodem carcere S. Eulogius data ad Willesindum Episcopum Pampelonensem prolixa Epistola gratias agit, quod se in Franciam iter facientem maxima charitate excepisset hospitio. Monasteria, ad quæ in illo itinere divertit, nominat, & primo Monasterium S. Zachariæ ad radices montium Pirenæorum prope Aragum flumen situm, Disciplinæ Regularis observantia toto Occidente celebratum. Illa Congregatio pene centenarium numerum excedebat, cui tunc præerat Odoarius Abbas summæ sanctitatis magnæque scientiæ vir. In ea operabantur omnes diversis artibus intenti, silentium & obedientiam exacte servantes. Eulogius aliquot diebus commoratus est in Monasterio Leirensi,† ab Ignigo Arista primo Navarræ Rege constructo, sub Regimine Abbatis Fortunii, cujus orationes in fine Epistolæ expetit, aliorumque quatuor Abbatum, quorum Monasteria vix nota sunt.

to. 8. Bibl. PP. 443.

† Legerensi.

In illa etiam Epistola Eulogius complures Episcopos nominat, ad quos iter faciens diverterat, scilicet, Seniorem Cæsaraugustanum, Sisemundum Segontiensem, Venerium Complutensem, Wistremirum Toletanum, senem venerabilem, quem totius Hispaniæ lucernam appellat.

pellat. Quod Religionem Catholicam etiam sub Dominatione Musulmannorum viguisse comprobat. Sæculum IX. A. C. 851.

Eulogius Willesindo S. Zoili Reliquias, quas ei dare pollicitus fuerat, mittit, additque alias S. Aciscoli. Enarrat persecutionis Cordubensis modum, & nomina omnium Martyrum, qui passi fuerant, initium ducens a Perfecto Presbytero usque ad Theodorum Monachum, notat. Hæc Epistola decimo septimo Cal. Dec. Æra 889. id est, 15. Nov. anno 851. data est.

Interim Judex Cordubensis, instigante Floræ fratre, eam ipso præsente adduci jubet, & interrogat, num eum novisset. Illa: *Novi, est frater meus secundum carnem.* Rursus Judex: *Unde ergo ipse Religioni nostræ fidelis est, & tu Christiana?* Flora respondit: *Annis abhinc octo Majorum nostrorum errorem sequebar cum fratre; sed nunc, postquam Deus mihi veritatem revelavit, statui decertare usque ad mortem.* Judex: *Quæ tibi vero hodie sententia est de illis, quæ ante non longum adeo tempus ad me dixeras?* Flora putans, sermonem esse de conviciis contra Mahometem prolatis, edixit, se etiam illis pejora effari posse. His, jubente Judice, in carcerem reducitur. Statim autem Eulogius, qui in illo etiam carcere detineba- *Eulog. ep. ad Alu. p. 464* S. Flora Virgo Martyr. *Memor. II. c. 8.*

Sæculum IX. A.C. 851.

nebatur, ad clauſtra illarum proxime admotus ſciſcitatur, quid interrogaſſet Prætor, & quid illa reſpondiſſet. Exinde poſt decem duodecimve dierum ſpatium vigeſima quarta Nov. Flora & Maria ad locum ſupplicii ducuntur; ipſæ ſigno ſanctæ Crucis ſe in vultu muniunt, & primum Flora, tum Maria gladio feriuntur. Corpora canibus devoranda & volucribus diſcerpenda ibi relicta, & alio die in flumen projecta. Et cadaver quidem Mariæ inventum, atque ad Monaſterium Cuteclarienſe, unde egreſſa fuerat Martyrium in votis habens, delatum, at, quo corpus Floræ pervenerit, ignoratur, ſed ambarum capita ad S. Aciscolum Cordubæ recondita. Eccleſia has Virgines, ſanctarum Martyrum numero adſcriptas, die ipſa Martyrii honorat.

Mart. Rom. 24. *Nov.*

Eulogius ceterique Chriſtiani captivi, percepto SS. Virginum Martyrio, Gratias illico in officio ad Nonam Deo agunt, & continuo in earum honorem Veſperas, Matutinos & Miſſam, ſe earum precibus commendantes, celebrant. Et ecce! elapſo ſex dierum ſpatio, vigeſima nona Novembris, e carcere liberantur, ſicut SS. Virgines promiſerant. Nam ad aliquas amicarum ſuarum dixerant, ſe, quamprimum ante Thronum JEſu

JEsu Christi pervenirent, pro libertate Fratrum suorum interceſſuras. Sæculum IX. A. C. 852.

Haud multo post tempore Gumesindus & Servusdei fortiter pro JEsu Christo sanguinem dederunt. Gumesindus Toleti natus, Cordubam necdum pueritiam egressus a Patre & Matre adductus, & Deo oblatus est. Inter Clericos trium Martyrum Fausti, Januarii & Martialis, quos Ecclesia decima tertia Octobris colit, educatus, atque Diaconus postea & Presbyter ordinatus, Ecclesiæ rurali, etsi juvenis esset, præficitur. Is igitur cum in urbem & in conspectum Judicum cum Servusdei juvene Monacho Recluso se contulisset, ambo sicut alii decima tertia Januarii, Æra 890. seu anno reparatæ salutis 852. martyrio afficiuntur. *Mem. c. 9.* *Mart. Rom. 13. Octob.*

Ecclesia eorum memoriam ea die, qua passi sunt, agit.

§. LVIII.

Scripta alia de Prædestinatione.

In Francia Hincmarus & Pardulus Regis Caroli amicorum intimi, cum æqua mente ferre non possent, quod Doctrina de gemina Prædestinatione Scriptis Prudentii, Lupi & Ratrami defenderetur, ut alios Scriptores opponerent, quemdam Diaconum, nomine Amalarium, cujus opus non supereſt, & Joan- *Maug. diss. c 18. Lup. Fer. ep. 12.*

Sæculum IX. A. C. 852.

nem cognomento Scotum, seu Erigenam, id est, Hybernum, calamum stringere jusserunt. Erat vero Erigenæ statura corporis admodum exigua, excitatissimum ingenium & perspicax. Dialecticæ & Philosophiæ humanæ egregiam operam navaverat, sed modicam in Theologicis acquisierat scientiam. Linguæ Græcæ gnarus, opera S. Dionysii rogatus a Rege Carolo in Latinum transtulit; nam postquam relicta patria in Franciam transiit, inter hujus Regis familiares adlectus, eique individuus socius tam mensæ quam cubilis factus est. Edidit ergo Joannes Tractatum de Prædestinatione, inscriptum Hincmaro & Pardulo, quibus in exordio gratias agit, quod sibi honorificam provinciam, suo calamo Fidem Catholicam defendendi, detulerint. In hoc Opere, quod in Capita novemdecim divisit, ex subtilissimis Dialecticæ principiis probare conatur, unicam dari prædestinationem, nempe Electorum, cumque peccatum & pœna non res, sed rei solummodo privatio, sint, hanc in sensu proprio nec prædestinari, nec prævideri posse. Sæpe citat S. Augustinum, putatque ipsius Auctoritate suam opinionem communiri.

Math. West. an. 883.

Maug. to. 1. *p.* 109.

n. 15. 16. *&c.*

Hoc Libro in lucem edito, Venilo Archiepiscopus Senonensis inde Excerpta, pariter in novemdecim Articulos divisa,

Sæculum IX. A. C. 852.

divisa, Prudentio Episcopo Trecensi misit, rogans, ut errores refutaret. Credidit Prudentius in hoc Tractatu Errorem Pelagii, Origenisque contineri, & exhorrescens, ut rem penitius exploraret, totum Joannis librum quæsivit, quo perlecto, Auctor Pelagii hæresi omnino infectus ipsi visus est. Ergo eum refutare aggreditur anno 852. edito Tractatu cum eodem titulo, de Prædestinatione, pariterque in Capita novemdecim diviso, in quo verba Joannis simpliciter referens eadem illo ipso ordine, quo occurrunt, refellit; Gotteschalcum autem non defendit. Ubique Auctoritate Patrum, præsertim S. Gregorii, S. Hieronymi, S. Fulgentii & S. Augustini nititur.

Prud. præf. ibid. p. 194. Prudentius contra Joannem.

Cum eadem Excerpta Joannis Scoti Lugdunum fuissent delata, visum est illi Ecclesiæ necessario esse respondendum, atque eam provinciam commisit Floro Diacono, jam tempore Agobardi Doctori celeberrimo, cujus non modo alia ad nos pervenerunt Opera, sed etiam olim scriptus de Prædestinatione sermo extat. Ejus vero Scriptum contra Joannem Scotum Tractatui quem Prudentius composuit similis est. Omnes propositiones Adversarii sui ad examen vocat, sophismata refellit, duplicem (*) prædestina-

v. Sirm. ad avit. p. 60. Baluz. ad Amol. p. 150. Maug. to. 1. p. 585.

(*) Prædestinatio ad mortem alia non est, quam

Sæculum IX. A.C. 852.

tionem, liberi arbitrii fragilitatem, & Gratiæ neceſſitatem aſſerit. De Gotteſchalco loquitur in hunc modum: *Neſcimus, qua judicii forma hic miſerabilis Monachus damnatus & aliquot abhinc annis in carcerem detruſus fuerit. Si quidquam usque adeo periculoſum contra Fidem docuit, ut hoc modo in Synodo puniri mereretur, more antiquo ceteras quoque hujus Regni Eccleſias per Epiſtolas Synodicas hujus rei certiores facere, ſaltem poſt ejus condemnationem oportuiſſet.*

§. LIX.

Epiſtola Amolonis ad Gotteſchalcum.

Ap. Agob. to. 2. p. 149.

Ipſemet interim Gotteſchalcus Scriptis ſuis opera cujusdam Monachi ad Amolonem Archiepiſcopum Lugdunenſem miſſis inſtantiſſime rogavit, ut ea legeret. Amolon his acceptis diu deliberavit, an reſpondendum ſibi eſſet homini excom-

---

quam Reprobatio negativa antevertens peccatum perſonale. Nam in eodem Decreto aliqui relinquuntur in maſſa perditionis & excluduntur a Gloria, in quo alii miſericorditer eliguntur, & ſicut Decretum iſtud antecedit prævisionem meritorum, ita etiam prævisionem peccatorum. Mezger. Tract. de Deo Uno.

excommunicato, quod sine contemptu Episcoporum, qui eum damnaverant, fieri non posse videbatur. Econtra credebat, charitatem Christianam lædi, si Monachi miserabilis preces rejiceret. Ergo viam mediam ingredi statuit, & sic scripsit Gotteschalco, ut tamen Epistola ad Hincmarum ipsius Metropolitam dirigeretur. In ea ad ipsum Gotteschalcum inquit: *Cum adhuc versareris in Germania, pessimus de te rumor ad aures nostras pervenit; nova dogmata te spargere, & quæstiones insolentes agitare. Postea vero partim a te ipso, partim ab aliis complura tua Scripta accepimus, ex quibus errores tuos clare perspicimus.* Sæculum IX. A. C. 852.

Hos errores deinde Amolon recenset, & in septem Articulos redigit. Primo, nullum illorum, qui JEsu Christi sanguine redempti essent, perire posse. Secundo, Baptismum, Evchariſtiam ceteraque Sacramenta tantummodo in speciem illis, qui perituri essent, dari, & in illis, quod tertium caput est, nullum effectum producere; ita ut quamvis externe baptizati fuerint, & alia Sacramenta acceperint, nunquam tamen membra Ecclesiæ fuerint. Quarto, Reprobos ita ad malum prædestinari, ut nullus eorum unquam salvari possit, quasi vero prædestinatio necessitatem peccandi imponeret.

Sæculum IX. A. C. 852.

ret. Quinto, prædestinationem reproborum ad interitum æque irrevocabilem esse ac Deus immutabilis esset. Sexto, Deum & Sanctos de interitu reproborum lætari. Tandem Amoloni minime probabatur, quod Gotteschalcus Episcopos sibi adversantes conviciis insectaretur, Hæreticos vocaret & Rabanistas, in contemptum Rabani, doctissimi & summe venerabilis Episcopi. Hortatur, ut religiosæ humilitatis memor Auctoritati Episcoporum se submitteret, & sic in sinum Ecclesiæ redire posset. Hæc Amolonis Epistola anno octingentesimo quinquagesimo secundo data creditur.

Maug. diss. c. 22.

Ex ista Epistola dispicitur, Gotteschalcum non semper ea moderatione usum fuisse, quæ ex ejus Confessionibus Fidei apparet, atque ex suo principio de prædestinatione reproborum consequentia pessime sonantia eruisse; quippe omnes dictæ Propositiones ab Amolone notatæ

p. 179.

inde sequuntur. Huic etiam Epistolæ conjunctum est fragmentum alterius, quæ Amolonis ad Hincmarum esse creditur, & in qua de Prædestinatione, de Gratia, & Libero Arbitrio secundum S. Augustini principia agit.

§. LX.

Civitas Leonina.

Anast.

Hoc anno 852. Pontificatus sui sexto Leo

Leo IV. novam Civitatem, quam circum Ecclesiam S. Petri ædificabat, absolvit, & solemni ritu vigesima septima Junii dedicatam de suo nomine Leoninam appellavit. Congregatis multis Episcopis & omnibus Clericis Romanis Litaniæ, Psalterium, Hymni, Cantica decantata, cuncti nudis pedibus, aspersis capiti cineribus mœnia circuierunt, Papa aquam ab Episcopis Cardinalibus benedici jussit, qua muros in transitu lustrabant. Ipse tres Orationes ad singulas novæ urbis portas pronunciavit. Missa deinde in Ecclesia S. Petri celebrata, cuncto populo, Romanis pariter ac peregrinis plurima dona aurum, argentum, pannos holosericos, munifice distribuit, sicque dies illa summis infirmisque jucundissima Romæ exacta. Sæculum IX. A. C. 852.

Interim Papa ad communiendam etiam adversus incursiones inimicorum Civitatem Portuensem animum adjecerat, cum ei magnus occurrit Corsorum numerus, quibus ob metum Saracenorum e patria profugis nullibi sedes stabilis erat. Hi postquam suas ærumnas Pontifici exposuissent, promiserunt, se suosque nepotes Papæ fideliter servituros, si reciperentur. Ille advenis civitatem Portuensem bene munitam, vineas, prata, fundos culturæ idoneos, bo-

Sæculum IX. A. C. 852.

ves, equos, pecora obtulit, si cum uxoribus & liberis ibi sedem figerent. Tum Corsis conditiones acceptantibus Papa iisdem Præceptum, id est, Decretum donationis, Lothario & Ludovico Imperatoribus consentientibus, dedit. Fundi ipsis concessi ad Ecclesiam, ad Monasteria, ad diversos privatos pertinebant. (*)

(*) Der siebente Theil der deutschen Uebersetzung kömmt lang nicht zum Vorschein. Der Krieg soll daran schuldig seyn; vielleicht ist aber eine andere Ursach da. Ja wenn er ferner diese Arbeit gar unterließe, würde er seiner Kirche und Glaubensbrüdern einen ausnehmenden Dienst erweisen. Denn es ist einmal etwas seltsames, daß sich ein aufrichtiger Protestant habe können zu Sinn kommen lassen, die Kirchengeschichte eines Römischkatholischen Schriftstellers zu übersetzen, welcher das Lehrgebäu in der Religion auf den unumstößlichen Satz gründet, daß alle diejenigen Gemeinden, die sich iemal von der Römischen Kirche getrennet, irrglaubig seyen. Fleury in der Vorrede.

HISTO-

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER XLIX.

LEO IV. PAPA.
LOTHARIUS I. IMPERATOR OCC.
MICHAEL III. IMP. ORIENT.

§. I.

Martyres Cordubenſes. Aurelius, Felix, &c.

Cordubæ necdum perſecutionis finis. Sæculum IX.
Aurelius juvenis nobilis & dives, A.C. 852.
patre Muſulmanno (*) & matre *Eulog. II.*
Ll 5 Chri- *Mem. c. 10.*

(*) S. Eulogius in Memor. Sanctorum pro *Muſulmanno* ſemper ponit *Gentili*.

Sæculum IX. A. C. 852.

Christiana natus, & utroque in infantia orbatus ab amita in Religione Christianorum piissime educabatur, quamvis eodem tempore cogentibus affinibus Arabica literatura imbuendus traderetur; unde multo magis sectæ superstitiosæ falsitatem perspiciebat. Cum igitur cultum Christianæ Religionis publice profiteri non posset, ubique tamen Dei Sacerdotibus se se commendans pro se efficacius orari poscebat. Ubi ad annos pubertatis pervenit, postulabat a Deo uxorem, quæ in arcanis consiliis vacillantem adjuvaret. Tandem invenit pulcherrimam puellam, Musulmanni filiam, quæ adhuc infantula patre fuerat orbata, & cujus mater, cum secundis nuptiis Christiano occulto juncta fuisset, ad fidem conversa est, curavitque filiam suam baptizari, quam ex Sacramento *Sabigotho* appellavit. Porro quamvis publice Musulmannis admiscerentur, animo tamen Christianam Religionem retinebant. Ergo hanc puellam Sabigothonem Aurelius Sacerdotum Ministerio in matrimonium accepit, quacum clanculum vitam more Christianorum duxit. Fuit autem Aurelio quidam sanguine propinquus nomine Felix, qui postquam ex humana fragilitate fidem negasset, lapsum occultis lacrymis deflens, non tamen Christianum se palam profiteri audebat;

debat; is quoque Lilioſam occultorum Christianorum filiam duxerat. Itaque hos ambos maritos ambasque uxores dulciſſimum amicitiæ vinculum arctiſſime connectebat. Sæculum IX. A. C. 852.

Accidit, ut illo die in forum exiret Aurelius, quo Joannes mercator Martyr, prius odio nominis Chriſti verberibus cruentatus, per totam urbem circumducebatur; ille illico hoc ſpectaculo commotus credidit, cœleſte ſibi dari monitum. Domum igitur regreſſus ad uxorem dixit: *Tu jam diu, dulciſſima conjux, hortaris, ut ſæculum contemnam, & Monachorum vitam dilaudas. Ecce nunc, cariſſima! tempus acceptabile adveniſſe reor, quo ad majorem perfectionem eluctemur. Fias mihi jam ſoror, quæ conjux extitiſti, incumbamus jugiter orationi, & nos ad Martyrium fortiter ſuſtinendum præparemus.* Suſcipit lætanti animo mulier pium viri conſilium tanquam a Cœlo ſuggeſtum. Fulgebat quidem in oculis domum intrantium lectus magnifice ſtratus; at ipſi ſuper cilicia cubabant diviſi, ſæpe jejunabant, aſſidue orabant, noctu Pſalmos, quos didicerant, meditabantur, & maxime pauperum curam gerebant. Confeſſores captivos atque inter alios Joannem, Iſaacum Monachum, Floram & Mariam inviſebant; nam iſta, quæ narra- n. 47.

mus,

Sæculum IX. A. C. 852.

mus, ante illorum Martyrium gesta sunt. Aurelius viris, Sabigotho fœminis istud charitatis officium impendebat.

Sub illud tempus Aurelius Eulogii Presbyteri amicitiam adeptus consilium expetiit, quid de Bonis suis, quid de duobus liberis, quos Cælum sibi dederat, sibi esset faciendum. Num nefas non esset, eos in tenerrima ætate paterno auxilio destituere, & exponere periculo, ne in perversa Secta educarentur? num opes meas intestatus projiciam, quas illico Princeps infidelis rapiet? Eulogius eum cumprimis exhortatus, ut omnia pro amore Dei relinqueret, suasit, ut liberos suos in locum tutum mitteret, ubi Christiana Doctrina imbuerentur; bona vero sua venderet pauperibus distribuenda, una parte conservata, unde liberi alerentur. Haud multo post tempore quam Flora & Maria Martyrium consummassent, Sabigothoni per somnium objectæ sunt albis & splendidis vestibus indutæ, florum fasciculos manibus tenentes, pluribus aliis Sanctis comitantibus. Illa: *Quid mihi jam sperandum est*, inquit, *an voti compos ero, quod vestris precibus, cum in carcere essetis, commendavi? an ea mihi obtinget felicitas, ut exemplum vestrum sequar & Christi Martyr efficiar?* Flora & Maria responderunt: *Ad gloriam Martyrii reservaris, quod pro-*

Martyres Cordubenses.

propediem consummabis. In promissi nostri pignus mittimus ad te Monachum, qui tecum coronabitur. Cum Sabigotho hæc marito narrasset, exinde cogitationes omnes ad mortem pro Christo fortiter tolerandam adjecerunt, &, venditis omnibus, pretii partem ad sustentandam prolem servarunt. Monasteria sæpe invisebant, ut ibi ad luctam instruerentur, præsertim Tabanense Cœnobium, in quo liberi eorum sub disciplina Sacrarum Virginum degebant, erant enim ambæ puellæ, quarum una octennium, altera lustrum impleverat. Sæculum IX. A. C. 852.

Inter alios Aurelius consuluit Alvarum, qui ab Eulogio Magistri loco colebatur, & ævi sui Doctor maximus habebatur. Is Aurelium hortatus est, ut suam serio probaret conscientiam; num toleratis primis tormentis usque ad ultima se perseveraturum crederet, & num magis Martyrum merita, quam celebre inter homines nomen quæreret.

§. II.

Georgius Monachus & Martyr.

Inter hæc Cordubam advenit Monachus ex Palæstina nomine Georgius, qui non procul a Civitate Bethlehem natus, annos viginti septem exegerat in Monasterio S. Sabæ, octo milliariis ab Jerosolyma, qua meridiem spectat, distante,

Sæculum IX. A. C. 852.

te, ubi tunc temporis Monachi quingenti sub regimine Abbatis David degebant. Georgius ordine Diaconatus erat insignitus, trium linguarum Græcæ, Latinæ & Arabicæ gnarus. Cum eum Abbas suus misisset in Africam, eleemosynas pro Monasterio collecturum, ibique Ecclesiam sub servitute Musulmannorum oppressam inveniisset, suaserunt illius Provinciæ Christiani, ut in Hispaniam trajiceret; sed cernens, ibi quoque Christianos magna persecutione premi, deliberare cœpit, an ad suum Monasterium esset remeandum, vel potius adeundum sibi esset Regnum Christianorum, id est, Franciæ; illo enim nomine tunc Francia designabatur, quod omnes propemodum in Occidente Christiani sub Regum Francorum potestate essent.

Consilii ambiguus Georgius Cordubam ad Tabanense Monasterium perrexit, rogaturus, ut Fratres & Sorores proficiscentem sua benedictione & precibus comitarentur. Tunc ad eum Abbas Martinus & Soror ejus Elisabetha dixerunt: *Veni, frater, & accipe Benedictionem Ancillæ Dei Sabigothonis.* Quæ mox ut eum intuita est, *promissus*, inquit, *nostri certaminis comes hic Monachus erit.* Georgius, ubi audivisset, quænam ipsa esset, pedibus ejus advolutus rogavit, ut pro se Dominum exoraret. Altera

Persecutio Cordubensis

tera die Georgius & Sabigotho Cordubam ad ipsius maritum Aurelium veniunt, ad cujus etiam pedes prostratus Georgius petiit, ut per ipsius preces Martyrii eorum socius esse mereretur. Exinde zelo Martyrii accensus ab eis nunquam separatus est, viditque in eorum domo Felicem & conjugem Liliosam, venditis bonis suis ad suscipiendum Martyrium paratos. Postquam igitur Georgius negotia sua, quæ necdum perfecerat, celeriter composuisset, omnes consilium inierunt, qua potissimum ratione ad optatam coronam pervenirent. Statuerunt, ut duæ mulieres revelatis vultibus ad Ecclesiam pergerent, ut sic forsan eas comprehendendi nasceretur occasio. Et ita factum est. Sæculum IX. A. C. 852.

Mulieribus ex Ecclesia revertentibus, quidam Præpositus obvius viros interrogat, quid sibi vellet fœminarum cursitatio ad Christianorum templa. Qui responderunt: *Fidelium mos est Ecclesias visitare & SS. Martyrum atria; quippe Christiani sumus.* Hæc res ad Judicem statim delata; Aurelius vero ad filias pergens pacis osculum utrique dedit. Postera die ante auroræ crepusculum valedixit Eulogio Presbytero, & Fidelibus apud ipsum diversantibus, qui ipsius manus tanquam Martyris exoscu-

lati ejusdem patrocinium expetierunt.

Aure-

Sæculum IX. A. C. 852.

Aurelio in domum suam reverso, quo ceteri etiam convenerant, adsunt milites a Prætore missi præ foribus clamantes: *Exite, miseri! exite extemplo morituri! qui vitam usque adeo fastiditis.* Ergo viri cum mulieribus suis quasi ad epulas invitati procedunt. At Georgius Monachus, videns se a lictoribus non teneri, dixit: *Cur Fideles cogere vultis ad suscipiendam superstitionem vestram? An non poteritis vos inferni claustra adire cum Propheta vestro, nisi nos comites habeatis?* Hæc loquentem satellites solo allidunt, & calcibus pugnisque acerrime tundunt. Cui Sabigotho: *Surge, Frater, eamus!* & ille, quasi nihil mali esset perpessus, *Soror mea! hæc omnia mihi prosunt, & coronam augent.* Tum semivivus a terra levatur & cum ceteris Judici sistitur.

Primum Judex blando affatu requisivit, cujus rei causa a veteri Religione recederent, & vivere recusarent? tum splendida promissa addidit. Sed constanter Christianam Religionem laudantes & Mahometis impietatem devoventes, vinculis adstrictos misit in carcerem, ubi in quintum diem custoditi sunt. Martyribus nihil amplius quam pro JEsu Christo mori cupientibus longa mora videbatur; cum vero iterum ad Judices educerentur, Sabigotho virili fortitudine

ne maritum ad constantiam exhortabatur. Postquam secundam quæstionem subiissent, ad pœnam capitis damnantur, excepto Monacho Georgio, cui sospiti abire permissum, quod ipsum nulla convicia in Prophetam suum conjicientem audivissent, ipse pertimescens ne a Martyribus avelleretur, proclamavit, credere se, Mahometem esse Discipulum Satanæ, Antichristi pessimum mancipium, Sectatores suos ad æterna incendia secum rapiens. Ergo cum ceteris capite damnatur. Primum Felici, deinde Georgio, Liliosæ, Aurelio, & Sabigothoni cervices abscissi, vigesima septima Julii, Æra 890. anno a Nativitate Christi Domini 852. Ecclesia Romana eadem die hos SS. Martyres colit. Corpora eorum furtim a Christianis ablata, & in diversis locis sepulta, nempe Georgius & Aurelius in Monasterio Pinnamelarienſi, Felix ad S. Christophorum, quod ultra flumen Bætim est, Sabigotho in Ecclesia trium Sanctorum, Fausti, Januarii, & Martialis, Liliosa ad S. Genesium recondita. Sæculum IX. A.C. 852.

§. III.

Alii Martyres.

Vigesima Augusti sequente duo Monachi Juvenes Christophorus & Leovigildus illustre Martyrium consumma- c. 11.

Sæculum IX. A. C. 852.

runt. Christophorus Cordubæ natus, Eulogii Presbyteri Discipulus, in monte Cordubensi & Cœnobio, quod Rajanum dicebatur, Monachus fuit. Leovigildus autem Eliberim habebat patriam & in Asceterio S. Justi & S. Pastoris in eodem monte Cordubensi Monachum professus fuerat. Hi non eodem quidem tempore coram Judice steterunt fidem Christianam profitentes, sed eodem die necati. Reliquiæ corporum flammis traditorum collectæ & in Ecclesia S. Zoili conditæ.

§. 12. Non longo exinde intervallo duo juvenes passi sunt nobili familia procreati, patria Cordubenses, Emila & Jeremias, qui in Ecclesia S. Cypriani literas humaniores docebant. Ille Diaconus, hic Laicus erat. Cum ambo linguam Arabicam callerent, Emila adeo acriter in Mahometem lingua invectus est, totque effudit convicia, ut ex omnibus antecedentibus Martyribus nemo plura. Hi decima quinta Sept. interempti.

§. 13. Altera die Martyrio coronantur duo Monachi ambo Evnuchi, alter senio gravis nomine Rogellius, alter juvenis nomine Serviodeo, qui ex Oriente aliquot abhinc annis advenerat. Hi sanctissimam societatem ineuntes vicissim promittebant, nunquam se passuros, ut alter ab altero avelleretur, donec coronam

nam Martyrii obtinuissent. Ergo intrant Moscheam Cordubensem in medio populi, ibi congregati, Evangelium prædicant, & Musulmannis instant, ut ad JEsum Christum convertantur. Illico magnus tumultus exoritur, Monachi cæduntur, lacerantur, quin & in mille frusta abiissent, nisi Judex, tunc præsens, populum compescuisset. Nam Musulmanni nefas putant, si homo ab ipsorum Religione alienus Moscheam id est Templum eorum ingrediatur. Interim duo Monachi catenis vinciuntur, & detruduntur in carcerem, ubi virili constantia Verbum Dei prædicare non cessarunt, & Regem proxime moriturum prædixerunt. Ceterum in pœnam, quod templum Mahometanorum ingressi essent, & ibi Evangelium prædicassent, eis primum manus pedesque amputati, & deinde a cervice caput revulsum. Cumque tantos cruciatus & supplicium ultimum imperterriti sustinerent, Christianorum invictam constantiam ipsi spectatores Infideles obstupuere. Hos sex Martyres in die qua passi sunt Ecclesia colit. Sæculum IX. A. C. 852. *Mart. Rom.* 20. *Aug.* 15. 16. *Sept.*

§. IX.

Concilium Cordubense.

At vero Musulmanni conspicientes tot Christianos ultro in mortem ruere, timere cœperunt, ne seditio commove- *c.* 12. 14.

Sæculum IX. A.C. 852.

tur. Rex Abderamus ſuos ad conſilium vocat; in quo ſtatutum, ut illi nulla data mora confeſtim interficerentur, quicunque convicia in Prophetam jacerent. Tunc Chriſtiani deliteſcere, complures noctu ſub alieno habitu diffugere, & crebro latibula mutare. Alii, quibus nec fugere commodum erat, nec latere, JEſum Chriſtum negarunt, & plures alios perverterunt. (*) Complures autem tum Presbyteri tum Laici, qui prius Martyrum conſtantiam laudaverant, nunc mente mutata eorum imprudentiam carpebant, imo jam Textus ex S. Scriptura afferebant, ad ſuam ſententiam confirmandam. Qui in principio intempeſtivum Martyrum fervorem damnaverant, nunc palam ſuccenſebant Eulogio aliisque Presbyteris, quod Martyres ad confeſſionem non neceſſariam impellendo perſecutionis cauſam poſuiſſent. Jubente Rege Epiſcopis Metropolitanis variarum Provinciarum Cordubæ congregatis, Concilium habitum, & deliberatum de modo, quo mitigandi eſſent Infidelium animi. Ibi Epiſcopis præſen-

c. 15.

(*) Nulli Chriſtianorum licet ſine manifeſto Cæli inſtinctu Infideles ultro ad iracundiam provocare, ne forſan pauci ad imitandum, multi autem ad lapſum & negandum JEſum Chriſtum impellantur.

præsentibus quidam *Cateb* seu Tabularius, (*) qui Religionem Christianam profitebatur, sed cum esset opulentissimus, timebat, ne munus suum amitteret, in Eulogium Presbyterum invectus acerrime audaciam exprobravit. Nunquam huic Tabellario illi Martyres probabantur, & tunc quidem ab Episcopis postulavit, ut Anathema pronunciarent contra Christianos, qui illos imitari cogitarent. Tandem hoc Concilium Decretum edidit, quo Christianis se ipsos Martyrio offerre prohibebatur, verbis autem allegoricis & ambiguis, ut illius ævi stilus ferebat; ita ut Decretum Regi & Musulmannorum populo placere posset, quin tamen Martyres, apud illos, qui verborum sensum penetrarent, vituperarentur.

Sæculum IX. A. C. 852.

(*) Hunc virum S. Eulogius nobis exhibet in hunc modum: *Quidam illius temporis publicæ rei exceptor præpotens vitiis & divitiis, solo Christianismi nomine denotatus, operibus autem Deo & Angelis ejus ignotus, a principio certaminibus beatorum infensus, detractor, derogator & infamator eorum, iniquus, tumidus, elatus, superbus & improbus quodam die præsenti Concilio Episcoporum multas adversum me, linguam commovens, exaggeravit contumelias &c.* S. Eulog. in Mem. SS. cap. XV. Bibl. Maxim.

Sæculum IX. A. C. 852.

Eulogio hæc dissimulatio non probabatur. (*)

c. 16.

Necdum persecutio finierat, & Episcopus Cordubensis jam secundo in vinculis premebatur, cum Rex Abderamus in sublime Palatii sui Solarium conscendit, & pendentia e stipitibus Sanctorum corpora intuens, subditis flammis cremari ea præcepit. Et ecce! lingua præcipientis palato hærens ultra fari non potuit, & Rex a suis in lectulum deportatus eadem nocte spiritum reddidit, postquam annis triginta & uno regnasset. Agebatur tunc annus Salutis 852. Hegiræ 238. Defuncto successit filius Mahomet primogenitus, regnavitque annis triginta quinque, æque ac parens suus Christianis infensissimus; quippe prima, qua Regnum auspicatus est die, omnes Christianos Palatio ejectos muneribus, quæ gerebant, privavit.

Roder. hist. Arab. c. 26. Elmac. l. II. c. II. p. 150.

§. V.

(*) Neque Eminentissimo Cardinali Baronio, qui ex Scholiaste Eulogii istud excerpsit: *In quo* (Conciliabulo) *nec quod Deo esset placitum, tractatum vel definitum fuit, sed Pseudoepiscoporum unanimi conspiratione facta cum Principe vetitum est Martyrium, demptusque est cultus SS. Martyrum, erecta perfidia, atque depressa Confessio &c.*

Sæculum IX, A. C. 852.

§. V.

Quæ in Cauſa Gotteſchalci ſecuta ſint.

Interim Hincmarus, ex epiſtola Amolonis ad Gotteſchalcum intelligens, quod a mente ipſum damnandi non procul abeſſet, data ad eum epiſtola modum, quo Gotteſchalcus Moguntiæ & Cadurci judicium ſubiiſſet, atque ejusdem Doctrinam ſummatim edocuit. Pardulum quoque Epiſcopum Laodunenſem compulit, ut Amoloni hac de re ſcriberet, & ambo ſuis epiſtolis etiam epiſtolas Rabani ad Nothingum Epiſcopum Veronenſem datas adjecerunt. Remigius Archiepiſcopus Lugdunenſis Amolonis Succeſſor his litteris vulgato Scripto reſpondit, in quo Doctrinam Hincmari non in totum approbat, & de ſententia in Gotteſchalcum lata loquitur in hunc modum: *Rationi conſentaneum nobis non videtur, quod hic miſerabilis Monachus, ad Judicium Epiſcoporum perductus, prius ab Abbatibus præſentibus ad flagella damnatus, & deinde ab Epiſcopis ſecundum Canones judicatus fuerit. Pœnam omnino merebatur ſuſtinere ob contumelias, quas in Epiſcopos conjeciſſe dicitur; ſed expediiſſet banc non ab ipſis ſed ab aliis infligi. Quod vero ad ejus opiniones ſpectat, parcite nobis, ſi fateamur, ea quæ de prædeſtinatio-*

c. 2. p. 100.
c. 24. p. 107.
Edit. Maug.

Sæculum IX. A. C. 852.

ne docuit, vera esse, & neminem nostrum ea negare posse, si Catholicus audire velit. Hinc vehementer dolemus, non hunc miserabilem hominem, sed veritatem Ecclesiæ fuisse damnatam. Et infra: *Id vero cunctis videtur horrendum, quod flagris (exemplum crudelitatis inauditum) fuerit tam diu concisus, ut nobis narraverunt testes præsentes, usque dum in ignem, ante ipsum pedes excitatum, projecisset Commentarium, quem ex Textibus Scripturæ & Patrum collectum Synodo traditurus erat. Cum tamen hactenus in Ecclesia omnes Hæretici non verberibus sed verbis & ratione erroris convicti fuerint. Longam & inhumanam miserabilis hominis captivitatem, ut nobis videtur, aliquo solatio temperare oportuisset, non vero ad desperationem impellere fratrem, qui charitate conservandus erat, & pro quo JEsus Christus mortuus est.* c. 25. p. 109. Istud ad tres epistolas Responsum sequitur Tractatus brevior, cui Titulus: *Resolutio Quæstionis, de damnatione universali omnium hominum in Adamo & de Liberatione quorumdam in JEsu Christo.*

Doctrinam in his omnibus Scriptis contentam singillatim ad examen non voco; res enim hæc esset fastidii plena & nullius emolumenti. Omnes hi Scriptores contendebant, se defendere Doctrinam Ecclesiæ, quam S. Augustinus ceteriique SS. Patres

tres explicabant, & quam præ manibus nostris habemus. Cum igitur hanc nostris oculis legere & de sensu judicare valeamus, parum interest, scire, num aliqui Scriptores Sæculi noni Patres male interpretati fuerint. (*) *Istorum Scriptorum auctoritas tanta non est, ut contrarium sentire non liceat, nec etiam instituti mei ratio postulat, omnes disceptationes Doctorum privatorum referre, quando causa non fuerunt, ut in Ecclesia nova Fidei Definitio vel Decretum, cui obedire teneamur, ederetur.*

Sæculum IX. A. C. 852.

Illud maxime meretur notari, utramque partem existimasse, quod ex omnibus Patribus S. Augustinus ille sit, cujus Auctoritatem præ ceteris in materia de prædestinatione & gratia sequi oporteat. Hinc etiam usque adeo Hincmaro cordi erat defendere & affirmare, librum, cui Titulus *Hypomnesticon* seu *Hypognosticon*, S. Augustini opus esse. Ecclesia Lugdunensis credebat opus esse alterius Scriptoris; at omnes Critici hodie consentiunt, ex S. Augustini calamo non fluxisse. Duo vero ex ista disputatione super Gottescalci doctrina clare dispici-

de trib. ep. c. 34. c. 55.

S. Augustini Auctoritas. *v. App. to. 10. S. Aug. init.*

(*) Opportuna est ista Fleurii reflexio, præsertim in materia de Prædestinatione, cujus ratio ultima est: *Judicia tua abyssus multa!* Psal. 35.

Sæculum IX. A. C. 852.

mus; primum illa ætate necdum aliam Theologiam, nisi Scripturæ & SS. Patrum studium, fuisse notam, deinde, Episcopos adhuc proprios Ecclesiæ Doctores fuisse habitos, & ex eis aliquos in Francia doctissimos extitisse, quamvis illud inficiari nequeamus, eorum stilum nec tersum esse nec clarum, qualis illorum erat, qui felicioribus Sæculis scripserunt, eosque multas immiscere phrases dure sonantes, quæ illius ævi rusticitatem produnt.

§. VI.

S. Remigii Translatio.

Flod. l. I. c. 21. l. III. c. 9.

Inter hæc, cum Hincmarus Ecclesiam S. Remigii ampliorem reddidisset, Cellam subterraneam mira arte construxit, quo S. Viri Corpus, omnibus Provinciæ suæ Episcopis præsentibus transtulit. Corpus inventum est adhuc integrum, & in thecam argenteam positum, cum linteo, quo primo involutum fuerat. Sed pars lintei cum sudariolo, quod caput tegebat, in capsulam eburneam missa, & ad Ecclesiam Dominæ nostræ, nempe Cathedralem, delata. Non ausus est Hincmarus quidquam de sancto corpore abscindere, & Regi Germaniæ Ludovico aliquam partem petenti rescripsit, credere se, non sine nota temeritatis maximæ fieri posse, ut Corpus, quod Deus

tot

tot annis integrum conservasset, homines dividerent. Foris ante sepulchrum posuit opus aureum, gemmis ornatum, ubi erat fenestra, per quam inspicientes Corpus Sancti videbant, in ipsa vero Theca incisa erat Inscriptio versibus latinis, apposita Translationis die, nempe prima Octobris anno octingentesimo quinquagesimo secundo Pontificatus sui octavo. Hinc est, quod Festum S. Remigii prima die Octob. celebremus, quamvis decima tertia Januarii obierit. Sæculum IX. A. C. 852.

§. VII.

Hincmari Capitula.

Exinde elapso unius mensis spatio prima Nov. anno 852. Hincmarus Synodum suam celebrans Presbyteris suis documenta scripta in Articulos septendecim divisa tradidit. In iis Aqua benedicta & Panis benedictus denotantur in hæc verba: *Ut omni die Dominico quisque Presbyter ante Missarum Solemnia Aquam benedictam faciat, de qua populus intrans Ecclesiam aspergatur, & qui voluerint, ex illa accipiant, & per mansiones, & agros, super pecora quoque sua, atque super pabula eorum nec non & super cibos & potum suum conspergant.* Singulis diebus Dominicis & Festis Presbyter panis particulas, quæ de oblatis vel de suo superfuerint, benedicat, & post Missa- *to.* 8. *Conc. p.* 569. *c.* 5. *c.* 7.

Sæculum IX. A. C. 852.

Missarum Solemnia inde Eulogias illis distribuat, qui ad S. Communionem accipiendam non fuerint parati. Presbyter officio matutino expleto pensum servitutis suæ canendo primam, tertiam, sextam & nonam persolvat, ita tamen, ut postea horis competentibus vel per se, si possit, vel per alios Ecclesiasticos publice compleat. Tum Missa celebrata, si infirmos inviserit, ad opus rurale exeat jejunus, & ante statutam horam pro diversis temporibus non comedat. Id est diebus jejunii tardius cibum sumat. Inde dispicimus recitationem Horarum Canonicarum inter res Presbyteris præceptas fuisse recensitam, sed licuisse, eas privatim recitando, constitutum tempus prævertere. Item videmus, quod illa ætate non crediderint, agriculturam Presbytero indignum laborem esse.

c. 9.

Nullus Presbyter vasa Sacra, aut vestimenta Sacerdotalia aut librum cuiquam præsumat pignori dare. Non accipiat munera eo pacto, ut peccantes publice ad Episcopum non deferat, aut post injunctam pœnitentiam reconciliationis tempus acceleret. Non adsint conviviis quæ in anniversario mortuorum celebrabantur, non inebrientur, non se ingurgitent cibis. Non audiant scurrilia, & ludiones ad illas mensas funebres admitti solitos non conspiciant. Sub specie

c. 11.

c. 13.

c. 14.

piarum

piarum Congregationum epulas non in- Sæculum IX.
staurent. Presbyter non præsumat dare A. C. 853.
cuiquam Laico Evchariſtiam, in domum *p.* 373. *c.* 10.
ſuam deferendam, ſi dicat, ibi eſſe infir-
mum, ſed hoc Sacramentum Presbyter
ſemper per ſe ipſum adminiſtret. Pau- *c.* 17.
peres immatriculati, id eſt, in Catalo-
gum Eccleſiæ relati, non ſint alii, quam
ad eandem Eccleſiam pertinentes, aut
Parochi conſanguinei vere egeni. Pres-
byter ex reditibus Eccleſiæ nec ſuo, nec
alieno nomine quæſtum faciat. Cete-
rum in his Articulis omnis conſuetudo *c.* 21.
cum fæminis tam ſollicite prohibetur,
ut ſuſpicandi locus ſit, frequentiſſime
contra caſtimoniam fuiſſe peccatum.

§. VIII.

Concilium Sueſſionenſe.

Anno ſequente octingenteſimo quinqua- *to.* 8. *Conc.*
geſimo tertio, Caroli decimo tertio, *p.* 808.
Indictione prima, Hincmarus Concilio
Sueſſionenſi vigeſima ſexta Aprilis in Ec- *Ann. Bert.*
cleſia S. Medardi celebrato interfuit. Ad- *p.* 853.
venerant ex quinque Provinciis univer-
ſim Epiſcopi viginti ſex, ex quibus ma-
gis celebres ſunt ſequentes: Hincmarus
Archiepiſcopus Remenſis, Venilo Seno-
nenſis, Amalricus Turonenſis, Rotadus
Sueſſionenſis, Lupus Catalaunenſis, Par-
dulus Laodunenſis, Agius Aurelianenſis,
Prudentius Trecenſis, * Herimannus Ne- * ſeu Tricaſſi-
vernen- nenſis.

Sæculum IX, A.C. 853.

vernenſis, Jonas Auguſtodunenſis. Poſt Epiſcopos leguntur Rieboldus Chorepiſcopus Remenſis, Lupus Abbas Ferrarienſis, Odo Corbejenſis, Bavo Orbacenſis. (*) Jam anno 851. Paſchaſius Ratbertus Regimen Abbatiæ Corbejenſis abdicaverat, quo reliquos vitæ dies in quiete & meditatione Philoſophiæ Chriſtianæ tranſigeret. Succeſſorem ſibi delegerat Odonem, vix Tyrocinium egreſſum, quem vero corporis & animi dotibus ceteros ſuperare conſtabat. In hoc vero Concilio, cui Carolus Rex per ſe interfuit, habitis octo Seſſionibus diverſæ cauſæ pertractatæ ſunt. Et primo quidem actum de Clericis, quatuordecim circiter Presbyteris Diaconisque ab Ebbone Hincmari Anteceſſore ordinatis. In prima Seſſione Sigoaldus locum tenens Archidiaconi Remenſis dixit, ad fores ſtare Fideles ejusdem Diœceſis, qui peterent admitti. Dixit Hincmarus: *Legite eorum nomina.* Et Sigoaldus Canonicos Eccleſiæ Remenſis quatuor, unum Monachum S. Theodorici, & S. Remigii octo nominavit. A Concilio & Rege jubentur intrare, & Hincmarus inquit: *Quid*

tom. 6. Act. Ben. p. 121.

Narr. Cler. Rem. p. 343. to. 2. Duch.

(*) In ipſis Actis legitur etiam Paulus Rotomagenſis Sanctæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, relegi & ſubſcripſi. Econtra nomen Lupi Catalaunenſis non occurrit.

Sæculum IX. A. C. 853.

Quid petitis, Fratres! respondent: *Petimus a vobis facultatem exercendi Ordines, quos nobis contulit Dominus Ebbo, & a quibus nos suspendistis.* Hincmarus: *Habetis libellum?* responderunt: *non habemus.* Tum Hincmarus: *Legibus Ecclesiæ cavetur, ne Acta valeant, nisi sint scripta. Qui petit baptizari, nomen suum tradere debet. Qui ad Episcopatum promovendus est, Decretum suæ Electionis, & Ordinationis suæ litteras exhibere tenetur, Excommunicatus datis litteris Ecclesia ejici, aut reconciliari solet, idem in Actione Judiciali observatur, & optimam Regulam nobis tradidit S. Gregorius, cum dixit: Sententia non scripta Sententiæ nomen non meretur. Itaque, Fratres mei, libellum nobis tradere debetis.* 2. ep. 54.

Ergo libellum conscribunt, & Hincmaro aliisque duobus Archiepiscopis in Concilio Præsidentibus tradunt. Hunc cum legeret Hincmarus notavit, quod in Subscriptione nomen Wulfadi Canonici, quem Sigoaldus nominaverat, deesset. Causam roganti respondit Sigoaldus, eum ægrotare. Tunc misit Hincmarus Sigoaldum, Liudonem Archidiaconum Laodunensem, & Isaacum Diaconum Remensem, qui Libellum deferrent ad Wulfadum. Hi, postquam subscripsisset, redierunt in Concilium.

Tunc

Sæculum IX. A. C. 853.

Tunc Hincmarus: *Hic Libellus manifeste in me dirigitur. Si Episcopus accusaretur, ad me daretur appellatio, sed quia hi Fratres de mea sententia queruntur; ad judices deligendos dato Libello appellent necesse est.* Tum citavit duos Canones ex Collectione Conciliorum Africæ, & unum Articulum ex Capitularibus secundum Collectionem Ansegisi, ad demonstrandum, a Judicibus proprio arbitrio delectis appellari non posse. *Nobis igitur*, inquit, *utrinque deligendi sunt Judices*, obtulitque Libellum, in quo ad hanc solummodo causam duos Archiepiscopos Senonensem & Turonensem, atque Pardulum Episcopum Laodunensem, qui nomine Sedis Remensis judicaret, deligebat, subjungens: *Salva tamen Ecclesiæ meæ Metropolitanæ Auctoritate, & Sacræ Sedis Reverentia.* Et illico, e loco suo surgens, Pardulum ibi sedere jussit. Actoribus suis deinde potestatem fecit, sibi judices sive eosdem sive alios deligendi. Illi eosdem elegerunt, nisi quod adjungerent Prudentium Episcopum Trecensem, haud dubie ideo, ut Pardulo, amico Hincmari intimo, virum alium opponerent. Consensit Hincmarus & scriptum libellum hujus electionis ad se transmissum Wulfadus apposita manu sua ratum habuit. Hæc circa hanc causam in prima Sessione

ne acta. Clerici vero ab Ebbone ordinati exinde conquesti sunt, tam cum offerrent libellum, quam cum Judices eligerent, libertatem sibi fuisse imminutam. Sæculum IX. A. C. 853. *Nar. Cler. Rem.*

In secunda Sessione delecti Judices dixerunt: *Perquirendum nobis est, an Depositio Ebbonis Canonice facta sit, & an fuerit restitutus, ut inde cognoscere possimus, num illis, quos post Depositionem ordinavit, munere suo fungi liceat. Hac de re illis, qui Hincmarum ordinarunt, ratio reddenda est.* Tunc vero Theodoricus Episcopus Cameracensis surrexit de sede sua & Libellum Concilio offerens dixit: *Profiteor viva voce & in hoc scripto quæcunque de Canonica Depositione Ebbonis vidi & audivi.* Hoc Scriptum Lupus Abbas Ferrariensis prælegit, in quo continebantur sequentia; Ebbonem se reum confessum fuisse, & condemnatum ab Episcopis, quos ipse judices & testes delegisset, & ex quorum numero Theodoricus fuisset. Item Ebbonem Episcopatum abdicasse, secundum quadraginta trium Episcoporum judicium. Acta præterea lecta sunt, ex quibus constabat ipsius Depositionem a Sergio Papa fuisse confirmatam, ipsumque nihilominus contra Canones officia Episcopi peragere præsumpsisse. Hæc in secunda Sessione acta.

p. 87.

Ebbonis Depositio examinatur.

Sup. lib. XLVII. §. 47.

Sup. lib. XLVIII. §. 8.

Sæculum IX. A. C. 853.

In Sessione tertia Judices dixerunt: *Nunc præcipimus, ut Ordinatores Hincmari ostendant, ipsum Canonice fuisse ordinatum.* Hic Rotadus Episcopus Suessionensis surrexit, ostenditque Canones præscribentes modum, quo Episcopus Metropolitanus ordinandus esset, eumque, si ex illa ipsa Diœcesi non eligatur, ex alia Ecclesia vicina a Clerico & populo illius Ecclesiæ esse postulandum. Produxit quoque litteras Canonicas Erchanradi Episcopi Parisiensis, de cujus Diœcesi Hincmarus evocatus fuerat, ab Archiepiscopo Senonensi aliisque ejusdem Suffraganeis confirmatas, quibus Hincmarum Clericis populoque Remensi concedebat. Populi item Remensis Decretum, quo Hincmarum postulabat, exhibuit. Ex his omnibus ergo lectis probavit Rotadus, Hincmarum a se præsentibus cunctis Provinciæ Episcopis Canonice fuisse ordinatum. Hincmarus deinde surgens produxit epistolas, ab Ordinatoribus suis apposita die & anno canonice sibi datas, & præterea epistolam Episcoporum totius Galliæ ad Papam datam, qua ipsius Ordinationis confirmationem petebant; nam Sergius Papa condemnationem Ebbonis confirmaverat. Ostendit quoque Regi præsenti & Concilio Litteras Regis ad Sacram Sedem pro obtinenda suæ Electionis Approbatione directas.

Sup. lib. XLVIII. §. 28.

Ex

Sæculum IX. A. C. 853.

Ex his actis Concilium in Sessione quarta judicavit, Hincmarum canonice ordinatum fuisse, & eo magis, quod a Sacra Sede Pallium accepisset. Tunc Judices quæsiverunt, quid Synodus de illis, quos Ebbo jam depositus ordinaverat, statueret, & Immo Episcopus Noviodunensis surgens produxit volumen, continens Canones & Pontificum Decreta, ex quibus demonstrabatur, Ebbonem, quod ipse amplius non habebat, nemini dare potuisse. Itaque Synodus in Sessione quinta pronunciavit, quæcunque Ebbo post suam Depositionem egisset, excepta administratione Baptismi, nulla fuisse, illosque, quos ordinasset, ubicunque existerent, Ordinum suorum exercitio in perpetuum esse privatos. Eorum aliquis, nomine Fredebertus Ecclesiæ Remensis Canonicus, dixit, se ideo ab eodem Ebbone permisisse se ordinari, quia viderat, tres Suffraganeos Remensis Ecclesiæ, Rotadum Suessionensem, Simeonem Laodunensem, & Erpuinum Silvanectensem, in Metropolim Remensem Ecclesiam convenisse cum Litteris Imperatoris Lotharii, & eundem Ebbonem restituisse. Produxerunt deinde litteras quasi ex nomine novem Episcoporum Provinciæ Remensis, quæ manifeste falsissimæ sunt comprobatæ. Econtra Immo Episcopus Noviodunensis porrexit volu-

Hincmarus Canonice ordinatus.

Sæculum IX. A. C. 853.

men, unde evidentissimis indiciis Frederberti & collegarum assertio mendacissima probabatur, & ipsi statim, postquam fuisset depositus, cum Ebbone communicasse convincebantur. Itaque sententia tanquam in calumniatores pronunciatur, & excommunicantur, quia, ordinatione eorum irrita & vacua prius declarata, gradus Ecclesiasticos, quibus privarentur, non habebant. (*)

In Sessione sexta Hincmarus Decreto Synodali Primatus sui locum recepit, reliquis agendis hujus Synodi cum aliis duobus Archiepiscopis præfuturus. Tunc mota est quæstio de causa Halduini, quem Ebbo Diaconum, & deinde Lupus Episcopus Catalaunensis Presbyterum ordinaverat. Unde surgens Lupus porrexit volumen, in quo continebatur; cum Sedes Remensis Pastore careret, Regem Carolum sibi præcepisse, ut Chrisma conficeret, & alias functiones necessarias perageret, peculiariter vero sibi per epistolam regiam mandatum, ut Halduinum & Presbyterum ordinaret, & Abbatem in Monasterio Altivillarensi sacraret; eundem

(*) Hæc Synodus Suessionensis secunda Canones & Decreta SS. Pontificum in materia de Ordinibus in hunc modum accipere videtur; quod Episcopus depositus ne quidem valide ordinare possit.

eundem sibi deinde cum ceteris ordinandis ab Archidiacono Remensi fuisse oblatum. De eo a Sacra Synodo judicatum; Halduinum, qui per ignorantiam fuisset Presbyter ordinatus, cum non esset (*) Diaconus, esse deponendum. In Sessione septima Patres egerunt de his, qui sæpe dicto Ebboni in oratione vel oblatione communicaverant, & judicarunt, fuisse quidem secundum Canones excommunicatos, sed ab Hincmaro tempore Ordinationis suæ reconciliatos. Tandem in Sessione octava Synodus, ut Regis Caroli precibus obsequeretur, Excommunicationis sententiam in Sessione quinta contra Clericos, qui se ab Ebbone ordinatos dixerant, latam revocavit. (**) Hæc de Actis hujus Synodi supersunt; sed plures aliæ causæ agitatæ; quod ex Canonibus dispicitur.

Sæculum IX. A. C. 853.

(*) Exinde superior Annotatio confirmatur.

(**) Hic notanda sunt, quæ dicit Pagi in Critica ad hunc annum, *Verum renovata per Wulfadum & Socios ad Sedem Apostolicam appellatione Nicolaus I. Acta ejusdem Concilii Suessionensis II. examinavit & rescidit, ac Wulfadum & Socios in pristinos gradus restituendos jussit, ut suo loco videbimus. Hæc summarie ad dicendorum suis locis intelligentiam.*

Sæculum IX. A. C. 852.

§. IX.

Continuatio Concilii Sueſſionenſis.

p. 81. *c.* 2. Cum Herimannus Epiſcopus Nivernenſis inſolenti morbo, quod cerebrum perturbabat, ad quædam tanto gradu indigna non ſine Eccleſiæ ſuæ detrimento facienda impelleretur, Archiepiſcopo Senonenſi ejus Metropolitæ præceptum, ut cum quibusdam aliis Epiſcopis Nivernum ſe conferret, omnia illius Eccleſiæ negotia curaret, & Herimannum Epiſcopum per æſtatem, quo anni tempore pejus habere ſolebat, Senonibus apud ſe detentum, ut poſſet, regeret.

Electioni Burchardi ad Sedem Carnu-
c. 3. tenſem complures adverſabantur. Optabat Rex, ipſum illius Eccleſiæ Epiſcopum conſecrari, ſed, cum ſciret Venilo Archi-
to. 8. *Conc.* epiſcopus, fœda eum fama lædi, noluit
p. 1934. ſuſpectum ordinare. Hincmarus, Pardulus & Agius Epiſcopus Aurelianenſis Burchardum remotis arbitris affati hortabantur, ut ſi quid ſibi conſcientia ſuggereret, ob quod ordinari non poſſet, ingenue fateretur. At Parte Cleri populique, quæ præſens erat, bonum ei teſtimonium perhibente ad Concilium iterum intromiſſus, tanto quidem gradu ſe dignum eſſe profiteri, arrogantiæ aſſeruit eſſe, non veritatis; ſi quis vero crimen aliquod ſibi vellet objicere, ad id purgandum

dum se paratum esse affirmavit. Nullo, qui id conaretur, existente, decrevit Sancta Synodus, ne diu Carnutensis Sedes vacaret, ut Archiepiscopus Senonensis illuc Mandatarios mitteret, qui de Electione Burchardi cognoscerent, comperta referrent; sicque canonice ordinaretur. Sæculum IX. A. C. 853.

Duo Monachi S. Medardi Suessione Pipinum Regis Caroli Nepotem, Pipini Regis Aquitaniæ filium, consilio Episcoporum & Procerum attonsum abducere conati fuerant. Eos igitur cum ipso ex fuga in Aquitaniam retractos S. Medardi Congregatio, eorumdem causa compluribus Abbatibus præsentibus examinata, tanquam contumaces desperata emendatione juxta Regulam S. Benedicti ejecit; quos cum Rotadus Episcopus Suessionensis a suo Archidiacono ad Concilium adduci jussisset, depositi sunt (nam Presbyteri erant) & in Monasteria remota separatim relegati. *c. 5. Ann. Bert. 853.*

Rex Carolus contra Diaconum Ecclesiæ Remensis nomine Ragamfridum querelas ad Concilium detulit, quippe accusabatur, quod Regis nomine litteras spurias scripsisset. Huic interdictum, ne ex Remensi Diœcesi pedem efferre auderet, donec ab ojecto crimine se purgasset. Reliqui Canones hujus Synodi sunt præcepta generalia, quæ ut Rex sua *c. 6.* Synodus Suessionensis secunda. *c. 7. 8.*

Sæculum IX. A.C. 853.

Auctoritate firmaret, rogabant Episcopi; unde in Sessione septima Capitulare duodecim complectens articulos edidit.

In primo Articulo decernitur, mittendos esse a Rege Delegatos, qui cum Episcopo Diœcesano, & Præposito Commendatitio (sæpe Laici erant) omnia Monasteria visitent. In illa visitatione præscribatur; quot Monachi aut Canonici in quolibet Monasterio sustentari debeant, quæ sit eorum vivendi norma, quæ alimenta, quæ vestimenta, quis hospites excipiendi modus, quomodo sarta tecta conservent. Commentarius Bonorum omnium & Redituum conscribatur, & quanta sit clades a Normannis illata. Optimates & Dynastæ non obsistant Episcopis, si Colonos vel agrestes ob crimina admissa gravem pœnam meritos verberibus castigent. Comes & Prætores Episcopum, quando Diœcesim invisit, comitentur, & vim externam commodent, qua peccatores ad pœnitentiam publicam & præstandam satisfactionem compellat, si excommunicationis pœnam contemnant. Ita Episcopi potestatem spiritualem & sæcularem conjungebant. In iis, quæ ultimo leguntur, conservationi Bonorum Ecclesiasticorum consulitur.

to. 8. Conc p. 92. Cap. to. 2. p. 53.

c. 9.

c. 10.

§. X.

Sæculum IX.
A. C. 853.

§. X.

S. Aldrici Cenomanenſis Obitus.

Cum S. Aldricus Epiſcopus Cenomanenſis, paralyſi ſolutus, datis ad Concilium litteris, excuſaſſet, quod venire non potuiſſet, ſeque precibus Epiſcoporum vivum mortuumve commendaſſet, id ipſum tota Synodus magna charitate promiſit, & Archiepiſcopo Turonenſi Metropolitæ ejus præcepit, ut Cenomanum iret, & quæcunque utilitas illius Eccleſiæ poſtularet, faceret. S. Aldricus triennio adhuc dum ſuperſtes, poſtquam hanc Sedem annis viginti quatuor tenuiſſet, obdormivit in Domino anno 856. ſeptima Jan. qua die ab Eccleſia ejus memoria colitur.

Conc. Sueſſ. c. 4. Sup. l. XLVIII. § 10 Mabill. Ann. 3. pag. 285. Mart. Rom. 7. Jan. Geſt. n. 16. to. 3. Baluz. Miſc. p. 44.

Is ut Presbyteris ſuis prodeſſet, Canones ex antiquis Conciliis, ex Decretalibus Pontificum, ex Scriptis Patrum, ex Conciliis, quibus ipſe interfuerat, & ex Regum Capitularibus collectos edidit. Anno 840. Ludovico pio adhuc ſuperſtite, Synodo Clericorum ex ſua Diœceſi congregata, præſcripſit numerum Miſſarum & aliarum precum, quas Epiſcopus pro ſuis Clericis & Clerici pro ſuis Epiſcopis ſive vivis ſive mortuis offerrent. Imo compoſitæ novæ Miſſæ cum præfationibus propriis & Clauſulis Canoni addendis. Inter Conſtitutiones,

ibid. n. 58. p. 146.

n. 46. p. 111.

Sæculum IX. A. C. 853.

quas edidit, ad Divinum Officium spectantes illa de Luminaribus notatu dignissima mihi visa. Constituit, ut in Cathedrali sua Ecclesia singulis noctibus, dum Matutini celebrantur, quindecim luminaria, decem ex oleo & quinque ex cera, Diebus Dominicis triginta ex oleo & quinque ex cera arderent, quæ augerentur servata proportione usque ad Festa maximæ celebritatis, in quibus saltem centum, nempe nonaginta ex oleo & decem ex cera accendenda erant. Ex hoc exemplo lectoribus conjicere licet, quantus in aliis Ecclesiis lucernarum numerus fuerit, & cur in Actis Fundationis vel Donationis de Ecclesiarum luminaribus frequentissime mentio occurrat.

§. XI.

Clades a Normannis illata.

Non sine causa Legatos Regios cum mandatis missos legimus, qui de Monasteriis a Normannis exterminatis cognoscerent. Cum volveretur annus octingentesimus quinquagesimus primus, decima tertia Octobris Classis Normannorum fluvium Sequanam ingressa est Duce *Hoseri*, qui ante decennium Rotomagum incendio cremarat, & per trimestre in illa ora commorati prædones Monasterio Fontanellensi ultimam perniciem attulerunt. Monachi cum jam bis antea

Chro. Font. Duch. to. 2. p. 398.

Chro. Font. to. 3. spicil. p. 251.

Sæculum IX. A. C. 853.

tea vitam dato pretio redemissent, & amplius pecunia non suppeteret, fuga salutem quærere statuerunt; itaque refossis ossibus S. Wandrilli & S. Ansberti, & accepta, quæ supererat, supellectile, in Territorium Pontiniacense & inde in Bononiense, ubi fundos possidebant, se receperunt, ab Hersenda Abbatissa Blanciacensi magna Charitate excepti. Interim Normanni Monasterium Fontanellense Incolis vacuum ad solum usque cremant nona Jan. anno 852. postquam a tempore fundationis annis circiter ducentis stetisset. Monasteria etiam Bellovacense & Flaviacense seu S. Germari igni vastarunt, & per menses octo utramque Sequanæ oram depopulati, quinta Junii conscensis navibus Burdegalam, unde advenerant, reversi sunt.

Act. SS. Ben. to. 2. p. 557. to. 3. p. 455.

Sup. lib. XXXVIII. §. 59.

Anno sequente octingentesimo quinquagesimo tertio Normanni Ligerim adeuntes urbem Nannetensem, Monasterium S. Florentii ac vicina loca populantur. Et deinde superiora petentes obsident Cenomanum, unde eorum Dux manus Turonem usque emittebat, quæ captivos abriperent & totam viciniam ad convehenda omnia obsidentibus necessaria compellerent. Tunc vero, cum omnes facile intelligerent, capto Cenomano ad obsidendam Civitatem Turonensem venturos, Canonici consentien-

Chro. Norm. Duch. to. 2. p. 525. Ann. Bert. 852.

tibus

Sæculum IX. A. C. 853.

tibus civibus Corpus Beati Martini ad Monasterium Cormaricum & inde ad Civitatem Aurelianensium transtulerunt. Normanni, ut prævisum fuerat, Turonem octava Novembris pervenerunt, sed tanta Cari & Ligeris fluviorum excreverat inundatio, ut hostiles cunei ab urbe arcerentur. Ergo Majus-monasterium evertunt & incendunt, ac centum sexdecim Monachos gladio percutiunt. Viginti autem quatuor alii in diversis antris delituerunt cum Abbate suo Hebernо, qui nihilominus a Danis inventus & varie excruciatus nec Fratres tamen nec thesauros Ecclesiæ prodidit. Recedentibus tandem Normannis Canonici S. Martini Abbatem Majoris-monasterii & viginti quatuor Monachos humanissime exceptos tectis & alimentis prope suam Ecclesiam juvant. At Corpus S. Martini Aureliano in Monasterium S. Benedicti ad Ligerim, atque exinde Antissiodorum translatum Hebernus & bis duodecim ejus Monachi, quocunque deferretur, secuti nunquam deinceps ab sacris exuviis avelli potuerunt.

Odo Clun. de Transl. S. Mart. to. 7. Biblioth. p. 827.

§. XII.

Articuli Carisiacenses.

Concilio Suessionensi soluto, cum Rex Carolus Carisiacum ad Oesiam venisset, cum quibusdam Episcopis & Abbatibus

Ann. Bertin. 853. to. 8. Conc. p. 56.

batibus sequentibus quatuor Articulis ab Hincmaro contra Doctrinam Gotteschalci editis subscripsit. *Primo, Deus per suam præscientiam ex massa perditionis elegit, quos per Gratiam prædestinavit ad vitam æternam. Ceteros autem quos Justitiæ judicio in massa perditionis reliquit, perituros præscivit, sed non ut perirent prædestinavit, quamvis eos ad pœnam æternam prædestinaverit. Ac per hoc unam Dei prædestinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad donum pertinet Gratiæ, aut ad retributionem Justitiæ. Secundo, libertatem arbitrii in primo homine perdidimus,* (*) *quam per Christum Dominum nostrum recepimus, & habemus liberum arbitrium ad Bonum, præventum & adjutum Gratia; & habemus liberum arbitrium ad Malum, desertum a Gratia. Libe-*

Sæculum IX. A. C. 853. *Maug. diss. c. 33.*

(*) Hincmarus hic disputat in Systemate Hypothetico Status Humanæ Naturæ per peccatum Originale lapsæ. Quid autem dicendum de Prædestinatione in Thesi & abstrahendo a peccato Originali? nam certe liberum Adami arbitrium peccato originali non infirmatum erat, & tamen peccavit. Porro etsi Adam non peccasset, non ideo tamen etiam nemo ex ejus Posteris peccasset; sed aliqui in innocentia perseverantes salvati, aliqui ob peccata sua personalia damnati fuissent ad pœnam æternam. Item aliqui Angeli, sed non sine Gratia Prædestinationis, in statu innocen-

Sæculum IX. A. C. 853. *Liberum autem habemus arbitrium, quia Gratia liberatum, & Gratia de corrupto sanatum. Tertio, Deus Omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, quamvis non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, Salvantis est donum, quod autem aliqui pereunt, pereuntium est meritum. Quarto, sicut nullus homo est, fuit vel erit, cujus Naturam JEsus Christus non assumserit, ita nullus homo fuit vel erit, pro quo passus non fuerit; licet non omnes Passionis ejus Mysterio redimantur. Quod vero non omnes redimuntur, non inde fit, quia non sufficit Redemptionis pretium, sed quia sunt, qui non credunt ea fide, quæ per dilectionem operatur. Nam poculum humanæ Salutis ex nostra infirmitate & virtute Divina mixtum, habet quidem in se, ut omni-*

nocentiæ salvati, alii sine præcedente peccato originali lapsi sunt & damnati. Ergo prædestinatio ad pœnam æternam, ut loquitur Hincmarus, non fundatur in eo, quod ob peccatum originale aliqui relicti sint in massa damnationis, sed quod Deus, etiam præscindendo a peccato originali per Gratiam prædestinet ad Gloriam, quos vult, & quos non vult, non prædestinet. vid. Pat. Serry Ord. Præd. in Augustino D. Thom. conciliato. Mezger in Tract. de Deo uno dicit, de facto probabile esse ex Auctoritate S. Aug. & S. Thomæ, in hominum Reprobationem accessisse titulum peccati originalis.

omnibus prosit, sed si non bibitur, non me-detur.

Sæculum IX. A. C. 853.

§. XIII.

Æneas Episcopus Parisiensis.

Prudentius Episcopus Trecensis ex numero illorum fuit, qui his quatuor Articulis subscripserunt, & nihilominus eodem anno octingentesimo quinquagesimo tertio se iisdem adversari datis publice litteris professus est. Erchanrado Episcopo Parisiensi fatis functo, Æneas, in Palatio Notarius, postulante Rege Carolo ei suffectus. Extat Decretum Electionis a Lupo Abbate Ferrariensi compositum, & ad Venilonem Archiepiscopum Senonensem, ceterosque illius Provinciæ Episcopos, nomine Clericorum Ecclesiæ Matricis Parisiensis, Monachorum S. Dionysii, S. Germani, S. Genovefæ, S. Petri de Fossis aliorumque Monasteriorum directum, quo declarant, se Regis desiderio acquiescentes Æneam Episcopum expetere. Illo igitur Concilio ad confirmandam hanc Electionem congregato, Prudentius Trecensis ob corporis infirmitatem venire prohibitus, per litteras absentiam excusavit, in quibus dicit, se in Ordinationem futuri Episcopi consentire, ea conditione, ut subscribat omnibus Decretis S. Sedis & Scriptis Patrum; speciatim vero quatuor Articu-

Hincm. de præd. c. 21. c. 26. to. 8. Conc. pag. 1875. Lup. ep. 98.

to. 8. pag. 1885.

Sæculum IX. A.C. 853.

Articulis contra Pelagianos pugnantibus, videlicet: *Primo, Liberum arbitrium in Adamo perditum, nobis in JEſu Chriſto reſtitutum fuit, ita ut ejus Gratia ad omne opus bonum indigeamus. Secundo, Deus ante omnia Sæcula hos per ſuam gratuitam miſericordiam ad vitam æternam, alios per Juſtitiam incomprehenſibilem ad pœnam prædeſtinavit. Tertio, Sanguis JEſu Chriſti effuſus eſt pro omnibus hominibus, qui in eum credunt, non vero pro illis, qui in eum non credunt. Quarto, Deus omnes ſalvat, quos vult ſalvare, & hos, qui non ſalvantur, ſalvare non vult.*(*) Hi ſunt quatuor Articuli, quibus tanquam Doctrinæ S. Auguſtini clariſſimæ Neoelectus Epiſcopus ſubſcriberet Prudentius volebat.

Credibile etiam eſt, Æneam ſubſcripſiſſe, cum Prudentius in ejus Ordinationem conſenſerit. Ipſius enim nomen legitur inter ceteros Epiſcopos illius Provinciæ in epiſtola ſcripta nomine Venilonis & ipſius Suffraganeorum ad Eccleſiam Pariſienſem data. In ea declarant, quod approbaverint Electionem Æneæ, cujus induſtria & zelus celebris eſſet omnibus Regiam adeuntibus. Dicunt etiam cunctos ſe Decreto ipſius Ordinationis

Lup. 9.

(*) Propoſitiones manifeſte hæreticæ!

tionis subscripsisse. Hanc quoque epistolam Lupus Ferrarienſis concinnavit. Sæculum IX. A. C. 853.

Amplius isto, Concilium Vermerii mense Augusto hujus anni octingentesimi quinquagesimi tertii celebratum. Adfuere Metropolitæ quatuor cum suis Suffraganeis, videlicet Venilo Archiepiscopus Senonensis, Hincmarus Remensis, Paulus Rotomagensis, Amalaricus Turonensis & quidam alii Episcopi ex Provincia Lugdunensi. Hic iterum aliquid occurrit de infirmitate Herimanni Episcopi Nivernensis, cujus jam in Concilio Suessionensi mentio facta; & quia cura ipsius Archiepiscopi plurimum ei profuerat, Regimen Ecclesiæ suæ denuo recepit. In hoc quoque Concilio Articuli, quos Rex Carolus in Synodo Suessionensi promulgari jusserat, approbati.

tom. 8. p. 9. Capit. to. 2. p. 58.

Sup. §. 28.

§. XIV.

Martyres Cordubenses.

At Cordubæ Mahomet persecutione Christianorum Regnum auspicatus prima die omnibus, qui Patri suo servierant, e Regia ejectis, iisdem tributum imperavit, & militibus Christum colentibus stipendia eripuit. Ad præfecturas deligebat, quos Christianis infensissimos noverat; unde non solum severissime puniebantur, si qui Prophetam illorum contempsissent, sed permulti ad Super-

Eulog. III. memor. p. 1.

Sæculum IX. A.C. 853.

stitionem Mahometanorum suscipiendam cogebantur. Inter Apostatas notatur ille *Cateb*, seu Notarius, anno superiore SS. Martyribus adversatus. Eum solum Mahometani, cum ceteri Christiani omnes ex Palatio pellerentur, servatum, quod lingua Arabica elegantissime eloqueretur, nihilominus elapso paucorum dierum spatio ad fratres suos abire jusserunt, & Ministerio, quo fungebatur, privarunt. Ille fortunæ pinguioris jacturam non ferens Musulmannum profiteri non exhorruit, eorumque templa frequenter ingredi cœpit, qui cum esset adhuc Christianus, fero ac pigre ad Ecclesiam procedere solebat. Tunc vero postquam Christum negavit in honorem pristinum restituitur & in Palatium revocatur, ut illius exemplo alii quoque perverterentur.

c. 3. Interea Rex omnes Ecclesias nuper structas, & quidquid novo cultu in antiquis Basilicis splendebat, ex quo Musulmanni rerum potiri cœperant, dirui jubet, atque

c. 4. omnibus Christianis Judæisque e Regno suo pulsis non alios quam suam Religionem profitentes tolerare animo constituit; sed in principio Regni seditiones & bella exorta indignantem ab hoc proposito abstraxerunt. Imo ipso etiam ringente complures Arabes Christiana Sacra amplexi mortem generose contempserunt; quam-

Sæculum IX. A. C. 853.

quamvis alios subeunda tormenta a professione publica fidei Christianæ absterrerent. Inter seditiones exhausto ærario, Christianos exactionibus dure vexabat, quas a Christianis colligere aliquos falsos fratres non pudebat. Musulmannorum vero præcipui, cum viderent, Christianos immani jugo premi, dicebant: *Quo nunc abiit Heroum vestrorum virtus? quo decertandi ardor aufugit? qui ad oppugnandum Prophetam nostrum concitis gressibus currebant, justa ultione perempti sunt. Nunc adsint, nunc veniant, modo properent, si Divinitus inspirantur!* Tunc igitur juvenis quidam Fandila Monachus aspectu decorus & virtute venerabilis primus Martyrio sese obtulit. Is in urbe Accitana (hodie Portus Gaditanus dicitur) progenitus, Cordubam discendi gratia missus, Monachis se junxit, & in Monasterium Tabanense sub regimine Martini Abbatis se recepit. Ibi aliquamdiu versatum Monachi ad radicem Mellaris pinnaculi (*) ab Abbate ipsius sibi exposcunt, & invitum Presbyteri ordine sacrari curant, gemino Monasterio virorum fæminarumque illius loci præfuturum. Ille Abbas factus multo magis vigiliis, jejuniis & orationi incubuit. Ergo quadam die Cordubam se confert, Judicis obtutum intrepide subit, prædicat Evan-

c. 5.

S. Fandila Martyr.

c. 6.

c. 7.

* Pinna mellaria.

Sæculum IX. A. C. 853.

gelium, Sectæ Mahometis impudicitias exprobrat. Judex vinculis onustum mittit in carcerem, remque defert ad Regem, qui illico excandescens & tantæ audaciæ sermones, suæque potentiæ contemptum miratus voce terribili Episcopum Cordubensem custodiæ tradi imperat. Sed cum ille fuga se periculo subtraxisset, jussit Rex mandato generali cunctos viros Christianos interfici, & fæminas venumdari, quo tota gens dispergeretur. Attamen immane consilium intervertit Optimatum prudentia, monentes, æquitati repugnaturum, si ob unius temeritatem, quam ipsi proceres & sapientes Christianorum damnarent, totus populus exterminaretur, Rex erubuit repellere, eique satis fuit, jubere, ut Fandilæ caput amputaretur, & corpus trans fluvium patibulo suspenderetur. Id actum 13. Junii, anno 853. eadem die ejus memoriam colit Ecclesia.

Mart. Rom. 13. *Jun.*

Altera die Anastasius & ipse Presbyter Martyrio coronatur, qui ab ineunte ætate apud Basilicam S. Asciscoli Cordubensis disciplinis & litteris eruditus, & Diaconus ordinatus, hoc Ministerium dimiserat, vitæ Monasticæ desiderio. Tandem Sacerdotio initiatus cum Judices adiisset, & conviciis Prophetam fuisset prosecutus, confestim unacum Felice Monacho, Compluti nato, sed origine Afro,

c. 8.

Afro, interficitur. Utrique caput amputatum. Eadem die hora circiter nona Sanctimonialis nomine Digna ex Monasterio Tabanensi, cui Elisabetha præerat, ad accipiendam Martyrii palmam cucurrit. Illa haud multo abhinc tempore per somnum conspicere sibi videbatur Agatham, lilia & rosas ferentem, sibi florem porrigentem, & invitantem ad sui imitationem. Ex illa die crevit Martyrii desiderium, & fama ad eam perlata Anastasium & Felicem pro JEsu Christi nomine mortem fortiter oppetiisse, omnis moræ impatiens Monasterii claustris clam apertis strenue Cordubam contendit, ubi conspectum Judicis subiens, imperterrita quærit; quare occidissent Fratres suos, veritatis Confessores? addidit Confessionem Fidei, & opprobria in Religionem Mahometis. Nihil cunctatus Judex a lictoribus puellam decollari, corpusque pedibus sursum versis cum duobus aliis Martyribus in equuleo suspendi. Una itaque die hi tres Martyres, nempe decima quarta Junii Æra 891. seu anno Salutis 853. passi sunt. Die altera Benildis, fæmina ætate jam provecta, & magna pietate conspicua idem Martyrii genus consummavit; atque Ecclesia quatuor hos Martyres die, qua obierunt, colit. Cadavera postea, ingenti concremata incendio, & in flumen dispersa.

Sæculum IX. A. C. 853.

Martyres Cordubenses.

Mart. Rom. 14. & 15. *Jun. c.* 9.

Sæculum IX. A. C 853. Cum Columba Abbatis Martini, & Eliſabethæ Abbatiſſæ ſoror, illa compluribus annis junior, piiſſimæ ſororis & Jeremiæ mariti ejus (*) conſortio in puellaribus annis tenerrime afficeretur, magnum ſe Deo conſecrandi deſiderium concepit. Id vero mater, quæ futuras filiæ nuptias meditabatur, indigne ferens, ſæpius ob hanc rem cum filia natu majore & genero jurgabatur. Columba multoties in matrimonium ab honeſtis procis exoptata nunquam eo adduci potuit, ut conſentiret, & tandem morte matris libera ad Monaſterium Tabanenſe convolans diſciplinæ Martini Fratris ſui inſtituendam ſe tradidit. In Monaſterio ceterarum omnium exemplar facta, ut liberius orationi vacaret, ſe ſolam cellulæ includendi licentiam obtinuit. Ecce autem, Congregatione Tabanenſi crudelitate Muſulmannorum in diverſa ſparſa, Moniales Cordubam in quamdam do-
S. Columba. mum, quam prope Eccleſiam S. Cypriani habebant, ſe recipere coguntur. Ibi quoque Columba majore in dies perfectionis deſiderio incendebatur, cumque præterea multis revelationibus firmaretur, quadam die e monaſterio clam egreſſa, inquirit, ubi Judex habitaret, ejus con-

(*) Nempe illo tempore quo etiamnum Eliſabetha cum Jeremia marito erat.

Sæculum IX. A. C. 853.

confitetur, & blandis verbis hortatur, ut se pectum subit, fidem Christianam converteret. Virginis speciem verbaque miratus Judex in Palatium deductam Satrapis exhibet. Illa etiam coram toto Senatu fidem Christi forti animo prædicavit; unde Mahometani desperantes eam perverti posse, confestim ante fores Palatii necari jubent; quæ priusquam percuteretur carnifici sibi cervices amputaturo mercedem largita est. Corpus Virginis non sicut ceterorum Martyrum expositum, sed in canistro ut erat lineis vestibus indutum in flumen projectum. Passa est autem S. Columba 17. Sept. anno 853. Æra 891. ejus corpus post sex dierum spatium quorumdam Monachorum industria inventum est integrum, delatumque ad Eulogium Presbyterum, qui illud in Ecclesia S. Eulaliæ honorifice sepelivit.

S. Columbæ Virginis & Martyris exemplum secuta est S. Pompoſa Monialis Pinnæ mellariæ. Istud Cænobium, S. Salvatori dedicatum, ad radicem rupis, quam apes sibi in sedem elegerant, positum erat, unde nomen, quod idem significat ac rupes mellis, traxit. Illuc Pompoſa cum parentibus, fratribus & cognatis se contulerat, atque ad sublimem perfectionis gradum pervenerat. Itaque, comperto ipsa die S. Columbæ Martyrio, cum c. 11.

Sæculum IX. A. C. 853.

jam dudum eandem palmam consequi ardentissimis votis expeteret, sequente nocte Monasterii limen furtim egressa Cordubam pergit, mane Judici se sistit, & capite truncatur decima nona Septembris. Corpus in fluvium projectum & inde ereptum ad S. Eulaliam juxta corpus S. Columbæ sepelitur. Ecclesia vero SS. Martyres illa, qua passæ sunt die, colit.

Mart. Rom. 17. & 19. Sept.

§. XV.

Concilium Romanum.

Anast. to. 8. Conc. p. 101. 113.

Sub finem ejusdem anni Leo Papa IV. Romæ in Basilica S. Petri Concilium celebravit sexaginta septem Episcoporum, ex quibus quatuor, nempe, Josephus Episcopus Eporediensis, Nottingus Brixiensis, Petrus Spoletanus & Petrus Arretinensis ab Imperatore Lothario missi fuere. Joannes Archiepiscopus Ravennas misit Diaconum nomine Paulum, qui suo nomine interesset. Convenere autem Patres die octava Dec. Indictione secunda, anno Pontificatus Leonis IV. septimo, Imperii Lotharii trigesimo septimo, Ludovici filii ejus quinto, seu anno Reparatæ Salutis octingentesimo quinquagesimo tertio. Primo Nicolaus Diaconus Sermonem Pontificis ad Patres Concilii directum legit, cui postquam Benedictus Diaconus nomine

mine Episcoporum responsdisset, promulgati sunt Canones quadraginta duo, quorum triginta octo ex Concilio Eugenii II. Papæ (*) anno octingentesimo vigesimo sexto celebrato repetuntur cum quibusdam additionibus. Quatuor ultimi Canones in hoc Concilio conditi præcipiunt, ut superfluus numerus Presbyterorum, a vicinioribus Episcopis ordinatorum, qui Romæ versabantur, minueretur, cum eorum pars tertia Ministerio peragenda sufficeret. Omnes Presbyteri Civitatis, & Rurales Synodum Episcopi sui adire teneantur. Laici Presbyteros ex alia Diœcesi evocatos suæ ditionis Ecclesiis sine consensu Episcopi Diœcesani sub pœna excommunicationis Laico, & depositionis Presbytero intentata non præficiant. Nec etiam Abbates aut alii Patroni Ecclesiastici id præsumant, quia Presbyteri a nemine in officio constitui possunt, nisi ab illo, cui competit, illos ordinare & corrigere errantes, nempe, Episcopo suo.

Sæculum IX. A. C. 853.

Sup. lib. XLVII. §. 11.

c. 39.

c. 40.

c. 41.

c. 42.

(*) In Inscriptione illius Concilii legitur: *Eugenius Sanctissimus ac ter Beatissimus & universalis Papa* &c. Alius est sensus in voce, *universalis Papa*, ac in voce: *universalis Episcopus, seu Oecumenicus;* sed & raro etiam vox *Papa universalis* occurrit.

Sæculum IX. A. C. 853. p. 120.

In eodem Concilio depositus est Anastasius Presbyter Cardinalis Ecclesiæ Romanæ Tituli S. Marcelli. Is per quinquennium relicta Roma in Diœcesi Aquilejensi versabatur, quem Papa quater per litteras monitum in duobus Conciliis ob culpam inobedientiæ excommunicaverat. Tum Papa Ravennæ apud Imperatorem Ludovicum juniorem commorans, obtinuit ab eo Mandatum ad Anastasium Presbyterum directum, quo ad Ecclesiam suam redire jubebatur, atque Episcopo Brixiensi & Comiti Adalgiso præcipiebatur, ut eum reduci curarent. Elapsa die ad reditum præstituta eum Pontifex Episcopis consentientibus anathemate percussit. Ravenna deinde Romam reversus, cum sciret Anastasium usque Clusium in Thuscia venisse, missis ad eum tribus (*) Episcopis ad Concilium decima quinta Nov. eodem anno 853. celebrandum vocavit. Ille iterum mandata contempsit.

Itaque Pontifex in hac Synodo octava die Dec. Epistolam, in qua dicta omnia

(*) Addam hic Natalis Alexandri brevem Reflexionem: *Maximam jam tunc fuisse Cardinalium Dignitatem cogita, cum tres Episcopi Cardinalem ad Synodum Canonice vocaturi mittantur. Sed ad Residentiam Cardinales obligatos fuisse inde collige.*

nia referebantur, recitari jussit. Tres quoque Episcopi ad Anastasium missi, quid egissent, retulerunt, & mandata, quæ ferebant, lecta. Tum Papa ex Episcopis ab Imperatore missis quæsivit, cur hunc Presbyterum, ut sibi mandatum fuerat, non sisterent, qui respondeRunt, eum a se inveniri non potuisse. Tandem ex sententia totius Concilii, & secundum Canonem tertium Antiochenum (*) Presbyter Anastasius deponitur, atque huic Decreto Papa, Ludovicus Imperator, Episcopi præsentes quinquaginta novem, absentium Legati octo, Presbyteri viginti, & Diaconi Ecclesiæ Romanæ sex subscribunt. Sæculum IX. A. C. 853. *Sup. Lib. XII. §. 12.*

§. XVI.

Leopolis conditur.

Civitas Centumcellensis annis jam prope quadraginta deserta dirutis mœnibus patebat incursibus Saracenorum; unde incolæ in lucos & montes se receperant timidi & belluarum instar errantes. Leo Papa commiseratione motus illo se conferens locum commodum ad condendam civitatem quæsivit; quo inde duodecim millibus in monte invento, *Anast.*

(*) Hic nota, quanta Romæ in Synodo Summo Pontifice præsidente Canonum in Concilio Provinciali editorum Reverentia fuerit.

Sæculum IX. A. C. 854.

to, molitus est novam civitatem eamque de nomine suo Leopolim appellavit. Illam eodem ritu, quo prius Civitatem S. Petri dedicavit, totam pedibus circumiens, & mœnibus aquam benedictam aspergens. Missa deinde celebrata populum liberali largitione recreavit. Ecclesiis quoque hujus novæ Civitatis, quæ decima quinta Octobris anno Pontificatus sui octavo, seu anno Salutis octingentesimo quinquagesimo quarto dedicata est, ingentis pretii dona contulit. Posterioribus sæculis cum minus commodus videretur loci situs ad antiquam civitatem Centumcellensem, quæ ideo Italico sermone *Civita Vecchia* seu vetus Civitas dicta in littore maris, reversi sunt.

Sup. Lib. XLVIII. §. 59.

v. Baudr. Centumcell.

§. XVII.

Michaelis Imperatoris impietas.

Post. Theoph. IV. n. 21. 36. 37.

Interim Constantinopoli Michael Imperator grandior factus Barda Avunculo impellente, qui sub nepotis umbra Regnum affectabat, Theodoram Matrem e Regia expulit. Nempe & juvenis & Dominus in omnem vitæ licentiam effusus, & Circi spectaculis summopere gaudens, vehicula ipse regere gestiebat, agasonibus usque adeo familiaris, ut eorum liberos e fonte Baptismi levare non dedignaretur. Obsidebatur turba dissoluto-

n. 38.

lutorum hominum, quos honore prose- Sæculum IX.
quebatur, & Religionem ludibrio habens A. C. 854.
volebat eos vestibus Pontificiis auro textis indui, & cæremonias, quas Christiani sacrosanctas habent, per ultimum contemptum imitari. Eorum præcipuum nomine Theophilum cognomento Grylum Patriarcham appellabat, ceteris vero nomina undecim Metropolitarum, qui, aliis præfecti, Sedi tamen Constantinopolitanæ subjiciebantur, tribuebat, & se ipsum, nam societatem impiam non respuebat, Colonienſem vocari patiebatur. Cantum Ecclesiasticum ludentes citharis imitabantur, jam mollius, jam fortius fides tangentes, ut sonum Sacerdotis submissa vel elata voce orantis exhiberent. Vasa habebant gemmis ornata, quæ implentes aceto & sinapi Communionem Fidelibus porrigere simulabant.

Ritu solemni per Civitatem bini & bini procedebant, & Gryllus asino vehebatur omnibus aliis sequentibus. Cumque quadam die in platea insanientibus Ignatius Patriarcha inter publicas preces cum Clericis suis procedens occurreret, Gryllus optatissimam occasionem captans, levata casula ludere fidibus cœpit. Cunctis deinde sociis chordas tangentibus ingenti strepitu orantes turbarunt, Patriarcham Clericosque ipsius con-

Sæculum IX. A. C. 854.

convíciis insolentissime insectantes. Alia die Michael Imperator Theodoram matrem moneri jubet, ut veniret & Benedictionem Patriarchæ acciperet. Piissima matrona credidit adesse Ignatium, venerabunda accurrit & in pavimento se prosternit. Aderat vero Gryllus barbam & faciem occultans, qui inter voces petulantissimas obscenum alvi crepitum edens addidit: *Damus tibi, Domina, quod habemus.* Imperatrix contumelia immani exacerbata, & hunc Patriarcham execrata est & filium suum, cui prædixit, fore, ut Dei auxilio destitueretur.

Id. n. 13. *Simeon. Mag. n.*20.

Tandem anno Michaelis decimo tertio, salutis octingentesimo quinquagesimo quarto mater compellente filio e Regia discessit, comam sibi & filiabus abscindi passa est, in Monasterium migratura. Conatus est etiam Imperator Ignatium Patriarcham ad conferendum eis habitum Monasticum permovere, quod autem facere constanter detrectavit, dicens: *Cum Ecclesiæ hujus regimen susciperem, scripto promisi & juravi, nihil me unquam facturum, quod saluti tuæ & gloriæ noceret. Quid enim deliquerunt optimæ Principes, quo tam male haberi meritæ essent?* Hæc elocutus Patriarcha recessit. Imperator vero matrem sororesque in Palatio, quod

Id. n. 13. *Post. Theoph. n.*22

vit. Ign. p. 1194.

a Ca-

a Cariano dicebatur, arctæ cuſtodiæ tradidit. Interim Bardas Theodoræ frater, vir rebus gerendis aptus, ſed vitiis depravatus, nepotis vecordia in rem ſuam uſus totam ſibi ſoli poteſtatem uſurpabat. Sæculum IX. A.C. 854.

§. XVIII.

S. Anſcharius Epiſcopus Bremenſis.

In Saxonia S. Anſcharius, irrumpentibus Normannis, jam anno 845. Hamburgo expulſus, nihilominus Barbarorum converſioni incumbebat, alimenta accipiens e Monaſterio Turholtenſi in Belgica, quod ſibi Ludovicus pius dederat. Cum vero Rex Carolus, in cujus Regno Monaſterium poſitum erat, illud cuidam Procerum ſuorum, nomine Regnario, donaſſet, Anſcharius ad extremam redactus eſt paupertatem. Monachis Corbejæ veteris, qui eum ſecuti fuerant, ad Monaſterium ſuum reverſis, & compluribus aliis ab eo diffugientibus cum paucis tamen Diſcipulis remanentibus boni Paſtoris officio vacare non deſtitit. Rex Ludovicus, in cujus Ditionibus pio labori Anſcharius inſudabat, miſeratus quærebat remedium, quo illius inopiæ conſuleret; cumque in illa Regione nullum eſſet Monaſterium, quod ipſi conferre poſſet, ſtatuit ei dare Epiſcopatum Bremenſem, illis locis vicinum, & morte

Sup. Lib. XLVIII. §. 31. vita n. 35. to. 6. Act. p. 95. n. 36.

Sæculum IX. A. C. 854.

te Leuderici tertii illius Sedis Episcopi, anno 849. defuncti, vacantem. Cunctabatur Vir Sanctus hanc Sedem recipere, quod timeret, ne ambitionis accusaretur; quamobrem Rex in publicis Comitiis hanc causam proponens Episcopos interrogabat, an salva Canonum auctoritate id fieri posset. Responderunt Episcopi, omnino fieri posse, & multis exemplis relatis suam sententiam probarunt. Itaque rebus mature pensatis, quod nempe Diœcesis Hamburgensis, ad quam regendam Anscharius ordinatus fuisset, limitibus admodum angustis coerceretur, & continuis Barbarorum incursibus esset obnoxia, pronunciarunt, eam Diœcesi Bremensi posse augeri. Ne vero conquerendi causa daretur Waldegario Episcopo Verdensi vicino, a cujus Diœcesi pars illa, quæ trans Albim est, fuerat avulsa, statutum, ut Ecclesiæ Bremensis & Verdensis ad illum statum, quo Ludovici pii Imperatoris temporibus fuerant, reducerentur. His conditionibus Anscharius Episcopatum Bremensem Diœcesi Hamburgensi conjunctum eodem anno 849. Ludovici Regis nono accepit.

Postea hac mutatione in alio Concilio rursus ad examen revocata, res parum conveniens visa, quod Sedes Episcopalis, ad quam occupandam Anscha-

rius

rius fuisset ordinatus, impetrata etiam a Sacra Sede Institutionis hujus Confirmatione, in alia Diœcesi existeret, nam Hamburgum ultra Albim positum erat, adeoque in illa parte, quæ Episcopo Verdensi reddita fuerat. Ergo Decretum editum, quo ipse hanc partem reciperet, & aliam æqualem daret, consensitque Episcopus Verdensis. At consensus Metropolitæ tunc obtineri non potuit, nempe Archiepiscopi Colonienſis, quod illa Sedes tunc vacans per decennium circiter Episcopum non habuerit. Sæculum IX. A. C. 854. n. 38.

§. XIX.

Ecclesia Sueciæ.

Interim in Ecclesia Sueciæ, ex quo Gausbertum Episcopum alio nomine Simonem Barbari inde expulerant, Presbyter non fuit. Post septennii intercapedinem, circa annum octingentesimum quinquagesimum secundum Anscharius illo misit Presbyterum Anachoretam nomine Ardgarium, ut solatium ferret Christianis ibidem in Fide perseverantibus, præsertim cuidam Viro Sancto nomine Herigario, qui Fideles nullo præsente Presbytero confirmaverat, multaque mala a Barbaris perpessus fuerat. Porro S. Viri Fidem Cælum editis miraculis remunerabatur. Quadam die Suecis Comitia sua in aperto campo celebrantibus, *vit.* n. 25. n. 26.

Sæculum IX. A. C. 854.

suos laudantibus Deos, quibus sua opinione magna beneficia in acceptis referebant, & Herigario exprobrantibus, quod solus vanam Religionem sequeretur, dixit: *Eja! miraculis probemus, quisnam Deorum potentior sit, vestrine, an meus? statim, ut videtis, nubes in pluvias solventur. Rogate Deos vestros, ut nulla aquæ gutta super vos cadat, & ego quoque a Domino meo JEsu Christo petam, ut non madefiam.* Ergo illi ex una parte considunt, & ipse cum uno servulo ex adversa. Ecce vero decidens maximus imber usque adeo Infidelium vestimenta penetravit, ut ex fluvio primum emersisse viderentur. At in Herigarium & in puerum nec una cecidit guttula; quod Deorum cultoribus ingentis pudoris causa fuit. Factum aliquando ut Herigarius læso crure ingredi non valeret; amici decumbentem invisunt, suadent aliqui, ut ad sanitatem recuperandam Diis sacrificaret, alii dicebant, valere non posse, qui nullum Deum coleret. Cum tandem hæc jurgia ultra ferre non posset, petiit in Ecclesiam deferri, & cunctis audientibus oravit in hunc modum: *Domine mi JEsu Christe! sana me hoc momento, ut cognoscant hi miseri homines, te esse solum Deum, & ad te convertantur.* Illico sanatus, nullius adminiculo ex Ecclesia recessit.

n. 27.

Qui-

Quidam Rex *Sueonum*, seu Suecorum, e suo Regno ejectus, Danis auxilium ferentibus, Bircam obsidebat. Jamque periculum urgebat, ne hostes superatis mœnibus urbem diriperent. Tunc vero civibus, quos mercatura prædivites fecerat, trepidantibus, & opem Deorum suorum implorantibus, Herigarius (hujus quippe Civitatis præfectus erat) indignans ait: *Quo usque Dæmonibus servietis, & pessima superstitione Rempublicam subvertetis? dona maxima Diis vestris obtulistis, plura vovistis; ubi vero auxilium?* His permoti cives salutem suam ipsius arbitrio committunt, & ejusdem secuti consilium, JEsu Christo promiserunt, jejunia se servaturos & largas daturos eleemosynas. Interim Rex urbem obsidens Danis ad consilium vocatis ait: *Plures intus Deos habent; est & Ecclesia JEsu Christi Sacra Deorum potentissimo. Consulamus Deos, an per fata vobis hanc urbem expugnare permittatur.* Danis consentientibus, ita enim mos gentis ferebat, ex certis indiciis omen ceperunt, se urbis neutiquam potituros. Ergo ipsis iter altera die capessentibus Birca liberata est. Herigarius favente occasione usus cives hortabatur, ut JEsum Christum Deum colerent, & ubicunque versaretur, fidem intrepide prædicabat. Perseveravit ve-

Sæculum X. A. C. 854.

c. 28. 29. 30.

Herigarius in Suecia Christianus.

n. 31.

Sæculum IX. A. C. 854.

ro usque in finem, & ad extrema deducto Presbyter Ardgarius adfuit, qui eum Viatico munivit.

n. 32. Ardgarius Sacra Communione quoque refecit ſanctam quamdam fœminam nomine Frideburgim, præcipuum naſcentis illius Eccleſiæ ornamentum. Hanc nulla unquam improborum perverſitas a Fidei ſuæ rectitudine abſtrahere potuit, dicere ſolitam: *Si malum eſt hominibus mentiri, quanto magis Deo? Dominus meus JEſus Chriſtus omnipotens eſt. Ipſe mihi, ſi in ejus Fide perſeveravero, omnia quibus indiguero, præſtare poterit.* Cum provecta ætate premererur, & nullus adeſſet in Suecia Sacerdos, morti jam proximam ſe credens, præcepit filiæ, ut curam haberet aliquantulæ portionis vini, quod in vaſculo reſervatum fuerat, & ſi quando ſibi ultimum tempus inſtaret, de ipſo vino, quia Sacrificium non habebat, quod ſciebat eſſe Viaticum Chriſtianorum, ſibi in os diſtillaret. Hoc vinum tribus fere annis apud eam conſervatum eſt, (*) & ex hoc exemplo liquet,

v. Mabill. præf. to. 3. Act. n. 75.

(*) Hic adjecit Mabillonius: *Hunc locum pro Viatico ſub utraque ſpecie notavi in præfatione Sæculi III. n. 75.* Inde tamen non ſequitur, ſemper & ubique Viaticum ſub utraque ſpecie ad moribundos fuiſſe delatum. Ceterum

quet, Presbyteros adhuc illo tempore Fidelibus Viaticum sub specie vini porrexisse. Sæculum IX. A.C. 854.

Porro Frideburgis, quia in sæculi rebus dives erat, & semper dandis eleemosynis intenta filiæ suæ injunxit, ut post suum ex hac luce discessum cuncta, quæ illius erant, in pauperes dispensaret. *Et quia hic*, inquit, *pauperes minus inveniuntur, venditis omnibus sume tecum argentum, & vade Dorstatum, ubi complures Ecclesiæ sunt, & indigentium multitudo.* Filia quæ mater jusserat strenue adimplevit, & Dorstati Religiosas fœminas invenit, quæ eam instruxerunt, quid cuique dispensare deberet. Quadam die ad hospitium suum rediens, saccum, in quo argentum fuerat, in quodam loco vacuum posuit, & paulo post iterum plenum, sicut ante erogatas eleemosynas fuerat, invenit. Tum adscitis ad se feminis, quæ secum prius ierant, coram illis pecunias computans, tantum invenit quantum illo attulerat, exceptis quatuor denariis, quos ad coe-

rum, istud Vinum a piissima femina Fridburge conservatum, fuisse vinum commune & non consecratum satis constare videtur ex eo, quod tribus tantum annis dicatur asservatum, & per annos septem nullus in Suecia Presbyter extitisse legatur.

Sæculum IX. A. C. 854.

mendum vinum seque refocillandum expenderat. Prodigium ad Presbyteros quoque, quos melior fama commendabat, detulit, qui re comperta, *quia*, inquiebant, *Matri tuæ obediviſti, hoc fidelitatis tuæ præmium tibi Cælum confert. Hoc jam ſigno quod Mater tua in Domino ſalva ſit firmiter crede, & hoc miraculo admonita, tu quoque pro Chriſto tua dare ne timueris.*

Hæc miracula, ſi quæ alia, fide digna ſunt, cum in vita S. Anſcharii a S. Remberto ejus diſcipulo & Succeſſore referantur. Deinde ſi affirmare licet, decuiſſe Deum non nunquam miracula edere, certe tunc oportuit, quando novellæ Eccleſiæ in fide confirmandæ erant. Ceterum Ardgarium Presbyterum ad id ſolum in Sueciam veniſſe videri potuit, ut hos duos Fideles in extrema lucta juvaret, nam poſt exceſſum Herigarii, amore ſolitariæ, quam antea duxerat, vitæ locum ſuum repetiit; ſicque denuo Chriſtiani inibi poſiti Sacerdotali ſunt præſentia deſtituti.

n. 34.

§. XX.

Initia Eccleſiæ in Dania.

vit. n. 41. v. Heus. 3. Febr.

Anſcharius Fidem in Daniam invehere conabatur, unde Horicum ſeu Ericum, qui tunc ſolus monarchiam regni tenebat Danorum, frequentius adiens, mune-

muneribus & quibuscunque poterat obsequiis conciliare sibi studebat, ut sua licentia prædicationis officio in Regno ejus fungi posset. Aliquoties namque regia etiam legatione ad eum mittebatur, & quæ ad fœdera pacis seu utriusque Regni utilitatem pertinebant, strenue & fideliter peragebat. Quare cognita S. Viri fide & bonitate Rex multo eum affectu cœpit venerari, libenter ejus consilio etiam in arcanis uti, & familiarissimum in omnibus habere. Fœdera cum Saxonibus inita illius fide volebat firmari, dicens id sibi fidissimum & certissimum esse, quod ipse spopondisset. Hac igitur familiaritate in rem suam usus S. Anscharius cœpit eum hortari, ut Christianus fieret. Rex quoque omnia, quæ sibi de S. Scriptura suggerebantur, benigne audiebat, & bona prorsus ac vere salutaria esse laudabat. Tandem S. Episcopus ab eo petiit, ut in regno suo Ecclesiam extrui pateretur, ubi Sacerdos semper adesset, qui Verbi Divini semina ac Baptismi gratiam quibuscunque suscipere volentibus traderet. Concessit Rex benignissimo affectu, quod rogabatur, & in portu Regni sui *Schlesvic*, mercatorum undique advenientium frequentia celeberrimo, Ecclesiam fabricari permisit. Ergo S. Episcopus, quod diu exoptaverat, perficit, Presbyterum

Sæculum IX. A. C. 854.

n. 42

Sæculum IX. A. C. 854.

ibi constituit, qui Dei Gratia fructuose prædicare Evangelium cœpit. Multi namque ibi antea erant Christiani, Dorstati olim aut Hamburgi baptizati, quorum aliqui Primores ipsius vici habebantur, & gaudebant facultatem sibi datam, Christianam Religionem libere profitendi. Horum exemplo multi quoque alii & viri & feminæ convertebantur, factumque est gaudium magnum in illo loco præsertim accedente lucro temporali, quippe Dorstatenses & Hamburgenses mercatores fide publica tuti Schleswicum frequentius confluebant. Verum plerisque horum Neophytorum satis erat signaculum Crucis recipere, ut Catechumeni fierent, quo eis Ecclesiam ingredi & Sacris Officiis interesse liceret; Baptismi tamen susceptionem differebant usque ad finem vitæ, hoc sibi bonum dijudicantes, si tunc lavacro salutari abluti, puri & immaculati vitæ æternæ januas intrarent. Multi quoque apud eos infirmitatibus detenti, cum se frustra Idolis pro Salute sua sacrificasse viderent, Christianos se futuros vovebant, & accito Sacerdote perceptaque Baptismi Gratia statim incolumes divina largitate fiebant. Ita magna Danorum ad Fidem Christi conversa est multitudo.

§. XXI.

Sæculum IX.
A C. 854.

§. XXI.

Res Ecclesiæ in Suecia.

Interim Anscharius summopere dolens, quod jam secundo Sueci Fideles Sacerdotis Ministerio privati essent, a Rege Erico literas commendatitias popoſcit, quibus instructus sub ejus præsidio illam gentem adire posset. Hac de re etiam *n.* 43. consilia contulit cum Gausberto Episcopo, olim in illam regionem a se missо, metuens, ne Fides Christi in illis partibus olim prædicata eorum negligentia ex toto deperiret. Respondit Gausbertus, se jam ante expulsum illo redire non audere, ne major tumultus excitaretur, & addidit: *Magis congruum mihi videtur, si tu ipse eas, qui hanc legationem primo suscepisti, quique benignissime ibi habitus fuisti. Mittam vero tecum Nepotem meum, qui ibi, si locus prædicandi sit, remaneat, & Sacerdotali apud eos officio fungatur.* His ita inter se constitutis Regem Ludovicum adierunt, qui hanc licentiam lubentissime dedit, & Anschario Episcopo tanquam suo ad Regem Sueciæ Legato literas commisit.

In Sueciam proficiscenti Ericus Rex Daniæ comitem itineris dedit suo nomine ad Regem Sueciæ *Olef*, seu Olaum, Legatum cum mandatis; diceret, Servum Dei, qui a Rege Ludovico missus

Sæculum IX. A. C. 854.

fines Regni ejus peteret, sibi esse per omnia cognitum, ac se in vita sua nunquam tam bonum vidisse hominem, nec in quoquam mortalium aliquando tantam fidem inveniisse. *Hinc illi*, inquit, *concessi in regno meo omnia facere, quæ ad invehendam Religionem Christianam utilia erant. Rogo te itaque, ut eandem gratiam ipsi exhibeas, quippe nihil aliud, quam quod bonum & rectum est, perficere cupit.* Anscharius susceptum peragens iter viginti ferme diebus navigatione transactis Bircam pervenit, ubi Regem & multitudinem populi maximo errore confusam habuit. Quidam enim homo illo advenerat dicens, se in Conventu Deorum, qui ipsam terram possidere credebantur, adfuisse, & ab eis missum, ut hæc Regi & populis Deorum nomine nunciaret: *Diu est, quod nos vobis propitios habuistis. Terram vestram nostro adjutorio in pace & prosperitate longo tempore tenuistis; vos quoque nobis Sacrificia & vota debita persolvistis, grataque nobis vestra fuerunt obsequia. At nunc & Sacrificia solita subtrahitis, & vota spontanea segnius offertis; & quod magis nobis displicet, alienum Deum super vos introducitis. Si itaque nos vobis propitios habere vultis, cavete, ne alterius quoque Dei cultum, nostro contrarium, recipiatis. Porro, si novum*

S. Anscharius in Suecia.

Deum

Deum habere cupitis, Ericum quondam Regem vestrum nos unanimes in collegium nostrum adsciscimus. His ergo monitis Sueci perturbati templum in honorem supra dicti Regis dudum defuncti struxerunt, & ipsi tanquam Deo vota & Sacrificia offerre cœperunt. Sæculum IX. A. C. 854.

Adveniens itaque illuc S. Episcopus ab amicis suis quondam ibi cognitis quæsivit, quomodo Regem hac super re interpellaret. Qui omnes asserebant, nihil omnino ea vice Legationem ejus posse proficere, sed si quid haberet pretii, eo uteretur, ut vivus inde evaderet. Quibus ille, si Dominus meus, inquit, de me ita decrevit, pro ejus nomine paratus sum hic & tormenta subire, & mortem pati. Tandem accepto consilio Regem ad suum invitavit hospitium. Cui convivium exhibens, dona obtulit, & Legationis suæ mandata aperuit; nam & antea causa adventus ipsius eidem Regi denunciata fuerat. Qui delectatus hospitis benevolentia, se quidem quæ ille suggesserat gratanter velle respondit, *sed hanc Legationem vestram*, inquit, *confirmare nec possum nec audeo, priusquam sortibus Deos nostros consulam, & populi quoque, in cujus, si unanimis sit, voluntate, quodcunque negotium publicum, magis quam in Regia potestate positum est, sententiam explorem. Mitte* n. 46.

Sæculum IX. A. C. 854.

te ex tuis aliquem ad conventum noſtrum proxime celebrandum, & ego pro te loquar populo, tum Reſponſum tibi notum faciam.

n. 47 Hoc Reſponſo accepto Epiſcopus totum ſe ad Domini convertit Refugium jejuniis & orationibus vacans, donec interiore luce roboratus cognovit, ſibi omnia proventura uti vellet. Rex congregatis primo principibus ſuis de Episcopi Legatione cum iis tractare cœpit; qui dixerunt, conſulendos eſſe Deos. Exeuntes igitur more gentis in campos ſortibus miſſis apparuit, Dei voluntate Chriſtianorum Religionem ibi eſſe invehendam. Cujus facti unus ex Primoribus S. Epiſcopi amicus eundem confeſtim certiorem fecit. n. 48. Cum deinde præſtituta dies Comitiorum, quæ in vico Birca habita, adveniſſet, Præcone, ut conſuetudo poſcebat, ex Regis mandato Legationis ipſorum cauſam vulgante, populus diverſa ſentire & fremitum edere. Cum vir gravis & canitie venerandus conſurgens in medio plebis, *audite me Rex & populi*, dixit, *Cultus illius Dei jam pridem permultis ex nobis cognitus eſt, ſcimus, quod magnum in ſe ſperantibus ſubſidium afferat; nam plures ex nobis id in periculis terra marique experti ſunt. Quare ergo abjicimus, quod neceſſarium nobis & utile ſcimus?*

Suecorum Conventus.

mus? aliquando nempe quidam ex nobis Dorstatum adeuntes, hujus Religionis normam, quam profuturam sibi sentiebant, spontanea voluntate suscipiebant. Nunc piratarum infestatione periculosum valde nobis iter illud factum est; quod ergo tam longe positum prius quærebamus, hic nobis modo oblatum quare non prensamus? Hoc ergo ita perorante omnis multitudo populi unanimis effecta consensit, ut secum Sacerdotes essent, & quæ competebant Mysteriis Christi fierent. Rex statim gratissimum nuncium ad Episcopum deferri jubet, significans, necdum tamen se plenam ei licentiam concedere posse, donec in alio Conventu, in altera Regni sui parte celebrando, id ipsum populis ibi positis nunciatum fuisset. Sed ibi quoque omnia secundum ardentissima S. Viri vota feliciter evenerunt.

Sæculum IX. A. C. 854.

Tum Rex vocato ad se Episcopo jussit Ecclesias extrui, Presbyteros recipi, & quicunque vellent de populo, nemine obsistente, Christianos fieri liceret. Episcopus autem nepotem Venerabilis Gausberti Episcopi Erimbertum Presbyterum Regi commendavit, cui Rex in illo Vico atrium ad Oratorium ædificandum dedit promisitque, semper se fidissimum Religionis Christianæ Defensorem futurum. Sic per Domini Gratiam rite omni-

Sæculum IX. A. C. 854. omnibus peractis S. Episcopus in Saxoniam rediit.

§. 51. Post hanc profectionem Rex Olaus expeditionem paravit in Choros (qui hodie Curlandi dicuntur) olim Suecis subjectos. Cum vero quamdam eorum civitatem adversa fortuna obsideret, & periclitaretur exercitus, quærendum fortibus statuit, quid sibi esset faciendum; at nemo Deorum promittebat auxilium. In his angustiis quidam mercatorum memores Doctrinæ & Institutionis S. Episcopi hortati sunt Suecos, ut Deum Christianorum invocarent. Ergo iterum Sors mittitur, eisque indicatur, quod Christus eis auxiliari vellet. Tunc confirmatis omnium animis & pugnam intrepide deposcentibus Curlandi ne quidem prœlii fortunam experiri ausi urbem melioribus, quam ipsi Sueci sperabant, conditionibus dedunt. Quærentibus deinde plerisque, quæ vota facere Christo Domino pro tanta victoria oporteret, a Christianis mercatoribus edocentur, JEsu Christo placitissimum fore, si jejunia & eleemosynas voverent, si nempe ad sua reversi, postquam domi septem dies essent, alios septem a carne omnes pariter abstinerent; sed & postea quadraginta diebus evolutis iterum quadraginta sequentes ab esu carnis se continerent. Cum hoc statutum cuncti libenti

benti animo perfeciſſent, ex eo tempore Erimbertus Sacerdos apud eos, quæ Dei ſunt, maximo Religionis Chriſtianæ in Suecia incremento, libere egit. Sæculum IX. A. C. 854.

§. XXII.

Eccleſia Danorum.

At in Dania ſubita rerum viciſſitudo naſcentem Eccleſiam turbavit. Quippe Normannis, poſtquam inde egreſſi Franciam annos viginti continuos devaſtaſſent, tandem denuo collectis & in patriam reverſis, ortum eſt bellum inter Regem Ericum & ipſius Nepotem, qui e regno ab Erico ejectus comparata claſſe Piraticam hactenus fecerat. Pugnatum atrociter, tantaque ſtrages edita, ut cæſorum multitudo innumerabilis videretur, Divino Numine tot Chriſtianorum a Normannis occiſorum ſanguinem ulciſcente. Rex quoque Ericus interemptus, & ex genere Godefridi parentis ejus unicus ſuperfuit puer, & ipſe Ericus nominatus, quem Dani Regem ſalutarunt. Porro Proceres, quos habebat S. Anſchario ignotos, ei perſuaſerunt, ut Religionem Chriſtianam rejiceret dicentes, Deos ſuos ſibi iratos eſſe, & quod ideo tanta eos mala invenerint, quia alterius & ignoti Dei cultum recepiſſent.

n. 54. Ann. Fuld. 854. Bertin. eod. Chro. Norm.

Inter omnes Religioni Chriſtianæ nemo infenſior Præfecto Sleswicenſi, nomine

Sæculum IX. A. C. 854.

mine *Hovi;* qui Ecclesiam ibi constructam jussit claudi, & Fidei Christianæ ritus prohibuit observari; unde & Presbyter, qui aderat, persecutionis acerbitate compulsus recessit. Itaque S. Anscharius sollicitus & tristis, quia tunc cum Erico juniore nullus erat amicorum suorum, quos antea largissimis donationibus sibi conciliaverat, humano destitutus auxilio more solito ad Divinum recurrit. Nec fefellit eum spes sua. Nam cum hujus rei causa ad Regem ire pararet, qui Præfectum Sleswicensem, sibi invisum, expulerat, misso ad S. Episcopum Legato rogavit, ut Sacerdotem illum ad propriam remitteret Ecclesiam, asserens, non se minus quam Seniorem Ericum Christi velle Gratiam promereri, & ipsius Episcopi amicitiam obtinere. Quo facto cum S. Anscharius ad Regem venisset Duce Burchardo utriusque Regis propinquo tanta gratia a juvene Rege exceptus est, ut statim ei omnia, quæ olim Antecessor suus, concederet. Insuper etiam, quod antea nefandum paganis videbatur, ut Clocca † haberetur in Ecclesia, item ut in vico, Ripa vocato, nova fabricaretur Ecclesia, & Sacerdos ibi adesset, consensit.

† Campana

Dum hæc agerentur, Gausbertus Episcopus quemdam Presbyterum, nomine Anfridum, ex gente Danorum oriundum

&

ab Ebbone olim Archiepiscopo Remensi in Dei Servitio educatum, in Sueciam misit. Qui cum illo perveniſſet, Sacerdote Erimberto redeunte, tribus annis ibidem est commoratus omnibus carus. Verum audito Gausberti Episcopi obitu exinde reversus post breve temporis spatium & ipse moritur. Porro S. Anscharius, ne Fides Christiana ibi interiret, quemdam ex suis Presbyteris nomine Raginbertum illo misit, qui in itinere latrocinantium insidiis captus & spoliatus postea vita functus est. Sed S. Episcopus ab incepto se retrahi nequaquam passus alium Presbyterum pro hac Missione a se ordinatum, natione Danum, nomine Rimbertum illo direxit, qui a Rege populoque benigne susceptus Divina apud eos Mysteria libere celebrabat illo adhuc tempore, quando S. Anscharii Successor ipsius vitam scribebat. S. Anscharius Presbyteros, quos ad Gentiles convertendos mittebat, hortabatur, ut nullius alterius rem concupiscerent nec peterent, sed ut magis exemplo Beati Pauli Apostoli ipsi quoque manibus laborarent, & victu & vestimento contenti essent; ipse tamen, quidquid necessarium habebant, eorumque sociis, insuper si quid pro amicis sibi acquirendis dandum erat, de suo abundanter suppe-

Sæculum IX. A. C. 854.

Sæculum IX. A. C. 855.

ditabat. Hæc fuit Eccleſiarum in Suecia & Dania origo.

§. XXIII.

Concilium Valentinum tertium.

De ten. ver. Sor. c. 2.

Maug. diſſ. c. 35.

In Francia quatuor Articuli, ab Hincmaro in Conventu Cariſiacenſi editi, opera quorumdam piorum virorum ad Eccleſiam Lugdunenſem transmiſſi, atque ab Archiepiſcopo Remigio præſentibus Clericorum ſuorum doctiſſimis ad examen vocati, omnium animos offenderunt; quod nempe Auctoritas Scripturæ, Patrum & præſertim S. Auguſtini oppugnari videretur. Ergo Remigius hos quatuor Articulos vulgato libello cum Titulo: *Veritati Scripturæ eſſe inhærendum*, refutare aggreſſus, præcipue geminam Prædeſtinationem Electorum & Reproborum aſſerit. Majore deinde Auctoritate eandem Doctrinam in Concilio Valentino tertio, jubente Lothario Imperatore Regni ejus anno decimo quinto, Indictione tertia, ſeu anno Incarnationis Dominicæ octingenteſimo quinquageſimo quinto, die octava Januarii, congregato ſtabilivit, cum in Cauſa Epiſcopi Valentini, cui diverſa crimina objiciebantur, Patres conveniſſent. Aderant Epiſcopi quatuordecim ex tribus Provinciis cum ſuis Metropolitis, qui Concilio præerant, nimirum Remigio Lug-

to. 8. p. 134.

Lugdunensi, Agilmaro Viennensi, & Rolando Arelatensi. Ebbone autem Gratianopolitano inter Episcopos præsentes nullus illustrior. Causa Episcopi Valentini finita, conditi sunt Canones viginti tres, quorum primi sex ad Doctrinam spectant. *Novas voces*, inquiunt Episcopi, *& garrulitatem audacem, unde contentiones & scandala nascuntur, devitamus; at S. Scripturam, eosque Doctores, qui eam clare exposuerunt, Cyprianum, Hilarium, Ambrosium, Jeronymum, Augustinum aliosque Catholicos indubitanter amplectimur. Nam de Præscientia Dei, de Prædestinatione & de quæstionibus aliis, in quibus Fratrum animi non parum scandalizantur, illud tantum firmissime tenendum esse credimus, quod ex maternis Ecclesiæ visceribus nos hausisse gaudemus.* Sæculum IX. A. C. 855. c. 1.

Deus ab æterno præscivit, & bona quæ boni erant facturi, & mala quæ mali gesturi erant. Prævidit, hos per suam Gratiam bonos futuros, & per eandem Gratiam mercedem æternam accepturos. Prævidit, alios per propriam malitiam malos futuros & per suam Justitiam æterna ultione damnandos. Præscientia Dei nulli peccatori necessitatem imposuit. Nemo ex Dei præjudicio damnatur, sed quemlibet malum ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari. Nec ipsos c. 2.

Sæculum IX. A C. 855.

dicimus malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis (*) permanserunt. Constanter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem; in electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum, in damnatione autem perituro-

§. 3.

rum meritum malum præcedere justum Dei judicium. Quippe Deus prædestinatione ea tantum statuit, quæ vel gratuita misericordia vel justo judicio facturus erat. Hinc in malis ipsorum malitiam tantum prævidit, quia ex ipsis & non ex ipso est. Sed prævidit, quia omnia videt, & prædestinavit, quia justus est, pœnam malorum meritum sequentem. Ceterum aliquos Divina potestate ita ad malum prædestinari, ut aliud esse non possint, non solum non credimus, sed etiam, si quis credat, ei anathema dicimus. Item de Redemptione Sanguinis Christi, illi nimium errant, qui asserunt, effusum fuisse etiam pro illis impiis, qui a Mundi exordio usque ad Passionem Domini in sua impietate mortui æterna damnatione puniti sunt. Sed simpliciter & fideliter

Prædestinatio Bonorum & Malorum.

(*) In ipso Concilio legimus etiam verba: *Vel merito originali vel etiam actuali permanserunt.*

fideliter tenemus, quod pro illis solum-modo hoc Sanguinis pretium datum sit, qui in JEsum Christum credunt. (*) *Ceterum rejicimus Capitula quatuor, quæ a Concilio Fratrum nostrorum minus prospecte suscepta sunt, quia sunt inutilia, noxia, & veritati adversa. Sed & alios XIX. Articulos syllogismis ineptissime concluſos, in quibus commentum Diaboli potius, quam argumentum aliquod Fidei deprehenditur, damnamus, Auctoritate Spiritus Sancti interdicimus, & novarum rerum auctores districtius castigandos esse censemus.* Quatuor Articuli, sunt illi, quos Concilium Carisiacense edidit. Et Articuli XIX. sunt illi, qui in libro Joannis Sco-

Sæculum IX. A. C. 855.

(*) Hæc minus Catholice dici videntur. Cardinalis Baronius ad hunc locum silet, sed P. Pagi in sua Critica Patres Concilii Valentini explicat in hunc modum: *Id ergo voluerunt unum illius Synodi Patres, Christum non pro illis mortuum esse, qui a mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui, æterna damnatione puniti sunt, ut scilicet eos ex inferno eriperet sicut Patres ex Limbo. Quare sensum Carisiaci Capituli non damnarunt Valentinæ Synodi Patres, sed alium, quem errore facti ipsi tribuerunt.*

Sæculum IX. A. C. 855.

ti (*) continentur. Tum in Concilio leguntur sequentia.

c. 5. *Item firmissime tenendum credimus, quod omnis multitudo Fidelium ex aqua & Spiritu Sancto regenerata vere a peccatis suis abluatur, cum in Ecclesiæ Sacramentis nihil sit ludificatorium, sed prorsus totum verum & sua sinceritate subnixum. Ex ipsa tamen multitudine Fidelium alii salvantur, quia per Dei gratiam perseverant, alii ad Salutem non perveniunt, quia irritam Redemptionis gratiam vel prava Doctrina vel vita sua*

c. 6. *faciunt. De gratia, per quam salvantur credentes & sine qua rationalis creatura nunquam beate vixit, & de Libero Arbitrio, in primo homine infirmato, sed per gratiam JEsu Christi sanato, fideliter credimus, quod Sanctissimi Patres auctoritate Sacrarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt, quod Africana, quod Arausica Synodus professa est, quod beatissimi Pontifices Catholica fide tenuerunt. Ineptas autem quæstiunculas & aniles pæne fabulas Scotorum, quæ his gravissimis temporibus usque ad scissionem Charitatis succreverunt, penitus respuimus.* Iterum Joannes Scotus Erigena hic vapulat. Cete-

(*) In Nota ad hoc Conc. additur: *De Prædestinatione Dei contra Gothescalcum editus a Mauguino.*

Ceteri Canones Concilii Valentini ad Disciplinam spectant. Initium ducitur ab Ordinatione Episcoporum. Rogetur Princeps, ut Canonicam electionem Clero & populo permittere dignetur. Episcopus ex Clericis ipsius civitatis, vel ex Diœcesi, vel si opus sit ex vicinia, vir dignus, eligatur. Si Clericus ex Servitio Principis eligatur, primum solicite examinetur, cujus vitæ sit, deinde cujus scientiæ; qua in re conscientia Metropolitæ oneratur, eique injungitur apud Principem, Clericos, populumque omnia, quæ necessaria videbuntur, agere, ne Episcopus indignus ordinetur. Metropolitis cura præcipua sit de vita & fama ipsorum Episcoporum. Tanta inter Episcopos charitas sit & consensio, ut rebelles Ecclesiæ filii ad pœnitentiæ humilitatem compellantur, aut si ab una Ecclesia fuerint excommunicati in nulla alia recipiantur. Duo juramenta contraria in Judicio nunquam admittantur, cum alterutrum necessario perjurium sit. Non tolerentur duella, ut ut consuetudinis auctoritate fulciantur. Quicunque pugna alterum occiderit, ad agendam legitimam pœnitentiam modis omnibus compellatur. Quicunque occisus fuerit, commemoratione in Dominica oblatione & sepulturæ Ecclesiasticæ honore privetur. Tandem Imperatoris

Sæculum IX. A.C. 855.

c. 19.

c. 13.

c. 11.

c. 12.

Sæculum IX. A.C. 855.

pietas imploretur, ut tantum malum editis publice decretis amoveat.

§. XXIV.

Res Italiæ.

to. 8. Conc. p. 146. to. 2. Cap. p. 349.

Mense Februario sequente Ludovicus Imperator Lotharii filius Regni Longobardorum Episcopos Ticini congregavit. Præcipui erant Angilbertus Archiepiscopus Mediolanensis, Andreas Patriarcha Aquilejensis & Josephus Episcopus Eporiensis Imperatoris Archicapellanus. Postquam Ludovicus Episcoporum sententiam de tollendis abusibus exquisivisset, conscripti sunt Articuli novemdecim; in quibus præter alia conqueruntur Episcopi, quod quidam Laici præsertim Magnates Officio Divino interessent in Ecclesiis, quas domibus suis proximas habebant, raro ad magnas Ecclesias venirent, ubi tamen documenta necessaria percipere oporteret. *Aliqui,* c. 3. ajunt Episcopi, *Clericos nostros sine* c. 4. *nostro consensu suscipiunt, & Missam a Presbyteris in alia Ecclesia ordinatis, aut a talibus, quorum incerta est Ordinatio, celebrari volunt. Alii Optimates Decimas dant Ecclesiis in illorum fundis positis, aut Clericis sibi servientibus, non* c. 16. *vero, uti tamen tenentur, Ecclesiis, in quibus Doctrinam, Baptismum, ceteraque Sacramenta accipiunt.* In hoc Concilio

cilio illud quoque legi poteſt, quantum Episcopis Diœceſim ſuam viſitantibus præberi debuerit. Imperator vero Ludovicus dato Reſponſo hortatur, ut Capitularia a Prædeceſſoribus ſuis edita obſerventur. Sæculum IX. A.C. 855.

Haud multo poſt tempore Daniel, Militiæ Magiſter, Roma ad Ludovicum profectus, locutus eſt in hunc modum: *Gratianus Romæ Palatio præfectus, cujus tu quidem fidem ſuſpectam non habes, hæc nuper ſolus ad me ſolum in domo ſua verſantem: Franci iſti nihil nobis proſunt, nullum præbent auxilium, imo res noſtras diripiunt. Cur non Græcos advocamus, & factis fœderibus Regem gentemque Francorum pellimus?* Indicium non ſpernendum ratus Ludovicus Romam ſtrenue contendit, nullis ad Pontificem vel Senatum præmiſſis litteris. Venientem Papa pro more ſuper majores gradus Baſilicæ S. Petri excipit, & leni ſermone ira commotum delinire ſatagit. *Anaſt. in Leon.*

Præſtituta die Gratianus in judicium vocatur, atque Imperatore Ludovico, cum Papa, Proceribus Romanorum Francorumque præſidente in Palatio, quod Leo III. prope Baſilicam S. Petri ædificaverat, Daniel adverſus Gratianum præſentem iterato accuſationem movit, quod ſe ad urbem Romam Græcis tradendam ſolicitaſſet. Gratiano & Romanis rem ne-

Sæculum IX. A. C. 855.

gantibus, jussit Imperator, ut Daniel secundum Legem Romanorum judicaretur; convictusque est calumniæ. Itaque in manus Gratiani traditur, qui suo arbitrio injuriam ulciscereturur; sed ille ab ipso rogatus Imperatore inimicum dimisit. Ex hoc facto dispicimus, Ludovico supremum fuisse in Urbe Dominium est potestatem.

§. XXV.

Leonis IV. Obitus.

Obiit Leo IV. (*) eodem anno octingentesimo quinquagesimo quinto, decima

(*) Ad hæc ferme tempora plerique Rerum Ecclesiasticarum Scriptores de putidissima fabula Joannæ Papissæ mentionem faciunt, cujus fundamentum est illud quod in Chronico Mariani Scoti ad S. Martinum Coloniæ Monachi ad annos 853. & 854. legitur (scripsit vero anno circiter 1058.) *Leo Papa obiit Kalendis Aug. huic successit Joanna mulier annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor.* Alter testis est Martinus Polonus Ord. Præd. in suo Chronico, quod usque ad annum 1277. scripsit, relatus a Blondello & Alexandro Natali: *Post hunc Leonem Joannes Anglicus Natione Moguntinus sedit annis duobus mense uno, diebus quatuor & mortuus est Romæ & cessavit Episcopatus mense uno. Hic, ut asseritur, femina fuit & in puellari ætate a quodam suo Amasio habitu virili*

Athenas

decima septima Julii, postquam S. Se- Sæculum IX.
dem tenuisset annis octo & tribus men- A.C. 855.
sibus, sepultusque est ad S. Petrum. Duabus ordinationibus, una mense Dec. & altera

Athenas ducta, sic in diversis scientiis profecit .... in Papam concorditer eligitur: sed in Papatu per suum Familiarem imprægnatur. Verum tempus partus ignorans cum de S. Petro in Lateranum tenderet, angustiata inter Coliseum, & S. Clementis Ecclesiam peperit, & post mortua ibidem, ut dicitur, sepulta fuit. &c. Similia in Sigeberti Chronico leguntur, atque etiam S. Antoninus Florentinus Chronicorum tit. 16. tanquam testis adducitur, qui Martinum Polonum auctorem suum refert.

Verum ad primum testem Marianum Scotum respondet Franciscus Pagi ad annum 853. *Baronius quidem Num. LVII. & seqq. auctumavit, Marianum Scotum fuisse primum Auctorem ... hujus commenti. Verum Leo Allatius in confutatione fabulæ de Joanna Papissa ex monumentis Græcis jam demonstravit, in sinceris Mariani Scoti codicibus hanc fabulam non fuisse exaratam, testari Scriptorem non ignobilem, qui Metropolim Alberti Krantzii notis illustravit ad lib. 2. p. 100. editionis Colonienſis anno MDLXXIV. curatæ, sed notam illam Typographos Francofordienses erasisse. Mariani Scoti Codices Manuscriptos aliquot antiquissimos, qui adhuc extant, nihil de Joanna Papissa habere, sicuti nec Codices MSS. Sigeberti*

Sæculum IX. A. C. 855.

altera menſe Martio, creavit Presbyteros novendecim, Diaconos octodecim, & Epiſcopos per diverſa loca ſexaginta tres. Octavam Aſſumptionis Deiparæ Virginis celebrari juſſit, quod Romæ necdum antea fiebat, & primo anno nummos argenteos ſparſit in populum. Præter alias ædes memoratas etiam complura fundavit Monaſteria. Unum condidit Sancti-

---

berti Gemblacenſis Abbatis, quod præcipue conſtat ex Autographo Cœnobii Gemblacenſis, quod a Miræo editum eſt. Idem Pagius ad Martini Poloni teſtimonium reſpondet: *Sed Allatius loco laudato num. 5. & ſeqq. non ſolum oſtendit, ejus Chronicon peſſime corruptum fuiſſe . . . ſed etiam in Bibliotheca Vaticana extare hujus Auctoris antiquiſſimum exemplar, in quo poſt vitam Leonis IV. nulla fit Joannæ Papiſſæ mentio, neque in margine eadem vel aliena manuſcripta, nec quidquam aliorum induſtria eraſum.* De S. Antonino Natalis Alexander in Diſſ. ad Sæc. IX. & X. dicit: *Ad quartum Teſtimonium quod eſt S. Antonini, reſpondeo, Sanctum Archipræſulem ab Interpolatore Martini Poloni deceptum, ejus duntaxat verba primo referre, deinde ea addere, quibus diſerte ſignificat, totam illam narrationem ſibi de falſitate ſuſpectam vehementer eſſe ob ſilentium Vincentii Bellovacenſis* &c. Idem Natalis ibidem argumenta quindecim congerit, quibus iſtud de muliere in Cathedra Romana ſedente commentum convellit.

Sanctimonialibus in propria domo, illudque SS. Symmitrio & Cæsario Sacrum esse voluit. Monasterium S. Martini, cujus alumnus fuerat, restauravit & ornavit. In Monasterium Corsarienſe, in quo tunc Laici habitabant, feminas Religiosas induxit. Cum quadam die Ecclesiam S. Laurentii oraturus adiisset, quærenti, quot Monachi ibi ministerio Sacro vacarent, responsum, a quibusdam Antecessorum suorum ibi duo fuisse extructa Monasteria, unde postea recedere urgente paupertate compulsi fuissent. Ille unum restituit, honori SS. Stephani & Cassiani dicavit, census sufficientes assignavit, & Monachos Græcos, qui officia Divina diu noctuque celebrarent, immisit. Inter illa decora, quæ neglecta S. Leo iterum reduxit, est illud, quod Crucem auream pro vetere Antecessorum suorum more a Subdiacono sibi præferri præceperit. (*)

Sæculum IX. A. C. 855.

Anast. to. 3. Conc. p. 8.

S. Leo-

(*) Hic Fleurius addere oblitus est, S. Leonem IV. Sacris Fastis & Sanctorum numero fuisse adscriptum. Ceterum ad fabellam feminæ post S. Leonem IV. intrusæ illud quoque pertinet, quod scribit Pagius ad annum 853. *Illa de Joanna Papissa fabula ita omnium animos occuparat, ut in Magnifica Ecclesia Metropolitana Civitatis Senensis, quæ post eam excogitatam quatuor*

Sæculum IX. A. C. 855.

S. Leoni tribuuntur Documenta data Presbyteris, Libro Pontificali Romano ad finem normæ in Synodis Episcoporum tenendæ adjecta. Monentur Presbyteri, ut singulis noctibus ad preces nocturnas & cantandum horis præscriptis officium surgant. Quilibet Presbyter habeat Clericum vel Discipulum, qui Psalmos decantanti & Sacris operanti respondeat. Presbyter populum hortetur,

to. 8. Conc. p. 33.

---

tuor Pontifices Romanos dedit, Pium scilicet II. Pium III. Marcellum II. & Paulum V. Statua Joannæ Papissæ inter alias ceterorum Pontificum Romanorum conspiceretur. De eadem Statua Pagius Numero sequenti Mabillonium in Museo Italico tom. I. part. 1. pag. 159. loquentem inducit in hunc modum: *Quippe Statuam illam fabulosæ Joannæ, quæ post refectam sub hæc novissima Secula Basilicam, obtinente fabula, fabricata fuerat, demum Clementis VIII. Pontificatu cooperante cum magno Duce ad Baronii preces Archiepiscopo loci Cardinale Tarugio non penitus quidem fuisse comminutam, sed mutatis formæ muliebris lineamentis, ex femina factam Zachariæ Pontificis figuram, appositio Zachariæ nomine, ne qua suspicio in posterum hac de re ob servatam Statuæ materiam suboriri posset.* Infra addit Pagius: *Credendumque eam Zachariæ Papæ Statuam in ea Ecclesia remansisse usque ad Alexandri VII. Pontificatum.* Tandem ex eodem Mabillo-

tetur, ut in die Mercurii Cinerum confiteatur, pœnitentias injungat, moneat, saltem quater, in Natali Domini, in Cœna Domini, in Paschate, & Pentecoste ad Sacram Communionem esse accedendum. Pro functionibus Ecclesiasticis nihil exigat. Reliqua documentis Hincmari admodum propinqua sunt; unde, qualis illa ætate Disciplina viguerit, dispicimus. (*)

Sæculum IX. A. C. 855.

Sup. §. 7.

§. XXVI.

Mabillonio de sede stercoraria Pagius istud excerpsit: *Ex quo intelligitur, Stercorariam vocabulum traxisse non forma* (neque enim pertusa est ut aliæ duæ) *sed ex versu Psalmi, qui, Pontifice in ea sedente canebatur, & de stercore erigit pauperem.* Addit Natalis Alexander in memorata Differt. *Quod vero de Sede perforata ad explorandum sexum destinata ab inimicis Romanæ Ecclesiæ, vel ab imperitis vulgatum est, id fabulosum prorsus Platina testatur* &c.

(*) Priusquam a S. Leone IV, quem inter & Benedictum III. Papissam sedisse fabula narratur, transeamus, illud quoque ex Alexandro Natali addendum mihi videtur: *Unde autem ortum habuerit hæc fabula, Viri eruditi inquirunt & suas proponunt conjecturas. Joannes Aventinus in Bojorum Annalibus lib. 4. ei fundamentum dedisse censet Joannem nonum. Albertus, inquit, Locupletissimus Etruriæ Princeps Ravennam, Bononiam, Romam in potestate habuit. Ejus socrus Theodora, Scortum nobile atque*

Sæculum IX. A. C. 855.

§. XXVI.

Benedictus III. Papa.

Anast. in Ben. III. Leone Papa fatis functo, Clerici Romani, Optimates populusque congregantur, & fusis ad Deum precibus, quo cognoscerent, quis eis Pastor a Cœlo destinaretur, una voce Benedictum Presbyterum eligunt. Is erat patria Romanus, a parente suo, nomine Petro, Sacris Litteris imbutus, postea Palatii Lateranensis alumnus, & Clericis adscriptus. Gregorius Papa IV. ipsum ordinavit Subdiaconum & Leo IV. Presbyterum, Tituli S. Callisti, quo populus turmatim accurrens nuncium attulit, quod Papa electus esset. Ipse tunc orationi vacans surrexit, cumque intellexisset, quid ageretur, rursus in genua provolutus obortis lacrimis dixit: *Obsecro, nolite me ab Ecclesia mea abstrahere! tanti mune-*

---

atque imperiosum Romæ dominabatur, Joannemque IX. Amatorem suum Bononiensibus primo, deinde Ravennatibus, postremo Romanis imposuit, Primariumque Sacerdotem creavit. Unde fabellam ortam crediderim, quæ temere vulgarit, hisce temporibus fuisse Sacerdotem Maximum feminam, quæ appellata sit Joanna. Ultimo Alexander conjecturas Cardinalis Bellarmini, Cardinalis Baronii, & Leonis Allatii affert.

muneris oneri ferendo non sum. Nihilominus invitum ad Palatium Lateranense cantantes Hymnos & Cantica spiritualia deducunt, de more throno imponunt Pontificio, cunctis maximam lætitiam profitentibus. Decretum deinde Electionis conscriptum, cui Clerici & Optimates subscripserunt, atque ad Imperatores Lotharium & Ludovicum a duobus Legatis Nicolao Episcopo Anagnienſi & Mercurio militum Magistro delatum. Sæculum IX. A.C. 855.

Sed ecce, in itinere obvium habuerunt Arsenium Episcopum Eugubinum, qui ambos in partes traxit permovitque, ut fidem fallerent, & a Benedicto deficientes Anastasium Presbyterum, ante menses 18. in Romana Synodo depositum in Sedem S. Petri intruderent. Postquam igitur Ludovico Imperatori Decretum Electionis reddidissent, Romam reversi denunciant, propediem adfuturos Imperatoris Legatos, ejusque Litteras Benedicto tradunt. Post paucorum dierum intervallum Legati Hortam quadragesimo ab urbe lapide perveniunt, ubi ad Anastasii partes transeunt, Arsenio Episcopo auctore, qui cum Nicolao Episcopo & tribus Ducibus Mercurio, Gregorio & Christophoro obvium se venientibus intulerat. His duo alii Episcopi Radualdus Portuensis & Agatho Tudertinus juncti. *Sup.* §. 15. Schisma XI.

Sæculum IX. A. C. 855.

Hac re ad Benedictum perlata, Gregorium & Majonem Episcopos cum Epistolis ad Legatos Imperatoris misit, qui instigante Anastasio contra jus Gentium vincti, & custodiæ traditi. Misit nihilominus Benedictus & alios Adrianum S. Sedis Secundicerium & Gregorium Ducem; sed altera die afferuntur mandata Imperatoris Legatorum ad universum Clerum, Senatum Populumque, quibus præcipiebant, ut sibi trans pontem Milvium obviam procederent. Obtemperarunt Romani, seque ad Ecclesiam S. Leucii Martyris contulerunt, ubi Legati habentes apud se Anastasium substiterant. Inde Romam versus iter dirigentes, Adrianum, Gratianum & Theodorum S. Sedis Ministros captivos secum ducentes, Civitatem Leoninam & Basilicam S. Petri intrant, ubi Anastasius Synodi imaginem, quam Leo Papa supra januam pingi jusserat, confregit & cremavit. Haud dubie imago fuerit illius Synodi, in qua Anastasius depositus.

Is tandem Romam & Palatium Lateranense ingressus in Throno Pontificum considet, Benedicto vi per manus Romani Episcopi Balneoregiensis ex illo Solio dejecto. Eundem vestimentis Sacris, quibus indutus erat, spoliatum, multisque injuriis & verberibus affectum Joanni & Hadriano Presbyteris a Leone

Papa

Papa depositis custodiendum tradit. Romani vero tunc consternati inter clamores & ejulatus jacebant, Episcopi Presbyterique pectora tundentes & perfusi lacrymis ante Altaria in genua se demittebant. Hæc in Sabbato agebantur. Sæculum IX. A. C. 855.

In Dominica Episcopi, qui Romæ versabantur, cum Clericis & populo in Ecclesia Æmiliana conveniunt, quo protinus etiam se conferunt Legati Cæsarei, & impetu facto absidem, in qua psallentes cum Clericis residebant Episcopi, conscendunt, erectisque jaculis & gladiis evaginatis dicunt: *Cedite, & Anastasium Papam veneramini.* Illi responderunt: *Nunquam in depositum & anathematizatum a S. Præsule, beataque Synodo, consentimus: sed modis omnibus abjicimus & a Dei cœtibus segregamus.* Quorum constantiam Franci admirantes in cubiculum ipsius Basilicæ secedunt, inituri consilium, ibique Episcopos Ostiensem & Albanensem ad se intrare coactos primum blando sermone tentant, mox autem pœnam capitis comminantur, furiose ingeminantes: *Morte contumaciam luetis, nisi Anastasium consecratis.* Rursus Episcopi: malle se mortem pati & artubus truncari, quam depositum eligere, imo Imperatoris Legatos increpare cœperunt, & auctoritate Scripturæ ostendentes, quam iniqua esset eorum Anastasius Antipapa.

Sæculum IX. A. C. 855.

postulatio. Tunc ergo Franci lingua sua Teutonica pauca collocuti miteſcere videbantur.

Die Martis mane Epiſcopi in magna Eccleſia Lateranenſi congregantur cum Clericis & populo clamante: *Benedictum Beatiſſimum Papam volumus, ipſumque deſideramus.* Hinc Legati Imperatoris tanta populi concordia perterriti cum viderent, operam ſe perdere, Epiſcopos & Clericorum præcipuos in quoddam cubiculum Palatii Patriarchalis convocant; ubi fervide diſputatum. Sed tandem rationum quas Romani afferebant victi Franci dixerunt: *Accipite veſtrum Electum, & in quam vultis Baſilicam eum deducite. Nos protinus ex hac Domo Patriarchali Anaſtaſium, quem depoſitum dicitis, ejiciemus. Tres dies jejunium cum orationibus celebremus, faciemus poſtea, quod Deus mentibus noſtris indiderit.* Tunc Epiſcopi exclamare: *Expellatur ex noſtra præſentia invaſor & depoſitus Anaſtaſius!* Et ille ſine mora turpiter abire compellitur toto populo Deo gratias agente.

Quare Epiſcopi Benedictum ex Eccleſia, ubi adhucdum ſub cuſtodibus premebatur, liberatum ad Palatium Lateranenſe in Baſilica Salvatoris alacres deducunt, & inde in equum, quo Leo Papa defunctus vehi adſueverat, elevantes eum,

eum, triumphantium more ad S. Mariam Majorem comitantur; ubi tribus diebus & tribus noctibus in jejunio & oratione transactis, omnes qui factionem Anastasii secuti fuerant, Divino compuncti nutu ad Benedictum conveniunt, & pedes ejus osculati dicunt: *Erravimus, sed tu, optime Pater, errantes oviculas collige.* Ille omnes extensis brachiis excipiens osculabatur & consolabatur ad se redeuntes. Legati quoque Imperatoris adfuere, & Summo Pontifici secreto collocuti reconciliati sunt. Ergo consentientibus omnibus Episcopi Benedictum in Palatium Lateranense Hymnos decantantes maxima populi multitudine comitante reducunt, & Solio Pontificali restituunt. Tandem die Dominica, prima Sept. anno 855. in Basilicam S. Petri perductus solemni ritu Imperatoris Ludovici Legatis populoque ingenti præsentibus consecratur. Sedem Sacram tenuit annis duobus & dimidio.

Sæculum IX. A. C. 855.

v. Papebr. cenat.

§. XXVII.

Lotharii Imperatoris Obitus.

Inter hæc Lotharius Imperator ægrotans desperata corporis sanitate in Monasterium Prumiense se recepit, ubi mundo valedicens comam sibi abscindi & habitum Monasticum dari voluit. Regna quæ citra alpes possidebat, divisit

Ann. Bert. & Fuld. 855.

Sæculum IX. A. C. 856.

in duos filios tunc apud se commorantes Lotharium & Carolum, & huic quidem dedit Regnum Provinciæ quod usque ad Territorii Lugdunensis terminos extendebatur, Lothario autem Regiones reliquas, quæ usque ad Rheni & Mosæ ostia porriguntur. Ceterum Imperator Ludovico filio suo primogenito satis virium & potentiæ esse credidit in Regno Longobardorum & Imperatoris Titulo. His igitur ita compositis, die sexta postquam vestem Monasticam induisset, & ab obitu parentis sui annis quindecim imperasset, vigesima octava Sept. anno Salutis 855. e vita excessit.

§. XXVIII.

Rabani Obitus.

Ann. Fuld. 856.

Rabanus Archiepiscopus Moguntinus anno sequente 856. quarta die Februarii, postquam Sedem occupasset annis octo, naturæ concessit. Præter opera superius memorata scripsit ultimis vitæ suæ temporibus epistolam Canonicam ad Heribalum Episcopum Antissiodorensem, qui eum de variis casibus pœnitentiæ consuluerat. (*) Quanta in Rabano Chari-

Baluz. post Regin.

(*) Dicit Cave, ut superius notavimus, Rabanum Doctrinæ de præsentia reali Christi in Eucharistia fuisse adversatum. Sed audiamus hic Nata-

Charitas proximi fuerit, tunc liquido patuit, cum anno octingentesimo quinquagesimo dira fames Germaniam pressit; quippe Sanctus Episcopus in quodam Vico suæ Diœcesis commorans omnes pauperes, unde unde advenirent, suscipiebat & singulis diebus plus quam trecentos pascebat, præter illos qui plerumque ipso inspectante reficiebantur. Inter centenos alios quadam die venit mulier usque adeo debilitata, ut cum limen subiret, expiraverit, priusquam ad interiora domus pervenire potuisset; cumque ejus infans, quem ulnis complectebatur, matris jam exanimatæ mamillam necdum dimitteret, res miseranda ex oculis con-

Sæculum IX. A. C. 856.

Ann. Fuld.

Natalem Alexandrum in Dissertatione XI. ad Sæc. IX. & X. *Sane Rabanum, in Epistola ad Egilonem, Paschasium impugnasse constat ex Herigero. Quid vero in Paschasii Sententia impugnavit Rabanus? num Realis præsentiæ Corporis Christi in Eucharistia, & Transubstantiationis assertionem? minime, utramque enim asserit lib. 7. de Sacris Ord. ad Theotmar. cap.* 10. *Quis*, inquit, *unquam crederet, quod panis in carnem potuisset converti, vel vinum in sanguinem, nisi ipse Salvator diceret, qui panem & vinum creavit, & omnia ex nihilo fecit? facilius est aliquid ex alio facere, quam omnia ex nihilo creare.* &c, Ibidem Rabanus Maurus a fœdo Stercoranistarum errore vindicatur, & hæc labes ab ipso abstergitur.

Sæculum IX. A. C. 856.

ſpicientium lacrymas expreſſit. Vir quidam iter faciens cum uxore & infante, rabida fame in furorem actus propriam prolem ex brachiis matris raptam ſua viſcera devoraturus confodere parabat, recedente matre, ne ſpectaculum infandum aſpicere cogeretur. Jamque pater ferrum infantis gutturi admovebat: cum puer a longe vidit duos lupos cervam dilaniantes. Illo itaque velociſſime convolat pater & abactis lupis ad uxorem redit cervinam carnem afferens: quæ virum conſpiciens maculatum ſanguine pæne mortua concidit. At vir, oſtendens filium ſalvum, abeuntem uxoris ſpiritum revocavit. *Itaque*, ait illius temporis Annalium Scriptor, *eos extrema neceſſitas carnem a lege vetitam comedere compulit*. Unde videmus, illo adhuc ævo credidiſſe Chriſtianos ſe Lege Moyſis teneri, & comedere carnes animalium a beſtiis occiſorum ſibi eſſe prohibitum. Rabanus in Sede Moguntina Succeſſorem habuit Carolum Pipini Regis Aquitaniæ filium, cui magis Regis Ludovici patrui ſui voluntas, quam Clericorum populique conſenſus hanc Dignitatem contulit. Is cuidam Concilio ineunte menſe Octobri Moguntiæ anno ſequente 857. celebrato præfuit.

Exod. 22, 31. 31, 8.

Ann. Fuld.

§. XXIX.

Sæculum IX.
A. C. 856.

§. XXIX.

Ethelulfus Rex Angliæ.

Ethelulfum Saxoniæ Occidentalis in Anglia Regem anno octingentesimo quinquagesimo quinto Romam proficiscentem magnifice excepit Rex Franciæ Carolus Calvus, qui nobis deinceps hoc nomine veniet, ut a Carolo juniore nepote suo Rege Provinciæ discernatur. Is Ethelulfo omnia vestimenta Regia suppeditavit, & usque ad regni sui limites deduci jussit. Ethelulfus vero Romam demum pervenit Benedicto Pontifice. Obtulit S. Petro coronam auream quatuor librarum, & complura alia dona pretiosa, in Clericos quoque & in populum publice munificus. Redeunti ex Italia, cum in Francia moraretur, ei Juditha Regis Caroli Calvi filia in matrimonium data est. Sponsalia mense Julio, & nuptiæ die prima Octobris Vermeriæ celebratæ. Juditha, etsi antea Angli hunc morem nescirent, coronata est Regina, Archiepiscopo Hincmaro solemnes ritus peragente; nam preces, quas tunc pronunciavit, hodieque supersunt. Rex Ethelulfus in Angliam reversus Wintoniæ in Ecclesia S. Petri Concilium celebrari voluit, ubi duo Archiepiscopi Cantuariensis & Eboracensis, Episcopi Angliæ omnes, magnus Abbatum numerus, Boreduus

Ann. Bert. 855.

Ann. Bert.

Hincm. to. 1. p. 750.

Sæculum IX. A. C. 856.

redus Rex Merciorum, & Edmundus Rex AngliæOrientalis cum multis Proceribus adfuerunt. In eo Concilio conſtitutum, ut omnium fundorum decimam partem poſſideret Eccleſia, ab omni exactione libera, quo reſarcirentur damna facta rapinis Normannorum, qui tam in Anglia quam in Francia impune latrocinabantur. Rex Ethelulfus anno octingenteſimo quinquageſimo ſeptimo decedens condito teſtamento Eccleſiæ Romanæ cenſum annuum trecentarum marcarum auri, nempe centum S. Petro, centum S. Paulo, & centum ad nutum Papæ diſtribuendas reliquit. Sedem vero Wintonienſem tunc obtinebat S. Suithunus, ejusdem Regis olim Præceptor, eique aliquot annis ſuperſtes. Eccleſia ejus memoriam ſecunda die Julii colit.

Vill. Malme p. 41.

Act. SS. Ben. to. 6. p. 69. Mart. R. 2. Jul.

§. XXX.

Normannorum Latrocinia.

Ann. Bert. 856.

In Francia Normanni adverſo Ligeri advecti, anno 856. decima octava Aprilis Aurelianum intrant, diripiunt, & nemine obſiſtente recedunt. Aliæ ejusdem gentis cohortes Sequanam ingreſſi menſe Auguſto ejusdem anni urbes in utraque ripa poſitas atque etiam remotiora Monaſteria vicosque devaſtant. Tum locum, qui dicebatur *Gibaldi foſſa*, caſtris deligunt, iisque communitis hyemem

mem tranquille exigunt, niſi quod vigeſima octava Decembris Pariſios invaſerint, Eccleſiam S. Genovefæ ceterasque omnes incenderint, ſequentibus tantum exceptis, Eccleſia S. Stephani, quæ erat Cathedralis, S. Germani de pratis & S. Dionyſii, cujus Abbatem Ludovicum recedentes abſtraxere. Hæ videlicet Eccleſiæ maxima data pecuniæ vi redemptæ. Interea Normanni alii, qui in partibus inferioribus Ligeris graſſabantur, Territorium Turonenſe vicinosque vicos usque ad civitatem Bleſenſem depopulantur. Cum in urbem Carnutenſem irrumperent, Frobaldus Epiſcopus pedibus fugam capeſſens, dum Eburam amnem nando trajicere conatur, fluctibus hauſtus perit.

Sæculum IX. A. C. 857.

id. 857.

Chro. Norm. Duch. to. 2. p. 525.

§. XXXI.

Capitularia Cariſiaci edita.

Regis Caroli Calvi auctoritas apud plerosque viluerat; nam Pipinus ipſius Nepos, tandem e monaſterio Sueſſionenſi ad S. Medardum egreſſus, Rex Aquitaniæ proclamatus inita cum Normannis ſocietate, Pictavium pluresque alias Civitates igni ferroque vaſtaverat, Comitibus vero ceterisque Optimatibus jura Regum ſibi vindicantibus Francia cædibus & latrociniis replebatur. His malis ut mederetur Carolus Epiſcopos & Proceres, quibus in eum fides durabat, vigeſima quin-

Bertin. 856. 857. *Capit. tit.* 19. 20. 21. 22.

Sæculum IX. A. C. 857.

quinta Februarii anno 857. Carisiacum convocat. Ibi statutum, ut Episcopi in suis Diœcesibus, Comites & Legati Principum in suis regionibus conventus agerent, in quibus Episcopus Diœcesanus ex Auctoritate Scripturæ & Canonum demonstraret, quam enorme peccatum esset rapere & vi auferre rem alterius, & quam gravi pœnitentia dignum. Regis quoque Legatis præcipiebatur, ut Leges & Capitularia recitarent, quibus eadem crimina prohibebantur, iisque qui talia perpetrarent, pœnas tam Spirituales quam temporales comminarentur. Id dispicimus ex Epistola nomine Regis scripta & ad omnes Episcopos Legatos Comitesque cum collectione Textuum ex Scriptura & Patribus directa. Addita fuit alia quoque Collectio Capitularium Caroli Magni & Ludovici pii. At fortiore remedio quam exhortatione & comminatione indigebant illa tempora ad comprimendos Optimates armis se tuentes; hinc etiam intempestiva lenitate nihil effectum, sed pejora prioribus evenerunt.

to. 8. Conc. p. 246. Capit. tit. 23. p. 87.

Exemplum hujusmodi Exhortationum quibus Episcopi temporum illorum insolentiam compescere conabantur, esse putant quamdam epistolam Lupi Ferrariensis, verisimiliter nomine Archiepiscopi Senonensis scriptam. Ex pluribus vero

Lup. Ferr. ep. 100.

vero aliis hujus Abbatis epistolis quanta fuerit calamitas cognosci potest. Quemdam amicorum ad se venturum solicite monet, ut viam tutissimam eligat, *in regno enim Regis nostri Caroli*, inquit, *viæ publicæ a latronibus infestantur, cum rebus novandis multi Principes intenti sint. Nihil frequentius quam rapinas impune perpetratas, vimque innocentibus illatam, audias. Ergo simul proficiscentium societas tibi quærenda est, quorum numerum & fortitudinem improbi pertimescentes arceantur, aut si invadere vos ausi fuerint, repellantur.* Sæculum IX. A. C. 857. *ep.* 140.

§. XXXII.

Epistolæ Lupi Ferrariensis.

Sub idem tempus Lupus Ferrariensis epistolam ad Benedictum Papam dedit deferentibus duobus Monachis suis, propria voluntate ad SS. Apostolorum limina pergentibus. Litteras generales commendatitias ad omnes Episcopos Italiæ & Galliæ & ad omnes Fideles directas non solum a Lupo Abbate suo, sed etiam a Venilone Archiepiscopo Senonensi Episcopo suo Diœcesano acceperant, in quibus explicite dicebatur, ipsos utriusque licentia esse munitos. In Epistola ad Papam dicit Lupus, se quondam Leone Antecessore ipsius Petri Cathedram occupante Romam missum. Ejus *Lup. ep.* 101. 102. *ep.* 103. *v. ep.* 66. 67. 68.

Bene-

Sæculum IX. A.C. 857.

Benevolentiæ commendat ambos Monachos peregrinantes, rogatque, ut Romanæ Ecclesiæ Ritus & consuetudines edoceantur, unde ipse deinde haberet Regulam certam, quam variis diversorum locorum ritibus posset objicere. Item Papam rogat, ut sibi opera illorum Monachorum mittat quosdam libros quos desiderabat, & in Francia invenire non poterat, videlicet, Commentarios S. Hieronymi in Jeremiam a Libro sexto usque ad finem, Ciceronem de Oratore, duodecim Libros Institutionum Quintiliani, & Commentarium Donati in Terentium. Promittit, curæ sibi fore, ut cito describerentur, quos deinde bona fide esset remissurus. In alia epistola quemdam amicum rogat, ut sibi bella Catilinæ & Jugurthæ Sallustii, & Orationes in Verrem Ciceronis afferat. Nempe eruditorum Abbatum studium & Monachorum ipsorum labor optimos Antiquitatis tam Ecclesiasticæ quam profanæ libros nobis conservarunt.

ep. 140. v. ep. 69.

§. XXXIII.

Tractatus Hincmari de Prædestinatione.

Flod. l. c. 15. Maug. diss. c. 38. 39. Hincm. præf. 1.

Eodem circiter tempore videlicet anno 857. Hincmarus primum suum opus de Prædestinatione scripsit. Concilio Valentino soluto Remigius Archiepiscopus

pus Lugdunenſis ad Lotharium Impera- Sæculum IX.
torem Dominum ſuum detulit hujus A. C. 857.
Concilii Canones cum novendecim Articulis Joannis Scoti in eo damnatis, & duo Scripta Eccleſiæ Lugdunenſis de tribus litteris & veritate Scripturæ, ut hæc omnia Lotharius mitteret Fratri ſuo Carolo, in cujus Regno Hincmarus & ceteri, quorum opiniones Eccleſia Lugdunenſis oppugnabat, exiſtebant. Lotharius Imperator haud diu poſt mortem oppetiit, poſtquam Ebboni Epiſcopo Gratianopolitano præcepiſſet, ut hæc Scripta ad Fratrem ſuum Carolum deferret. Ebbo has Litteras Vermeriæ Carolo Regi reddidit, qui cum in Arce, vulgo *Neauſle*, in poteſtate Archiepiſcopi Rotomagenſis, ut arma Normannis opponeret, verſaretur menſe Septembri anno 856. eas Hincmaro tradidit, quibus poſt maturum examen reſponderet. Itaque edito amplo Tractatu de Prædeſtinatione in tres libros diviſo reſpondit; ſed nihil præter hujus Operis præfationem, quam Flodoardi induſtriæ debemus, ad noſtra usque tempora pervenit. Hincmarus fatetur, in Concilio Valentino Articulos quatuor Cariſiacenſes fuiſſe damnatos, ſed conqueritur, quod in decreto Concilii non fuerint relati, & ipſe inauditus damnatus. Dixit, nunquam ad notitiam ſuam perveniſſe novendecim articulos

Joan-

Seculum IX. A. C. 857

Joannis Scoti, imo hujus Scripti Auctorem non potuisse a se explorari; cum tamen constet, ab ipsomet & a Pardulo Joannem Scotum ad scribendum fuisse excitatum. Tandem fingit se credere non posse, hoc Decretum revera a Patribus Concilii Valentini esse profectum, dicitque, cum nesciat, quibuscum sibi res sit, se Responsum dirigere ad Regem Carolum, a quo has Litteras accepisset. Ex hoc facto Hincmari plus dissimulatio quam bona Fides elucet.

§. XXXIV.

Documenta Hincmari ad suos Presbyteros.

to. 8. Conc. p. 585. Hincm. to. 1. p. 730.

Porro Hincmarus anno Pontificatus sui duodecimo, ab Incarnatione octingentesimo quinquagesimo septimo, die decima Junii documentis antea editis, ad Presbyteros suæ Diœcesis informandos, tres Articulos addidit. Primus, & majoris momenti, ad pœnitentiam publicam pertinet. *Quamprimum parricidium vel aliud crimen publicum perpetratum fuerit, Parochus reum moneat, ut Decano aliisque Parochis se sistat & pœnitentiæ se submittat. Ipsi vero Præpositis suis in Civitate hac de re rationem reddant. Ita peccator intra quatuordecim dies ad nos venire poterit & pœnitentiam publicam cum impositione manuum accipere.*

pere. *Dies, in qua commissum peccatum, & qua injuncta fuerit pœnitentia, diligenter adnotentur. Tum Parochi in Calendis convenientes consilia de statu suorum pœnitentium conferant, & nobis indicent, qua ratione quilibet suam pœnitentiam peragat, unde nos decernamus, quando reconciliandus sit. Si reus intra quatuordecim dies pœnitentiæ se non submittat, excommunicetur, (*) donec hoc leve Ecclesiæ jugum subeat. Parochus, qui sciens patratum crimen illud ad nos non detulerit, ab officio suo suspensus in pane & aqua tot dies jejunet, quot peccatum indicare distulerit, & si peccator a nemine admonitus moriatur, deponatur Parochus. Solicite vero caveant Presbyteri, ne unquam pœnitenti in articulo mortis Viaticum devote petenti denegent, ea conditione, ut pœnitentiam compleat, si convalescat. Pro exequiis Parochi nihil accipiant, & nemo jus hæreditarium sepulturæ sibi arroget, sed in arbitrio Parochi positum sit. Missa nunquam nisi in Altari consecrato, aut saltem in lapide benedicto celebretur.*

Sæculum IX, A. C. 857.

2.

3.

§. XXXV.

(*) Etsi peccatores ad subeundam Pœnitentiam publicam cogi non solerent, non nunquam tamen Pœnæ spirituales in eos decernebantur.

Sæculum IX. A. C. 857.

§. XXXV.

Martyres Cordubenſes.

Eulog. II. memor. c. 21.

Cordubæ perſecutionis necdum finis. Quemdam Presbyterum, nomine Abundium, in monte vicino Parochum, Saraceni primum per fraudem ad Martyrium pertraxerunt; ille autem deinde a Judice interrogatus Fidem intrepide confeſſus eſt, etiamque in Mahometem & ejus Sectatores convicia adjecit, ideoque ſtatim peremptus, & canibus beſtiisque devorandus expoſitus, undecima Julii, Æra 892. anno Salutis 854. Trigeſima Aprilis anno ſequente tres Martyres ſimul coronati; nempe Amator Presbyter juvenis, qui ſcientias addiſcendi cauſa Cordubam venerat, Petrus Monachus, & Ludovicus germanus Pauli Diaconi, anno 851. Martyrium paſſi. Hi tres pio fœdere juncti, cum Evangelium prædicant, celeriter necantur. Corpora in flumen projecta, duoque iterum inventa, videlicet Petri, quod in Cœnobio Pinnæ Mellarienſis ſepultum, & Ludovici, quod in vico Italicenſis Provinciæ in Andaluſia, Palma nomine, terræ mandatum. Ea etiam tempeſtate Viteſinus vir annis plenus, olim a fide apoſtata, cum eum ad Religionem Mahometis publice profitendum vellent compellere, & fortiter recuſaſſet, ſine mora Martyrio afficitur.

c. 13.

Sup. lib. XLVII. §. 54.

vid. Not. Ambr. c. 14.

Anno

Anno sequente 856. Æra 894. Elias Presbyter ex Lusitania, ætate senili, cum duobus Monachis Paulo & Isidoro robusta juventute florentibus, decima septima Aprilis passus est, & vigesima octava Junii Argymirus Monachus senex, qui olim Cordubæ Censor a Rege creatus, & rursus ab hac administratione amotus in quoddam Monasterium se receperat. Ad Judicem deinde delatus, quod in Prophetam verbis acerbe lusisset arcto carceri datur, & jubente Judice, postquam eum pervertere frustra conatus fuisset, vivus equuleo imponitur & gladio trajicitur. Sepultus est in Ecclesia S. Ascisculi juxta S. Perfectum. Sæculum IX. A.C. 857.

Aurea Adolphi & Joannis, qui sub initium Regni Abderami Martyrii Lauream consecuti sunt, Soror, femina Religiosa per annos triginta in Cænobio Cuteclarienſi degebat. Eam præclaro stemmate inter Arabes in Provincia Hispalensi natam, quidam propinqui, rumoris, quem de ipsa perceperant, veritatem exploraturi invisérunt, cum vero eam non Christianam modo, sed etiam Monialem conspexissent, rem hanc ad *Cadi*, seu Judicem, & ipsum Aureæ consanguineum deferunt. Ille ad se accitam lenibus verbis affatus insinuat, quanto probro nobilis familiæ avitam Religionem abjeciſſet. Tandem minas adjecit

Sæculum IX. A. C. 857.

atroces; eam ultima & turpissimam necem esse passuram, nisi Christo nuncium mitteret. Illa tunc quidem cessit, & pollicita est, se facturam, quod Judex vellet. Ergo libera dimittitur. At domum regressa Religionem Christianam sicut antea profitebatur, gemitibus lacrymisque scandalum a se datum delere conata. Hinc Ecclesias publice adeuntem Infideles coram Judice accusant, cui ipsa; nunquam se a Christo suo fuisse separatam, & nunquam vel ad momentum impiæ sectæ adhæsisse, quamvis id utcunque victa promisisset. Judex immanissimus his verbis accensus catenis ligatam carceri tradit; tum acceptis a Rege mandatis altera die gladio trucidat. Corpus in flumen projectum, cum ageretur annus Incarnationis Dominicæ octingentesimus quinquagesimus sextus & dies Julii decima nona. Ecclesia autem hos Martyres in diebus illis, quibus passi sunt, honorat.

§. XXXVI.

S. Eulogii Apologeticus Martyrum.

Apolog. init. Eulogius Presbyter, qui Martyrum istorum passionem suo calamo ad nos transmisit, eorum quoque defensionem edito libro apologetico in se suscepit contra quosdam Christianos objicientes, ipsis non tantam reverentiam, ut antiquis

quis Martyribus, exhiberi posse. Quippe dicebant: *Non patrant miracula sicut veteres Martyres, non patiuntur multiplicia tormentorum genera, qui eos occidunt, non sunt Idololatræ, sed Musulmanni, qui eundem Deum nobiscum confitentur, & Idololatriam abominantur.* Eulogius ad hæc tria facile respondet, &, *si spectentur miracula, non sunt*, inquit, *necessaria in omni tempore, sicut in exordiis nascentis Ecclesiæ fuerunt, nec sunt Sanctitatis infallibilis nota. Tormentorum varietas non requiritur ad Martyrium, sed mors & perseverantia usque in finem, nec attenditur tormentorum diuturnitas, sed victoria. Quamquam Mahomet Idololatriam non docuerit, nihilominus horrendum est cunctis Christianis nomen, tanquam Pseudoprophetæ, & illis accensendi impostoribus, quos Apostoli venturos prædixerunt. Sufficiat Christiano ad eum detestandum, quod JEsu Christo Divinitatem, quoad potuit, rapuerit.*

Sæculum IX. A. C. 857.

Memor. l. 1. p. 350. Apol. p. 450.

Ceterum hic notat Eulogius, Christianos se signo S. Crucis munire & Dei auxilium invocare solitos fuisse, quandocunque *Moësins*, id est, Musulmannorum præcones e culmine turris, quæ ipsorum templis jungebatur, populum convocantes audirent.

p. 435.

vid. Bibl. Orient. p. 576.

Sed & aliud his Martyribus Hispaniæ objiciebatur; quod propria voluntate

Sæculum IX. A. C. 857.

seſe Martyrio offerrent, quod malum perſecutionis in Fratres ſuos ſuſcitarent, cumque Muſulmanni eis liberum Religionis Chriſtianæ exercitium permitterent, æquum non eſſe, ut in Mahometem palam contumelias jacerent. Quæ ad hæc argumenta Eulogius reſpondet infirma ſunt; ſed illud magis memoratu dignum, quod nobis in hoc loco triſtem ſortem Chriſtianorum ſub Muſulmannorum jugo viventium exhibeat. *Nemo noſtrum*, inquit, *inter Mahometanos ab injuria tutus eſt. Quotiescunque negotia in publicum prodire nos cogunt, ubi ordinis noſtri* (id eſt, Status Eccleſiaſtici) *notas conſpiciunt, nos inconditis clamoribus tanquam homines fatuos proſequuntur; pueris vero ſatis non eſt, transeuntes ſannis & conviciis excipere, ſed conjectis quoque lapidibus inſectantur. Ubi campanas noſtras inſonantes audiunt, mille blasphemias in Sanctam noſtram Religionem evomunt.* Inde diſcimus, illa ætate Chriſtianis per Muſulmannos permiſſum fuiſſe campanas habere & pulſare, quod poſteriore tempore ipſis denegatum. Tum ſubdit Eulogius: *Permulti ex hac Secta nos ipſis ne quidem propius admoveri patiuntur, & immundos ſe crederent, ſi Chriſtianus ipſorum veſtimenta aliquatenus contigiſſet.*

Memor. 1. p. 354.

Apologia Martyrum Cordubenſium.

Quid-

Quidquid autem Eulogius dicat, negari non potest, Martyrum Cordubensium pium quidem sed intempestivum impetum antiquæ Disciplinæ adversari. Ecclesia Smirnensis in actis Martyrii S. Polycarpi sic loquitur: *Illos non laudamus, qui se ipsos suo arbitrio tyrannis offerunt, quia Evangelium id non docet.* S. Cyprianus stans coram Proconsule dicebat: *Disciplina Ecclesiæ nostræ prohibet, ne quis se ipsum necandum obtrudat.* Et in ultima sua epistola ad Fideles monebat: *Nemo se ipsum Infidelibus temere offerat; sufficit si constanter fidem confiteatur, postquam fuerit interrogatus.* Synodus Eliberitana illum Martyrum numero adscribi vetat, qui Idola confringens protinus necatus fuerit. Nihilominus Ecclesiæ auctoritas omnes hos Martyres Cordubenses & Eulogium ipsorum Defensorem in numerum Sanctorum recipientis judicium nostrum suspendat, dicamusque cum S. Augustino in simili casu, Ecclesiæ procul dubio causas fuisse gravissimas, cur hos Martyres a dictis regulis exemerit.

Sæculum IX. A. C. 857.

ep. c. 4. edit. Cotel. Sup. lib. III. §. 28.

Act. S. Cypr.

Sup. l. VII. §. 36. 40.

c. 60. Sup. l. IX. §. 14.

1. civit. 26.

S. Eulogius hanc quæstionem pertractat in duobus operibus, quorum uni Titulus est: *Memorialis Martyrum*, divisum in tres libros. In primo vix aliud quidquam occurrit; quam Apologia Martyrum. In duobus sequentibus eo-

Sæculum IX. A. C. 857.

rum Historia continetur. Alteri Operi Titulus est: *Apologeticus*, & in fine nihilominus refertur Historia duorum Martyrum, qui postquam hoc opus scribere incepissent, passi sunt.

§. XXXVII.

Alii Martyres.

Illorum Martyrum primus est Rudericus Presbyter, progenitus in quodam Vico Egabrensi, Sacris litteris Cordubæ imbutus, & ad gradum Sacerdotalem promotus. Erant ei duo fratres, quorum cum alter ad impietatem Musulmannorum defeciſſet, frequentissime cum tertio, qui in Religione Christiana perseverabat, rixabatur. Quadam nocte furiose jurgantes quærebat Rudericus suo hortatu reconciliare, verum ecce, illi cœca indignatione accensi in fratrem irruunt, & crudelem in modum verberibus affectum relinquunt pæne exanimem. Rudericus ut membra confracta reficeret, lectulo se imposuit; at frater Musulmannus languentem in feretrum attolli jubet, & per vicinam regionem circumferri. Comitabatur ipse dicens: *En fratrem meum, qui Dei gratia compunctus veritatem agnovit, & quamvis esset Christianorum Presbyter nostram Religionem amplexus est. Itaque, sicut cernitis, jam in ultimis agens noluit prius e mundo discedere,*

cedere, quam notum id vobis fieret. Post non nullos vero dies Rudericus Presbyter receptis viribus, cum alii retuliſſent, quid frater ejus Apoſtata feciſſet, ex ejus domo ruri poſita in alium locum ſe contulit. Porro Perſecutio tunc Cordubæ erat adeo violenta, ut quarumdam Eccleſiarum turres, ex quibus campanæ pendebant, a Mahometanis ſolo æquatæ fuerint. Igitur dum Rudericus ob rei familiaris neceſſitatem ex interiore monte Cordubenſi, ubi latebat, ad nundinas deſcendiſſet, occurrens ei frater Apoſtata comprehendit fratrem Presbyterum, & ad Judicem raptat, accuſans, quod a Religione Mahometis defeciſſet. Ille reſpondit; nunquam ſe Sectæ Mahometanæ nomen dediſſe, & non ſolum Chriſtianum, ſed etiam Sacerdotem eſſe. Judex blanditiis fruſtra tentatum in ergaſtulum compingi jubet. Sæculum IX. A. C. 857.

Rudericus in illo carcere invenit quemdam nomine Salomonem, qui, aliquando in Apoſtaſiam lapſus, iterum ad ſinum Eccleſiæ redierat. Hi duo brevi arctiſſimo amicitiæ nexu juncti in jejuniis & orationibus ſeſe ad palmam Martyrii comparabant; quod ubi Judici relatum, eos in diverſa abſtrahi juſſit, prohibuitque ne cuiquam hominum eis colloqui liceret. Tandem poſtquam ter ad ſe vocatos a ſententia dimovere non potuiſſet,

Sæculum IX. A. C. 858.

tuisset, in Fide constantes capitis damnavit. Ducuntur ergo, in ripa fluvii plectendi, signo Crucis ad ultimam luctam se muniunt, & prior Rudericus percutitur. Amborum corpora exposita, & deinde sicut ceterorum Martyrum in fluvium projecta. Eulogius Presbyter eorum beatam mortem a rumore publico edoctus, Missa celebrata, ad spectanda Martyrum corpora exiit, viditque quosdam Infideles, e flumine lapillos, qui Martyrum sanguine aspersi erant, sumere, & eos aqua abluentes in flumen rursus projicere, ne a Christianis tanquam Reliquiæ conservarentur. Passi sunt autem 13. Martii, Æra 895. anno Salutis 857. qua die etiam ipsorum memoria ab Ecclesia colitur. Corpus S. Ruderici post spatium trium Septimanarum inventum & ab Episcopo Cordubensi in Monasterio S. Genesii in Vico, qui *Tertios* dicebatur, conditum, at corpus S. Salomonis in Vico *Colubris* in Ecclesia SS. Cosmæ & Damiani sepulturæ datum.

Martyr. R. 13. Mart.

§. XXXVIII.

Benedicti Obitus. Nicolaus I. Papa.

Anast. in Ben. Papebr.

Cum Benedictus III. Papa non plus duobus annis & dimidio in Cathedra Petri sedisset, obiit decima Martii anno 858. Una Ordinatione mense Decembri creavit Presbyteros quinque, Diaconum unum,

unum, & Episcopos per diversa loca sexaginta sex. (*) Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum Exequiis interesse solebat, constituitque, ut sui etiam Successores defunctis eundem honorem exhiberent. Quinque non plus diebus S. Sedes vacavit, electusque est Nicolaus I. Theodori civis Romani filius. Eum Sergius Papa e domo paterna evocatum, & in Palatium Patriarchale receptum Subdiaconum, Leo IV. autem Diaconum ordinavit, quem deinde Benedictus tam carum habuit, ut pæne ad Regiminis consortium adlectum a latere suo divelli non pateretur. Benedictum defunctum Nicolaus cum ceteris Diaconis humeris suis ad sepulchrum detulit. Ludovicus Augustus, qui brevi ante ex urbe discesserat, compertaBenedicti Papæ morte celeriter rediit. Moxque Clerici, Optimates totusque populus ad eligendum alium Pontificem congregatus, cum per aliquot horas deliberassent, unanimi consensu statuunt promovere Nicolaum Diaconum, eumque in Ecclesia S. Petri latentem (quippe se tanto fastigio indignum dicebat) quæsitum accurrunt. Adhibita vi inde producitur, inter cunctorum plausus in Palatium Lateranense invehitur, Apostolico Throno imponitur, dein-

Sæculum IX, A. C. 858.

(*) Alii dicunt, viginti.

Sæculum IX. A. C. 858.

deinde ad S. Petrum reductus, Imperatore præsente consecratur iterumque in solio collocatur, ubi Missam supra Corpus S. Petri celebravit. Tandem in Palatium Patriarchale, omnibus inter Cantica spiritualia procedentibus, reversus, tota Civitate maximæ lætitiæ signa edente, vigesima quarta Aprilis coronatur. Post biduum mensæ Imperatoris assedit, qui cum deinde ad locum, quem Romani Quintum appellabant, fuisset profectus, eum Pontifex invisit, cui Augustus ad mille passus obviam pergens & ex equo desiliens stratoris vicem ipsi navavit. Ibi iterum Papa & Augustus simul cibum sumserunt. Tandem Imperator Pontificem magnis donis cumulatum & Romam revertentem aliqua viæ parte equo vectus comitatus est; antequam vero in diversa abirent iterum Cæsar equum, cui Papa insidebat, apprehenso fræno ad multos passus rexit.

§. XXXIX.

Ecclesiæ Bremensis & Hamburgensis conjunguntur.

Adam. I. c. 17. *Sup. n.* 18 *vit. S. Ansch.* n. 38.

Sub initium Pontificatus sui, eodem anno octingentesimo quinquagesimo octavo, Nicolaus Papa conjunctionem Ecclesiarum Bremensis & Hamburgensis S. Anscharii commodo confirmavit. Nam cum Guntherium, postquam Sedes annis circi-

circiter decem vacaſſet, Archiepiſcopum Colonienſem ordinatum Anſcharius rogaſſet, ut in hanc conjunctionem conſentiret, & ille ſummopere repugnaret, cauſa in Comitiis Wormatiæ anno octingenteſimo quinquageſimo ſeptimo in Quadrageſima, duobus Regibus Ludovico & Nepote ipſius Lothario cum compluribus, utriusque Regni Epiſcopis præſentibus propoſita eſt. Omnibus conjunctio probabatur, rogabantque Guntherium, ut eam ratam haberet. Ipſe primum vehementer obſiſtere, quod diceret, legibus æquitatis adverſari, ſi in Metropolim erigeretur Eccleſia ſibi ſubjecta læſo Eccleſiæ ſuæ Metropoliticæ jure. Ad ultimum vero a Regibus & cunctis Epiſcopis rogatus edixit; ſi Papa hanc conjunctionem approbaret, ſe quoque ſuo conſenſu acceſſurum. Quam conditionem omnes ejus Suffraganei acceperunt. Lotharii vero Regis conſenſus ideo requirebatur, quod Civitas Colonienſis in ejus Regno eſſet poſita.

Sæculum IX. A. C. 858.

Ann. Fuld.

Rex Ludovicus percepto Guntherii Archiepiſcopi reſponſo Romam miſit Salomonem Epiſcopum Conſtantienſem, & S. Anſcharius, quia ipſe proficiſci non poterat, Nordfridum Presbyterum Diſcipulum ſuum. Benigniſſime excepti ſunt a Nicolao Papa, qui hanc conjunctionem Diœceſium Eccleſiæ Catholicæ & con-

n. 39.

Sæculum IX. A. C. 858.

conversioni Gentilium esse utilissimam judicans, datis literis eam confirmavit. In iis rem altius repetens dicit, Anscharium primum Archiepiscopum Nordalbingorum constitutum, & Sedem ejus Auctoritate Gregorii IV. Papæ Hamburgi fixam. Quod Papa ratum habens eundem Legatum suum ad Evangelium prædicandum Suecis, Danis, Sclavis, aliisque populis vicinis missum declarat. Refert deinde causam, ob quam Rex Ludovicus Hamburgensi Episcopatum Bremensem unire voluerit; quod factum iterum confirmat, & jubet, ut imposterum ex duabus Diœcesibus una fiat, prohibens, ne deinceps Archiepiscopus Colonienſis quidquam juris in eam sibi expeteret. Itaque accedente Summi Pontificis Auctoritate junctæ sunt duæ Ecclesiæ; quia vero Hamburgum a Normannis fuerat devastatum, Anscharius ejusque Successores ut plurimum Bremæ residebant, seque non nunquam Episcopos Bremenses dicebant.

Mabil. ob. 9. to. 6. p. 77.

§. XL.

Episcoporum Franciæ Epistolæ ad Ludovicum Regem.

Ann. Fuld. Bert. 858.

Eodem anno octingentesimo quinquagesimo octavo Rex Ludovicus superato Rheno Franciam cum exercitu intravit, invitantibus permultis Optimatibus

tibus, Caroli Calvi regnum perosis, ea maxime de causa, quod se contra Normannorum rapinas non defenderet. Venilone Archiepiscopo Senonensi præter quosdam alios ad partes Ludovici transeunte, Hincmarus tamen & plerique Episcopi Carolo fidem servarunt. Cum igitur Ludovicus ad Episcopos mandata misisset, quibus vigesima quinta Novembris Remos convenire jubebantur, ubi de Statu Ecclesiæ & Reipublicæ reparando ageretur, satis fore omnibus visum, si Carisiaci Conventum agerent, & amplissimam Epistolam per Venilonem Archiepiscopum Rotomagensem & Ercanranum Episcopum Catalaunensem ad eum mitterent. Scripta est nomine omnium Episcoporum Provinciarum Remensis & Rotomagensis atque in Articulos quindecim divisa.

Sæculum IX. A.C 858.

to. 8. Conc. p. 654. to. 2. Capit. 101. Hincm. to. 2. p. 126.

Primo excusant, cur Remos non venerint; impeditos se fuisse fœda tempestate & brevitate temporis, quo Archiepiscopos suos consulere, ut Canones præcipiunt, non potuissent. Deinde queruntur, quod Rex Ludovicus eorum monitis & consiliis hactenus non obtemperaverit, & Regi Carolo fratri suo reconciliari noluerit. Subjungunt, nullam superesse spem, ipsum consiliorum, quæ ab Episcopis peteret, nunc majorem rationem habiturum. Hortantur, ut conscien-

c. 1.

c. 2. 3.

Sæculum IX. A. C. 858.

scientiam suam scrutetur, & consideret, cur in Regnum Fratris sui venerit; an talia a Fratre sustinere ipse vellet, qualia facit. *Ante mentis tuæ oculos pone*, inquiunt, *illam horam, quam nullo modo potes effugere, quando e corpore exibit anima tua, quando omnem potestatem & divitias derelinquere, & cuncta, quæ cogitaverat, infecta dimittere cogetur, sine auxilio uxoris, liberorum, procerum, servorum, nuda & a toto mundo destituta, quando videbit omnia peccata, quæcunque cogitaverit, dixerit & fecerit contra charitatem, eaque per pœnitentiam non emendaverit. Hæc animæ tuæ oculis semper obversabuntur, nec depellere valebit.* Tum quibusdam interjectis:

c. 5. *Fama ad nos perlatum, quod in Parochiis, per quas cum militibus transis, tam crudelia & abominanda fiant, ut ea Gentilium furorem longe superent; imo eorum partem sentimus. Tu vero dicis ad reducendam pacem & tollendos abusus te adesse. Cur non potius conceptam*

c. 6. *iram in paganorum capita effundis? in hos educ militem tuum, libera nos a tributo, quod pendimus, aut saltem barbarorum furorem fugientibus tutum concede refugium, & prohibe, quod hactenus factum nefas, ne pejus ab amicis*

c. 7. Epistola Episcoporum ad Regem. *quam ab hostibus Christiani nominis torqueamur. Si ideo venisti, quod Epistola tua*

tua præfert, ut Ecclesiæ jura restituas, conserva ejus privilegia, Episcopos honora, noli eos intempestiva cupiditate vexare, permitte, ut in pace munere suo fungantur, præcipe Comitibus, ut homines incestuosos ad eos per suos ministros deduci jubeant, & sic ad subeundam pœnitentiam compellant. (*) *Concilia Provincialia temporibus per Canones præstitutis celebrari permitte. Bona Ecclesiarum & Vasallorum earum defende; ex quo enim divitiæ & opes Ecclesiarum multiplicatæ sunt, optimum factu visum Episcopis, si fundos hominibus liberis committerent, quo Regni militiam augerent, & Ecclesiis paravent præsidium.* Hic Originem Feudorum ab Ecclesiis concessorum deprehendimus. Sæculum IX. A. C. 858.

Tum Episcopi exemplum referunt Caroli Martelli, qui cum primus Bona Ecclesiæ rapuisset, cum corpore & anima ad ignem inferni damnatus fuisset. Nempe istud in visione S. Eucherio Aurelianensi revelatum ferebatur; sed jam fabulam esse omnes consentiunt. *v. Bar. an. 741. n. 24. Sirm. hic Mabil. obs. 4. ad vit. S. Euch. to. 3. Act. p. 595.*

In

(*) Hic videmus, quomodo paulatim usus pœnitentiæ publicæ cessaverit. Nempe, Peccatorum reluctatione & Judicum Sæcularium negligentia hoc vulnus antiquæ Disciplinæ infligtum.

Sæculum IX. A.C. 858.

In eadem Epistola Episcopi deinde Regem Ludovicum ad restauranda Monasteria & Hospitia hortantur & addunt: *Quandoquidem te Bonum publicum curare profiteris, neminem prius quam te ipsum emenda. In occulto quoque ita vitam tuam compone, ac si omnium hominum oculis pateres. Non plus credas alienæ linguæ quam propriæ conscientiæ. Non adulationis tinea te arrodat, nec livor alienæ felicitatis urat. Ob rerum carnalium solicitudinem animæ tuæ salutem*

c. 12. *non negligas. Domum tuam ita rege, ut ceteris exemplo esse possit. Ministros habeas timentes Deum, & charitate in proximum flagrantes, qui ad Regiam confugientes benigne excipiant. Comites aliosque Judices publicos tales constitue, qui avaritiæ vitio non laborent, qui populum non opprimant, qui fruges non auferant, pecora non abigant, qui Episcoporum monitis parentes utilitati Ecclesiæ invigilent, qui partes litigantes audiant*

c. 24. *& jus dicant non amore lucri sed justitiæ. Item domibus Regiis Prætores præpone, qui servos tuos ad extremam egestatem non redigant, sed agros tui patrimonii solertissime coli procurent, ne, cum iter facis, Episcopis & Abbatibus maximo oneri sis, eosque exactione hospitii, vehiculorum ceterorumque omnium proficiscentibus necessariorum vexare cogaris*

garis. Comites erant Rectores Provinciarum & hominum liberorum Judices. Præter hos autem & alii constituti erant Judices in domibus Regiis, qui Regum patrimonia regebant, & Servis Fisci jus dicebant. Sæculum IX. A. C. 858.

Optimates vero, prosequuntur Episcopi, *qui ejusmodi crimina Excommunicationis pœna digna perpetrarunt, compelle, ut se Episcopis suis submittant & Ecclesiæ satisfaciant; quicunque autem peccatorum eorum particeps effectus, etiamsi tu ipse fueris, pœnitentiam suscipiat. Fac modo cum tuis subditis, quod tibi suademus, & si tempus magis opportunum ad celebrandum cum Confratribus nostris Concilium advenerit, de reliquis etiam, quid faciendum, mentem nostram tibi aperiamus. Imprimis consilia nobis conferenda sunt cum Episcopis, qui Regni hujus populo consentiente Fratrem tuum Sacro Chrismate unxerunt; quo facto Ecclesia Romana Mater nostra eum Regem salutavit. Lege libros Regum, & ex Regis Saulis, etsi reprobi, exemplo disces, quanta unctis Domini exhibenda sit reverentia. Hunc honorem fratri tuo atque etiam fidem & gratum animum servamus. An Regni tui fines proferre vis cum animæ tuæ detrimento? aut privare nos Sacerdotio cupis? hac enim pœna digni omnino essemus, si Eccle-* c. 13. c. 15. Conventus Carisiacensis Epistola.

Sæculum IX. A.C. 858.

sias noſtras Deo & ſana ratione adverſantibus tibi traderemus. Quippe Eccleſiæ nobis a Deo commiſſæ non ſunt Feuda, quæ Rex, ut lubet, dare & auferre poſſit, ſed ſunt Bona Deo Sacra, de quibus ſine Sacrilegio nihil ſubtrahitur. Nos vero Epiſcopi neutiquam more hominum Sæcularium nos ipſos Vaſallos reddere valemus, aut cuiquam contra Scripturam & Canones fidem jurare. Horrendum eſſet facinus, quod abominamur, ſi manus noſtræ, quæ Sancti Chriſmatis unctionem receperunt, quæque per orationem & ſignum Crucis de pane & vino Corpus & Sanguinem JEſu Chriſti conficiunt, ad præſtandum juramentum adhiberentur, ſicut etiam Epiſcopi lingua, per quam veluti per clavem janua Cæli aperitur. Si autem quiquam juramentum ab Epiſcopis exegerunt; tam exigentibus, quam præſtantibus pœnitentia ſubeunda eſt.

Ceterum noli benevolas aures dare hominibus Epiſcopos proſcindentibus, qui dicunt, ſervos nos eſſe & perſonas viles, ſed memento, JEſum Chriſtum, qui ſolus Rex eſt & Sacerdos, Eccleſiæ ſuæ Regimen (*) inter Auctoritatem Pontificalem

(*) Verba ipſius Synodi Cariſiacenſis ſunt: *Et in Cælum aſcendens ſuum Regnum id eſt Eccle-*

lem & Poteſtatem Regiam voluiſſe eſſe diviſum, atque non viros opulentos & nobiles, quibus munus conferret Epiſcopale, ſed pauperes piſcatores elegiſſe. Neſcimus aliam nobilitatem, quam quod Succeſſores Apoſtolorum ſimus. Faciemus autem, quod juſſiſti, jejuniis, orationibus & publicis precibus ſatagemus Deum placare, ſupplicantes, ut ingruentem tempeſtatem a cervicibus noſtris avertat. Hujus Epiſtolæ Hincmarus Auctor eſſe creditur.

Sæculum IX. A. C. 858.

§. XLI.

Reliquiæ Cordubenſes Pariſiis.

Sub illud tempus Reliquiæ quorumdam Martyrum Cordubenſium Pariſios translatæ. Cum Monachi S. Germani de pratis moniti fuiſſent, quod jam Corpus S. Vincentii, primi illius Monaſterii Patroni, ex Urbe Hiſpaniæ Valentia, quia poſt devaſtationem Saracenorum vix

Ann. Bert. 858. *Transl.* 6. *Act. Be.* p. 49.

Eccleſiam, inter Pontificalem Auctoritatem & regiam poteſtatem gubernandum diſpoſuit. Somniat ergo Thomaſius, cum in Libro ſuo, de Habitu Religionis ſeu Eccleſiæ erga Rempublicam, contra totius Eccleſiæ mentem atque omnium Sæculorum ſenſum & opinionem affirmare non erubeſcit, JEſum Chriſtum Eccleſiam ſuam fundaſſe ſine Regimine Eccleſiaſtico, & quemlibet hominem naſci Sacerdotem.

Sæculum IX. A. C. 858.

illius Civitatis ruinæ supereſſent, facili negotio transferri poſſet, duo ejusdem Congregationis Monachi Uſuardus & Odilardus accepta facultate Abbatis ſui Hilduini II. & Regis Caroli Calvi hoc iter ſuſceperunt. Verum Uzeriam pervenientes comperiunt, Corpus S. Vincentii Valentiæ non amplius exiſtere. Quippe inde ablatum fuerat jam anno 855. ab Audaldo Monacho Conchitenſi† ex Diœceſi Rutenenſi, cui cum Sacris Exuviis per Urbem Cæſarauguſtanam tranſeunti Epiſcopus Senior, neſcio a quo monitus, quod iſte Monachus Reliquias transferret, eas ademit, & in ſua Cathedrali ſepeliri juſſit. Attamen cujus Sancti oſſa hæc eſſent ſcire non potuit, quamvis ut id ex Audaldo Monacho exprimeret, etiam tormenta adhiberet; is enim Epiſcopo illuſit dicens, eſſe Reliquias S. Martini Martyris. Audaldum ad ſuum Monaſterium ſine Reliquiis reverſum ſui pro Monacho vagabundo habuerunt; inde ad Monaſterium S. Benedicti in Caſtro, hodie Eccleſiam Cathedralem, ſe recipiens benigne exceptus eſt a Gilberto Abbate, cui, quæ ſibi accidiſſent, narravit. Tandem Salomone Comite Cerdanienſi patrocinante compulſus eſt Epiſcopus Cæſarauguſtanus reddere S. Vincentii corpus, quod

Transl. S. Vinc. to. 5. Act. p. 609.

† vulgo *Conkitas.*

anno

anno circiter 864. ad Monasterium Castrense allatum. Sæculum IX. A. C. 858.

Porro duos Monachos S. Germani sicut & ceteros falsum nomen S. Martini fefellit, & quibusdam etiam affirmantibus, S. Vincentium Valentia Beneventum fuisse delatum, cum spem abjecissent, S. Patroni sui Reliquias inveniri posse, ad quærendas alias animum adjecerunt, ne ex itinere vacui domum redirent. Ergo Sunifredum, qui Barcinone secundum a Comite gradum tenebat, consulunt. Is modum persecutionis, quam Christiani Cordubæ sub Rege Abderamo passi erant, & præcipue Georgii & Aurelii celebre Martyrium narravit; statimque duos Monachos Usuardum & Odilardum vehemens desiderium istorum Martyrum Reliquias habendi subiit. Quamobrem Athaulfo Episcopo Barcinonensi & Sunifredo aperiunt, se Cordubam ituros. Illi primum expavescere, & deinde ab hoc consilio Monachos omni conatu revocare; sed tandem abeuntibus dederunt Epistolas, quibus muniti a Saule Episcopo Cordubensi & Samsone Abbate Pinnæ mellariæ Corpus integrum S. Georgii Monachi & Martyris, Corpus sine capite S. Aurelii, & caput S. Sabigothæ uxoris ejus, quæ in hac historia Nathalia vocatur (nempe geminum ei nomen unum Gothicum,

Sup. Lib. XLVII. §. 56. 57.

Sæculum IX. A. C. 858.

alterum Romanum fuit) obtinuerunt. Has ergo Reliquias, quæ in itinere per multis miraculis clarescebant, in Franciam deferunt, atque 20. Octobr. anno 858. ad Vicum Acmantum ad possessionem Abbatiæ pertinentem perveniunt, quo magna pars Monachorum cum corpore S. Germani Normannorum furorem fugiens se receperat. Rex Carolus lætabatur, quod Regni sui tempore tales Gallia promeruisset flores; ut vero de omni illusione esset securus, Cordubam misit quemdam nomine Mancionem, qui omnibus exploratis factum cum iisdem adjunctis, sicut duo Monachi, retulit. Usuardus istorum Monachorum alter Martyrologii Auctor est celeberrimus; hæc vero Historia ipso dictante ab Aimoino ipsius Confratre, ejusdem Monasterii alumno, conscripta. S. Reliquiæ ibidem hodieque asservantur.

§. XLII.

S. Eulogii Martyrium.

vit. S. Eul. 11. Mart. c. 3 Boll. to. 7. p. 93.

Wistremiro Archiepiscopo Toletano eodem anno 858. die ultima fatis functo Eulogius Presbyter Cordubensis, suffragio omnium Episcoporum illius Provinciæ & viciniæ, mortui Successor eligitur; aliquo tamen obstaculo superveniente non fuit consecratus, & ipso adhucdum in vivis agente electus est alius, quam-

quamvis Eulogius postquam fuisset electus, ne quidem duobus mensibus integris supervixerit; Martyrium enim & ipse pertulit, qui tot aliis subeundi Martyrii Auctor extiterat. Puella, cui nomen Leocritia, ex nobili Musulmannorum familia nata, a prima ætate Religionem Christianam opera cujusdam mulieris propinquæ edocta, Baptismum acceperat. Quod cum ejus patri matrique suboluisset, continuis virgarum plagis diu noctuque misellam ad renunciandum fidei Christianæ compellere satagebant. Illa vero calamitatem suam per fidum hominem Eulogio Presbytero ejusque sorori significavit, seque percupere in talem locum fugere, ubi libere Religioni suæ vacare posset. Sæculum IX. A. C. 859. c. 4.

Eulogius modum secreto suggessit, quo ex domo paterna evadere posset, ipsa solerter dolum adjuvante; quippe parentibus imposuit, simulans, se eorum voluntati obtemperaturam. Imo, quo certius falleret, semel etiam in ritus Religionis Christianæ lusit. Cultum corporis quoque impensius curare cœpit, quasi matrimonium cogitans, & quadam die commenta, se ad convivium nuptiale alterius puellæ ituram, domo egressa, convolavit ad ædes Eulogii & ejusdem sororis, qui porrectis brachiis exceptam apud fidelissimos amicorum volentem Leocritia Martyr.

Sæculum IX. A. C. 859.

occultarunt. At pater & mater filiæ fuga acerbissime tacti ad locum, quo detineretur, explorandum, nihil intentatum reliquerunt, ipsisque urgentibus Judex permultos Christianos, quin etiam Sanctimoniales & Presbyteros virgis cædi jussit. Eulogius interim propositi sui tenax sæpe Leocritiam ex una domo in aliam deduci curabat, ut securius lateret, & ipse noctes totas in pavimento Ecclesiæ S. Zoili prostratus ferventissimas ad Deum preces fundens transigebat. Sancta quoque virgo jejunabat, vigilabat, in cinere & cilicio cubabat.

§. 5. Quadam nocte cum ad invisendum Eulogium & sororem ipsius venisset, redire ad proprium diversorium non potuit, quia ille, qui puellam deducere debebat, sero venit, & interim illuxerat. Re ad Judicis notitiam perlata, milites mittit, qui domum cingunt, atque inde Leocritiam & Eulogium raptantes Judici sistunt. Is Eulogium interrogat, cur hanc puellam domi suæ detineret, qui respondet, Presbytero non licere quemquam, qui doceri cuperet, a se repellere; cumque Judex irritatus diceret, se eum tam diu fustibus castigaturum, donec spiritum emitteret, ait Eulogius, rem gladio melius perfici posse, simulque in Musulmannorum Prophetam & Religionem vehementer invehitur. Illico ad Pala-

Palatium in conſpectum Senatus deduci- Sæculum IX.
tur, ubi eum Senatorum aliquis, cui erat A. C. 859.
notiſſimus, affatus eſt in hunc modum: *Si homines rudes in exitium pertinaciter ruant, pereant, qui perire volunt; at viros probos & doctos, quibus te accenſendum non dubito, eorum inſaniam ſectari minime oportet. Crede mihi, obſecro! paucis verbis libera modo animam tuam, cum aliter ſalvus eſſe nequeas. Revertere deinde ad Religionem tuam, & ſpondemus te ab inquiſitione noſtra tutum fore.* Eulogius ſubridens dixit: *O! ſi ſcires, quanta præmia illos maneant, qui fidem noſtram conſtanter profitentur, abdicares profecto munus, quod geris.* Tuncque Evangelii veritatem iis intrepide annunciare cœpit, qui, ne eum audire cogerentur, illico ad mortem damnarunt.

Cum duceretur ad locum ſupplicii, aliquis ex numero ſpadonum regiorum loquenti alapam inflixit, cui ille protinus & alteram maxillam præbens alterum etiam ictum patientiſſime tulit. Ubi ad locum deſtinatum pervenit, flexis genibus & extenſis ad cœlum palmis oravit, & ſigno Crucis totum corpus muniens obtulit caput, quod lictor promptiſſime revulſit a corpore, hora nona, ſeu poſt meridiem tertia, die Sabbati, undecima Martii anno 859. Sepultus eſt

ad

Sæculum IX. A. C. 859.

ad S. Zoilum. Quatriduo postea Leocritia quoque decollata est, corpusque in Betim fluvium provolutum, sed inde ereptum, & in Ecclesia S. Genesii in Vico *Tertios* sepultum. Ambos Ecclesia illis diebus, quibus passi sunt, honorat. Vitam vero S. Eulogii Alvarus ipsius amicus scripsit; ex quo tempore pauca admodum Ecclesiæ Hispaniarum sub jugo Mahometanorum gementis monumenta ad nos usque pervenerunt.

Mart. Rom. 11. & 15. *Mart.*

§. XLIII.

Literæ Hincmari contra rapinas.

Opusc. 7. *to.*2. *p.*148.

In Francia cum, civili bello inter duos fratres Ludovicum & Carolum fervente, omnia rapinis & cædibus miscerentur, Hincmarus Archiepiscopus Remensis datum ad Parochos suos mandatum in Quadragesima hujus anni 859. promulgari præcepit, & *cum raptores*, inquit, *ideo solum ad Ecclesiam veniant, quia adsueverunt, & in Missa perlecto Evangelio remanere non soleant, istud Mandatum statim post Epistolam recitabis.* In eo Hincmarus hortatur, ut illi, qui in sua Diœcesi versantur, a rapinis, a vi, aliisque criminibus, quæ tunc impune committebantur, abstineant, & Loca S. Scripturæ refert, ex quibus ostenditur, ea delicta inferni flammis puniri. *Abstinete*, ait, *hoc præsertim tempore, in quo*

quo pro peccatis totius anni Deo satisfaciendum, ut in die Redemptionis nostræ Communionem accipiatis, & ne indigni cum Juda ad interitum vestrum accedatis. Nec dicatis: si ingens est periculum indigne communicandi, ut dicit Episcopus iste, malumus a Communione abesse, quam mores nostros mutare; etenim Dominus de Communione sicut de Baptismo dixit; qui non manducaverint carnem meam, non habituros vitam. Itaque quicunque Salutem suam quærit, huic aliud remedium non restat, quam ut per sinceram pœnitentiam peccato moriatur, & emundata conscientia Domini Nostri Corpus & Sanguinem accipiat. Sciatis vero velim vos omnes, qui in mea Diœcesi hæc mala perpetratis, nisi vos emendaveritis, Presbyteris meis me prohibiturum, ne vobis Communionem præbeant. Si quis autem dicat: in alteram Diœcesim pergam his diebus, meminerit, se non homines, sed Deum illudere, & se ipsum turpiter fallere; nam si excommunicatus in alia Diœcesi communicet, incurrit coram Deo majorem damnationem, cum se ab oculis illius, qui ubique est, & sua immensitate omnia implet, abscondi posse existimet.

Sæculum IX. A.C. 859.

Joan. 3, 5. 6, 54.

Hincmarus hoc Mandatum Regi Carolo misit, rogans, ut illud secretum haberet usque ad præstitutam diem, qua fide-

Opusc. p. 141

Sæculum IX. A. C. 859.

fideles sibi Subditos convocaret, & oratione Regia lenitatem Auctoritati miscens vitia publica exprobraret. Postea, *si visum fuerit*, inquit, *hoc mandatum meum quotidie illis prælegi jubebis, qui ad te venient. Cave autem, ne illos Articulos spreveris, quos Synodus Carisiacensis anno præterito ad Ludovicum misit, & quos filius meus Hincmarus* (hic est nepos ejus) *meo nomine tibi tradidit, quando te in Burgundiam proficiscentem secutus est. Nihil dubites, tibi magis quam fratri tuo hæc dicta sunt.*

Tria sunt ad me perlata, quæ te celare statueram, sed postquam rem mature pensavi, vereor, ne me ipsum reum faciam, si ea, quæ famam tuam maculant, non referam. Primum est, quod dicas; nihil ad me pertinent latrocinia in regno meo; vindicent se læsi, ubicunque raptores deprehenderint. Scio, istud per calumniam de te vulgari. Nihilominus hæc tibi indicanda esse putavi, ut obtrectatores factis contrariis mendacii convincas. Hincmari Literæ. *Nullus enim Regum, nisi impius sit, a Subditis dona & tributa ob bona & fundos, quibus fruuntur, exigit, nullatenus curans, an ea, unde pensiones tribuunt, secure & in pace possideant. Alterum est, quod illi, qui ad Regiam tuam justas querelas deferunt, nibil solatii & ne quidem bona verba accipiant. Istud quo-*

que

que non credo; ſed tertium etiam invitus credere compellor, quod poſtquam tui omnem annonam ex Eccleſiæ fundis rapuerint, etiam paratam pecuniam extorqueant, quæ a nobis danda eſt, niſi malimus Domum Dei expilari. Sæculum IX. A. C. 859.

Tandem Hincmarus literas dedit ad Clericos aulicos, cum Rege & Regina proficiſcentes, quorum ſervi & familiares iisdem ac ceteri criminibus polluebantur, illudentes feminarum corporibus, & omnia quocunque perveniſſent diripientes, unde hominibus annonam & equis ſuis pabulum pararent. Hos Clericos admonet, ipſorum eſſe, non ſolum a vitiis abſtinere, ſed etiam alios peccantes compeſcere, & aliquando de peccatis Subditorum ſuorum rationem Deo reddituros. Deinde ſubjungit: *Niſi tantum errorem emendaveritis, vos, qui meæ Diœceſi ſubjecti eſtis, a munere veſtro ſuſpenſos excommunicabo usque ad tempus Synodi, illos vero, qui alienæ Eccleſiæ ſubditi ſunt, a Communione meæ Diœceſis & Provinciæ excluſos ad Epiſcopos ſuos caſtigandos remittam.* *Opuſc. 6. p. 146.*

§. XLIV.

Legatio ad Regem Ludovicum.

Regis Ludovici expeditione nihil prope aliud effectum, niſi quod rapinæ & latrocinia cumularentur; nam ineun- *to. 8. Conc, p. 1668. to. 2. Cap. p. 122.*

te

Sæculum IX. A. C. 859.

te vere anno octingentesimo quinquagesimo nono ad sua redire compulsus Wormatiæ substitit. Inter hæc vero Metis vigesima octava Maji Synodus ad pacem cum Rege Ludovico conciliandam, Rege Carolo Calvo & Lothario ipsius nepote consentientibus, celebratur, atque ad Regem Ludovicum delegantur Archiepiscopi tres, Hincmarus Remensis, Guntharius Colonienſis, Venilo Rotomagensis, & Episcopi sex, Herluinus Constantiensis †, Hildegarius Meldensis, Adventius Metensis, Ebbo Antissiodorensis, Hincmarus Laodunensis, Nepos Archiepiscopi, & Ercanradus Catalaunensis. His tradita sunt Mandata & conditiones, quibus Regem Ludovicum absolvere debebant ab excommunicatione, in quam incidisset ob mala auditu horribilia in Regno Fratris sui perpetrata, & saltem quod cum excommunicatis communicasset. In eis sequentia summatim continebantur.

c. 2.

† Coutance en Normandie.

c. 5.

c. 6. *Confiteatur, se reum esse omnium malorum, quæ in nostris Diœcesibus perpetrata sunt, quia improborum hominum suasionibus obsecutus est, & promittat se dignam subiturum pœnitentiam. Illud quoque promittat, se ipsum, quamprimum fieri possit, venturum ad confirmanda pacis fœdera cum Principibus nostris Carolo & Lothario, seque ea servaturum, si ea Reges*

ges ſua ex parte ſervaverint. Promittat etiam, nullum præſidium ſe illis conceſſurum, qui ſe ad tantam Dei offenſam admittendam impulerunt. Sed in Comitiis proxime celebrandis, ſi poſſit, in conſpectum Fratris ſui Caroli, & Lotharii nepotis illos venire compellat, qui ab ipſis, Dominis ſuis, ad ſe defecerunt, quod facturum ſe Marsnæ ſpopondit, ut abſolvantur, ſi facta purgent, ſecus vero condemnentur. Tum Epiſcopi promiſſorum mutuorum mentionem faciunt, quibus tres Fratres Lotharius, Ludovicus & Carolus anno 851. in Comitiis Marsnæ prope Trajectum ſe obſtrinxerant, alterum alteri, ſi opus fuiſſet, opem laturum, & Vaſallos alterius non recepturum.

Sæculum IX. A. C. 859.

c. 7.

c. 8.

to. 2. Cap. p. 46. tit. 10.

c. 9.

In Mandatis deinde ulterius legitur: *Si Rex Ludovicus hæc omnia, ſeque ex omnibus viribus ſuis Eccleſiæ ſatisfacturum, promittat, date ei Abſolutionem ab omnibus peccatis, quæ vel ipſe in noſtris Diœceſibus commiſit, vel ipſius auſpicio commiſſa fuere, eumque Communioni reſtituite, qua cum excommunicatis communicans ſe ipſum privavit. Licet vero multorum annorum pœnitentia ſecundum præfixos a Sacris Canonibus gradus hæc perpetrata facinora indigerent, confiſi tamen de Dei Miſericordia, apud quem magis acceptatur menſura doloris, quam*

c. 10.

Sæculum IX. A. C. 859.

temporis, & vitiorum destructio, quam abstinentia ciborum, humaniorem Patrum Definitionem sequimur. Citant deinde Canonem ex Africa, & loca S. Leonis, sanctique Gregorii, ubi aliud nihil dicunt, quam pœnitentiæ tempora generatim in arbitrio Episcoporum posita esse, & si peccatores periclitentur, quod in Ludovico locum non habebat, de tempore aliquid demi posse. Hinc Episcopi Patrum Auctoritatem hic solum in speciem adduxisse videntur. Subjungunt, sermone ad Delegatos directo: *Si Regem ita animo comparatum non habueritis, cavete ne eum absolvatis, seu potius ne vosmetipsos ipsius censuris implicetis; nollemus enim hujus absolutionis Auctores esse, & vobis facti vestri coram Concilio ratio reddenda esset. Si autem ipse in eadem scelera, quæ ut deleat jam a vobis nostro nomine admonetur, relabatur, sciat, quod se denuo Dei & Ecclesiæ Judicio obnoxium faciat.*

Mandata Episcoporum.

c. 11.

c. 12.

Conc. p. 682.

His mandatis a Concilio instructi Legati Wormatiam se conferunt; quibus quarta Julii in conspectum admissis Rex Ludovicus statim ait: *Si vos in quacunque re offensos habeo, rogo, ut mihi veniam detis, & sic vobiscum secure negotium tractare possim.* Hincmarus Archiepiscopus proximus ad sinistram Regis stans respondit: *Brevi confectum hoc erit*

vit negotium, cum id ipsum petas, quod tibi oblaturi advenimus. Tum postquam Grimoldus Abbas S. Galli & Regis Ludovici Archicapellanus, & alius Episcopus, cui nomen Theodoricus Hincmaro collocuti fuissent, ipse iterum ad Regem: *Nihil mali mihi intuliſti, cujus memoriam teneam, nam si tenerem, Altari ad offerendum Sacrificium appropinquare non auderem.* Rursus Theodoricus ad Hincmarum: *Fac, quod a Rege rogaris, & ei ignosce.* Hincmarus, semper ad Regem conversus, respondit: *Quæ me ipsum tangunt, dudum remisi, & remitto. Si autem spectemus mala Ecclesiæ meæ & populo illata, consilium suggero, & auxilium affero secundum Legem Dei, qui consulatur Saluti tuæ.* Grimoldo, Theodorico & Salomone Episcopo Constantiensi dicentibus, sapienter hæc ab Hincmaro differi, alii quoque Legati ipsius dicta sua sententia confirmarunt. Guntherius insuper Regi Mandata sibi commissa exhibuit, at ille rem ipsam pertractari noluit dicens, nihil a se posse statui, priusquam Regni quoque sui Episcopos ad consilium vocasset. Ita Legati Concilii Metensis nulla data Absolutione recesserunt.

Sæculum IX. A. C. 859.

Sæculum IX. A.C. 859.

§. XLV.

Synodus Saponarienſis.

*to.*8.*p.*647. Paucis poſt diebus eodem menſe Junio magnum Concilium prope Civitatem Tullenſem celebratum, cui Epiſcopi ex duodecim Provinciis, & tribus Regnis Caroli Calvi, Lotharii & Caroli nepotum ipſius, præſentium, interfuerunt. In hoc Concilio tredecim Canones conditi, qui potiſſimum cauſas privatorum reſpiciunt. Querelæ movebantur de Ordinatione trium Epiſcoporum, Tortoldi Bajocenſis, Anſcharii Lingonenſis & Atonis Virdunenſis. Tortoldus olim Diaconus Venilonis Archiepiſcopi Senonenſis, quem etiam ſanguinis affinitate contingebat, cum ad Regis Ludovici partes tranſiiſſet, hujus Principis ſuffultus Patrocinio Epiſcopatum Bajocenſem obtinuerat, quem tum promiſſis tum minis tumidus ſibi retinere conabatur. Jubet Synodus, ut Venilonis Senonenſis & trium præterea Epiſcoporum judicio ſtaret; ſi venire detrectaret, Principis mandato compelleretur, & ſi contumaciter reluctaretur, anathemate percuteretur.

*Capit.tit.*29. *p.* 30.

c. 4.

c. 5. Anſcharius Subdiaconus ſe ſe in Sedem Lingonenſem, Iſaaco Epiſcopo adhucdum luce fruente, intruſerat, fidemque Clericorum, Vaſallorum & Servorum ſollicitaverat. Cum vero promitteret

teret se velle ab incepto desistere, Synodus ejus pœnitentiam recepit, præscripsitque formulam juramenti, quo facti veniam rogabat, & nihil tale se deinceps moliturum spondebat. Ei etiam prohibitum, ne unquam Episcopatum Lingonensem, aut Genevensem, nam & huic inhiaverat, ambire auderet. Sæculum IX. A. C. 859.

Atton Episcopus erat Virdunensis, olim Monachus S. Germani Antissiodori, namque ejus Monasticæ Professionis Schedа exhibebatur. Non nulli querebantur, quod contra Canones ad Episcopale fastigium esset promotus. Forte quod Præpositorum suorum consensus abfuerit. Jussit Synodus, ut compareret. Aliunde autem scimus ipsius Ordinationem fuisse confirmatam, atque Ecclesiam Virdunensem omnibus eum honore debito prosequentibus gubernasse. Econtra Ordinatio Tortoldi nulla pronunciata creditur, quia anno sequente alius Episcopus Bajocensi Ecclesiæ præfuisse legitur. *c. 7.* *v. not. Sirm. in Capit.*

§. XLVI.

Libellus Regis adversus Venilonem.

Rex Carolus Calvus Synodo Saponarensi libellum obtulit, in quo dicebat: *Venilo Clericus meus in Capella mea mihi serviens fidelitatem Sacramento mihi promiserat, & me commendante Archi-* *to. 8. Conc. p. 679.*

Sæculum IX. A. C. 859.

chiepiſcopus Senonenſis ordinatus eſt. Quando Regnum cum fratribus meis diviſi, cum ceteris Epiſcopis hoc fœdus ſe ſervaturum edito juramento promiſit. Poſtea me Regem conſecravit in Eccleſia S. Crucis Aureliani, in ipſius Provincia poſita, & promiſit, me a Regia Dignitate nunquam depoſiturum, ſaltem ſine conſenſu Epiſcoporum, qui me unacum ipſo conſecraverant, quorum judicio me ſubmiſi, & hodieque ſubmitto. Hæc verba ore Regis prolata ſingulari attentione digna ſunt, nec quisquam alius, qui iſtud profeſſus fuiſſet, ſaltem in Francia, occurrit. Sed exemplum Ludovici Pii, toties ſe ab Epiſcopis coronari & reſtitui patientis, & propria Caroli imbecillitas eum impellere potuerunt, ut tam demiſſe de ſe loqueretur. Ut ut autem res ſe habeat, Epiſcopi credidiſſe videntur, quod deponere Reges poſſent, cum dubitari nequeat, quin ex eorum conſilio Libellus iſte fuerit concinnatus. In quo deinde leguntur ſequentia: *Cum ſeditiones in Regno noſtro crebreſcere cœperunt, ego & ſubditi mei libello ſubſcripſimus, promittentes mutuum auxilium, & Venilo ſubſcripſit cum ceteris. Ubi vero Ludovicus frater meus in Regnum meum cum exercitu irrupit, Venilo ex omnibus Epiſcopis ſolus me deſerto & ſine meo conſenſu ad colloquendum cum hoſte perrexit.*

§. 4.

perrexit. Auxilium, quod mihi in hoc bello ipsius Ecclesia conferre tenebatur, non præbuit, quamvis id instanter petierim. Imo vires suas fratri meo contra me junxit. Præterea quamvis fratrem meum subditi mei rebelles sequerentur, quos excommunicatione esse implicitos Episcopi datis literis Veneloni indicaverant, nihilominus publice ipsis præsentibus in Arce mea Attiniacensi sine Episcopi Diœcesani licentia Missam celebravit, & fratrem meum perjurus consilio adjuvit, quo Regni parte mihi competente spoliaver. A fratre meo Abbatiam S. Columbæ, in Regno meo positæ, atque etiam lapides collapsi muri Civitatis Melodunensis postulavit & accepit. Episcopatum Bajocensem Tortoldo propinquo suo, Clerico meo, qui mihi fidem juraverat, obtinuit. Denique viribus Dei auxilio receptis exercitum in agros urbi Senonensi adjacentes deduxi, nec tamen Venilo quidquam subsidii mihi contulit.

Sæculum IX. A. C. 859.

Hoc Libello perlecto decrevit Synodus, ut Venilo præstituta die venire juberetur, ediditque Epistolam Synodicam, in qua plerorumque Episcoporum in hoc Concilio præsentium nomina leguntur. Primo occurrunt Archiepiscopi octo, Remigius Lugdunensis, Rudolfus Bituricensis, Guntharius Colonienſis, Hincmarus Remensis, Arduicus Vesuntinus, c. 6.

Sæculum IX. A. C. 859.

Treutgaldus Trevirenſis, Venilo Rotomagenſis, Herardus Turonenſis. Poſtea conſpiciuntur nomina triginta duorum Epiſcoporum, atque inter alia, Ebbonis Gratianopolitani, Rotadi Sueſſionenſis, Adventii Metenſis, Attonis Virdunenſis, Æneæ Pariſienſis, Agii Aurelianenſis, Hincmari Laodunenſis, Roberti Cenomanenſis, Eluini Conſtantienſis, Iſaaci Lingonenſis, & Erchamberti Bajocenſis; unde videmus Tortoldum fuiſſe excluſum.

In illa ergo Epiſtola Epiſcopi, poſtquam omnes querelas Regis adverſus Venilonem expoſuerunt, dicunt: *Rex Judices tibi dedit Remigium Lugdunenſem, Venilonem Rotomagenſem, Herardum Turonenſem, & Rudolfum Bituricenſem, in quorum conſpectum trigeſimo, poſtquam hanc Epiſtolam acceperis, die venies, & cauſam dices.* Poſt hanc Epiſtolam ponuntur Excerpta ex antiquis Conciliis ad præcipua accuſationis capita in libello contenta exaggeranda. Herardus Turonenſis a Concilio delectus, qui Epiſtolam ad Venilonem Senonenſem deferret, & mandatum veniendi inſinuaret; ſed ipſe morbo impeditus eam per Robertum Cenomanenſem Suffraganeum ſuum miſit, addita altera, qua Venilonem exhortatur, ut honori Sacerdotali conſuleret, facta dilueret, & Regi ſatisfaceret.

ret. Venilo huic consilio obsecutus, Regi reconciliatus est, & Judicium Episcoporum declinavit. Sæculum IX. A. C. 859.

§. XLVII.

Literæ ad Britones datæ.

Synodus Saponarienſis etiam ad Episcopos Britanniæ, in Schismate perseverantes, dedit Epistolam, quæ solum ad quatuor Episcopos antiquos dirigebatur; tres enim recentiores non recipiebantur. Hortatur Synodus, ut ad obedientiam Archiepiscopi Turonensis Metropolitani sui redeant, & cum illis, quos ipse ob crimina sua a Communione Ecclesiæ excluſisset, non amplius communicent. Sequuntur deinde monita ab iisdem Episcopis Salomoni, qui supremam in Britannia potestatem ambiebat, suggerenda, quibus ad præstandam Regi Carolo obedientiam permoveretur. Præterea ad novem Gentis Britonum Optimates, quorum maxima erat auctoritas, Epistola data, qua justitiæ memores esse, & saluti suæ timere monentur, addita comminatione, si obstinate in errore perseverarent, Sacro Ecclesiæ fulmine esse prosternendos. Ex illa Epistola dispicitur, Britanniam non minus quam Franciam latrociniis ceterisque calamitatibus fuisse vexatam. c. 8. *Sup. Lib. XLVIII.* §. 43. *p.* 695.

Sæculum IX. A. C. 859.

In hoc Concilio iterum lecti sunt Articuli de Doctrina Prædestinationis a Remigio Lugdunensi & Hincmaro Remensi compositi, videlicet, sex primi Articuli Concilii Valentini, & quatuor Concilii Carisiacensis. Cum Canones Valentini legerentur, Episcopi Hincmaro faventes quædam opponere parabant; sed Remigius eorum animos delinivit gravibus verbis edicens, si quibusdam Episcoporum hi Articuli non probarentur, utrinque Libros Patrum producendos esse in futuro Concilio, ubi communi consensu, quæ Traditioni Ecclesiæ magis consentanea visa fuissent, definirentur. Non nulli adversæ partis hæc explodere & dicere, non esse illos Articulorum, quos defenderent, Auctores. Hincmarus vero & plerique ipsi faventes non ignari, cum Adversariis doctissimis & eruditissimis sibi rem esse, ceteros edocuerunt, Articulorum Valentinorum Fautoribus potuisse argumenta gravia suppetere, cur paterentur, has quæstiones aliquanto tempore agitari, priusquam communi consensu resolverentur. Itaque cum Hincmarus Remigii sententiam amplecteretur, Synodus Saponarienſis decrevit, Articulos, de quibus dissentirent, in proximo Concilio post restitutum pacem celebrando esse examinandos.

c. 10. Sup. n. 22. Hincm. præf. de Præd. v. Maug. Diss. c. 40.

c. 10.

§. XLVIII.

Sæculum IX.
A. C. 859.

§. XLVIII.

Concilium Lingonense.

Articuli Synodi Valentinæ a quodam Concilio die decima nona Aprilis, eodem anno octingentesimo quinquagesimo nono, in Abbatia SS. Gemellorum prope Lingonas celebrato, præsidentibus Remigio Archiepiscopo Lugdunensi & Agilmaro Viennensi, assidentibus Ebbone Gratianopolitano pluribusque aliis Episcopis, Rege quoque ipsorum Carolo juniore Lotharii Imperatoris filio præsente confirmati fuerant. In hoc Concilio Lingonensi sexdecim Canones conditi, & urgente Remigio in Concilio Saponariensi, cui etiam tanquam pars illius fuere inserti, lecti sunt & approbati. Priores sex non sunt alii, quam sex Articuli Concilii Valentini de Prædestinatione, nisi quod in Canone quarto quatuor Articulorum Carisiacensium nulla fiat mentio; qui forsan, cum Saponariæ alia relegerentur, ideo omissi sunt, ne Hincmarus ejusque fautores offenderentur. Quomodocunque autem res contigerit, in Sæculo Nono non habemus aliam Definitionem Authenticam de Gratia & Prædestinatione, quam hos sex Canones in tribus Conciliis promulgatos. Non enim invenimus hanc materiam in aliquo Concilio posteriore, sicut Epis-

to. 8. *p.* 673.

p. 609.

Sæculum IX. A. C. 859.

Episcopi in Synodo Saponariensi convenerant, fuisse discussam; imo potius hi sex Canones Romæ confirmati videntur, cum quidam Annalista illius ævi ad hunc annum octingentesimum quinquagesimum nonum dicat: *Nicolaus Papa Doctrinam Catholicam de Gratia Dei & libero arbitrio, de veritate duplicis prædestinationis, & Sanguine JEsu Christi pro omnibus Fidelibus effuso* (*) *confirmavit.*

Ann. Bert.

Decem alii Canones Concilii Lingonensis ad Disciplinam pertinent, & qui de Conciliis Scholisque agunt, præ cæteris memorari merentur. Principes rogentur, ut Concilia Provincialia singulis annis, & intra biennium Conventum generalem in eorum Palatiis agi permittant. Item rogandi sunt Principes, & Episcopi instantissime commonendi, ut Scholæ publicæ ad discendas sacras Scripturas & humanas literas, ubicunque viri ad docendum idonei haberi possent, constituantur, quod annis præcedentibus Imperatores maximo Ecclesiæ emolumento fecissent. *Cum econtra hodie*, inquiunt

c. 7.

c. 10.

(*) Doctrina Catholica est, unam dari Prædestinationem ante prævisa merita ad vitam æternam, & JEsu Christi Sanguinem non pro Fidelibus tantum, sed pro omnibus fuisse effusum.

quiunt Patres, *videmus, quod maxime dolendum est, fidelem Divinæ Scripturæ intelligentiam ita dilabi, ut vix ejus extrema vestigia reperiantur.* Sæculum IX. A.C. 859.

§. XLIX.

Statuta Herardi & Isaaci.

Inter Episcopos, in Concilio Saponarensi præsentes, duo sunt, quorum Canones de Disciplina agentes ad nos pervenerunt, nempe, Herardus Archiepiscopus Turonensis & Isaac Episcopus Lingonensis. Canones Herardi sunt Statuta in ejus Synodo Diœcesana decima sexta Maji anno octingentesimo quinquagesimo octavo, Pontificatus sui tertio, Indictione sexta, edita, in centum quadraginta divisa Articulos, quos omnes hausit ex diversis locis Capitularium Regum, ut Baluzius adnotavit. Collectio Isaaci quoque originem suam debet Capitularibus, quod ipse Auctor fatetur in hunc modum: *cum illi, quos emendare cupimus, Regulas a nobis traditas spernant, & dicant, eas a nostro prorsus arbitrio proficisci, ejusmodi refractarios auctoritate Regum & Papæ in obedientia continendos esse credidimus.* Nempe horum Capitulorum aliqua ex Conciliis a S. Bonifacio Moguntino Auctoritate Zachariæ Papæ celebratis excerpta sunt. Isaacus suam Colle-

to. 8. Conc. p. 617. to. 1. Cap. p. 1283. to. 8. Conc. p. 589. to. 1. Cap. p. 1233. Chr. S. Benig. p. 416. to. 1. Spicil.

Sæculum IX. A. C. 859.

Collectionem, maximam partem, ex tribus postremis Libris Capitulorum a Benedicto Diacono compilatorum excerpsit; est autem amplissima, & divisa in undecim Titulos, quorum unusquisque complures articulos continet. In primo de Pœnitentibus & eorum pœnis, in decimo de Stabilitate Clericorum in Ecclesiis Tituli sui agitur.

§. L.

Tractatus Hincmari secundus de Prædestinatione.

Maugi diss. c. 45.

Hincmarus quatuor Articulos Carisiacenses, nempe opus suum, defensurus, haud diu post Concilium Saponariense alterum de Prædestinatione Tractatum edidit, quem sicut primum Regi Carolo Calvo, suo & ceterorum Episcoporum nomine, inscripsit. Dividitur in Capita triginta & octo, atque initium ab Historia Hæresis Prædestinatianorum ducitur. Nempe, putat Hincmarus, hanc Hæresim S. Augustini temporibus natam fuisse; cujus rei argumentum affert Disputationem Monachorum Adrumetinorum, & Objectiones Gallorum, in epistolis Prosperi & Hilarii relatas. Sed hæc Scripta omnia explicari facile possunt, etiamsi nulli alii Hæretici invehantur, quam illi, qui tunc existebant Pela-

Sup. lib. XXIV. §. 45. 58. 59. v. Sirm. hist Prædest. & Maug. confut.

Pelagiani & Semipelagiani, Doctrina S. Augustini, quam non capiebant, offensi. Hinc complures doctissimi Theologi affirmant, Hæreticos Prædestinatianos nunquam extitisse; & aliunde satis exploratum est, Hincmarum in pluribus circa hanc materiam fuisse allucinatum. Quippe erraſſe deprehenditur, cum de Concilio Arelatensi, in quo Lucidus Presbyter suam Doctrinam retractavit, scripsit, celebratum fuisse jubente S. Cœlestino Papa, an. 432. & proinde plus quam annis quadraginta, priusquam Concilium illud Arelatense celebraretur, mortuo. Item cum Hilarium Laicum, qui ad S. Augustinum scripsit, a S. Hilario Archiepiscopo Arelatensi non discernit. Præterea fallebatur Hincmarus affirmans, Hypognosticon esse Opus S. Augustini, & Tractatum de induratione Pharaonis ex calamo S. Hieronymi fluxisse, quibus tamen libris ipsius argumenta sæpe nituntur.

Sæculum IX. A. C. 859.

Hincm. c. 1. p. 15. Sup. l. XXVI. §. 15. XXIX. §. 40.

Hincmarus deinde ad refutandum Gottescalcum progreditur, quem Hæresim Prædestinatianorum renovasse sibi fingit, & ad Auctoritatem S. Fulgentii de duabus Prædestinationibus respondere conatur. (*) In corpore autem totius Operis

c. 2. c. 3. c. 6. 11.

(*) Fleurio opinio de duplici Prædestinatione

Sæculum IX. A C. 859. Operis ſex Articuli Concilii Valentini ad examen vocantur. Hincmarus primum ſilentio præterit, ſed ſecundum & tertium oppugnat; tum vero occaſione ex quarto Articulo arrepta quatuor ſuos Articulos Cariſiacenſes ab errore immunes probare nititur. (*) Profitetur, ſe
c. 16. novendecim Articulos Joannis Scoti nolle

---

ne multum placere videtur. Quamvis vero S. Auguſtinus Tract. 48. in Joan. vocem *Prædeſtinatio* etiam ad reprobationem ſignificandam extendat, cum dicit: *Quomodo ergo iſtis dixit: non eſtis ex ovibus meis? quia videbat eos ad ſempiternum interitum prædeſtinatos, non ad vitam æternam ſui Sanguinis pretio comparatos.* Et 15. de Civit. Dei c. 1. ponit duas Civitates, *quarum una,* inquit, *prædeſtinata eſt in æternum regnum cum Chriſto; altera æternum ſupplicium ſubire cum Diabolo.* Nihilo minus in ſenſu proprio & ſtricto Theologi unicam aſſerunt Prædeſtinationem, videlicet illam, qua creatura rationalis ad vitam æternam infallibiliter conſequendum prædeſtinatur, & cui comparata Prædeſtinatione ad ſupplicium æternum proprie & ſtricte talis dici non poteſt. Mezger. in Tract. de Deo uno.

(*) Illud in Articulo ſecundo Hincmari reprehendi poteſt, quod ſimpliciter affirmet; nos in pri-
* *Sup. §. 12.* mo homine libertatem amiſiſſe. * Quamvis enim per peccatum Adami debilitatum fuerit liberum hominis arbitrium, non tamen fuit amiſſ-

le defendere, & quintum Valentinum ve- Sæculum IX.
rum esse concedit, simulque dicit, illum A. C. 859.
suæ doctrinæ non adversari. De sexto c. 31.
Articulo silet.

At fusissime differit de Canone septi- c. 36.
mo, ad Disciplinam spectante, & illegi-
timam Ordinationem Episcoporum pro-
hibente. Suspicabatur enim, illum Ca-
nonem maligne contra se fuisse fabrica- *Sup.* §. 8.
tum, quasivero ipsum non Electio Cano-
nica, sed Principis favor ad Episcopatus
apicem evexisset. Hinc multum mora- c. 37.
tur narrans totam historiam suæ Electio-
nis, & repetens Acta Concilii Suessionen-
sis, in quo Electio ipsius confirmata. De-
inde præsumens, satis a se demonstratum,
quod sui Adversarii veterem Prædestina-
tianorum (*) Hæresim voluerint reduce-
re, duodecim Articulos seu Statuta Con- c. 38.
ciliorum & Pontificum de iis, qui reno-
vant Hæreses pridem damnatas, refert.
Tandem prolixe ea omnia repetit, quæ
aliquando de Doctrina Prædestinationis
scripserat. In his omnibus Hincmarus
vastam quidem eruditionem, sed valde
mediocre ingenium & judicii vim exi-
guam prodit.

Ubi

(*) Istorum Hæreticorum Nomen nunquam antea occurrit.

Sæculum IX. A. C. 859.

Ubi Hincmaro de Joanne Scoto sermo fuit, adjicit: *Dantur & alii contra fidem errores, quo illi procudunt, qui novas voces excogitando apud vulgus famam aucupantur; videlicet, Divinitatem esse trinam, Sacramentum Altaris non esse verum* (*) *Corpus & verum Sanguinem Domi-*

c. 31. p. 232.

(*) Ecce! hic dicit Hincmarus; docere, quod Sacramentum Evchariſtiæ non ſit verum corpus & verus ſanguis Domini, ſed ejusdem memoria (quod nempe Proteſtantes docent) non eſſe antiquam Eccleſiæ Doctrinam, ſed novum quorumdam popelli laudes captantium errorem. Quo Hincmari teſtimonio jugulatur calumnia Cavei aliorumque Proteſtantium dicentium Ratbertum Paſchaſium primum fuiſſe auſum, carnalem præſentiam Chriſti in Euchariſtia affirmare.

Portentoſum vero illud eſt, quod ſomniat Thomaſius in ſuo libro: Verhältniß der Religion oder der Kirche gegen den Staat, verba Chriſti Domini: *Hoc eſt Corpus meum*, Matth. 26. in eo ſenſu eſſe accipienda, quo accipiuntur verba Exodi Cap. 12. *& comedetis feſtinanter, eſt enim Phaſe (id eſt tranſitus) Domini.* Nam obſervandum, verba quidem S. Scripturæ ſenſu literali & proprio eſſe accipienda, quando nullum ſequitur inconveniens, abſurdum, vel impoſſibile. At vero, abſurdum eſt & impoſſibile, ut Agnus, qui comeditur, in ſenſu litterali

&

Domini, ſed tantum veri Corporis & ve- Sæculum IX.
ri Sanguinis memoriam, Angelos eſſe cor- A.C. 859.
poreos, Animam Hominis non eſſe in cor- *Anal. Bert.*
pore, pœnam inferni ſolum in memoria 855.
peccatorum & propriæ conſcientiæ cru-
ciatu conſtitui. In his cum Hincmaro
conſentit quidam illius ævi Annalium *c.* 16. 19.

& proprio fiat Tranſitus Domini. Econtra, cum in pronunciatione verborum: *Hoc eſt Corpus meum*, vera caro & ſanguis ſub ſpeciebus panis & vini ponuntur, nihil fit, quod inconveniens, quod abſurdum, quod impoſſibile ſit. Si enim ſpectamus Dei Omnipotentiam, non eſt impoſſibile, quod Filius Dei, qui potuit modo nobis incomprehenſibili Deus permanere & homo fieri, idem Deus & Homo itidem ſupernaturali in Euchariſtia exiſtat; quippe Tranſubſtantiationem Sacramentalem eſſe ſingulare Divinæ Omnipotentiæ Opus, a SS. Patribus paſſim docemur.

Si autem attendamus ad JEſu Chriſti Charitatem, qua in genus humanum flagrabat, dum in ultima Cœna dixit: *Hoc eſt Corpus meum*, nihil nimium, nihil abſurdum videri poterat infinite nos amanti. Si denique tanti Sacramenti Dignitatem & Majeſtatem conſideremus, ex modo, quo Doctores Catholici JEſu Chriſti in Euchariſtia exiſtentiam, ejusdemque exiſtentiæ mutatis ſpeciebus ceſſationem, explicant, nihil ſequitur,

Sæculum IX. A. C. 859. Scriptor, qui dicit, complures quæstiones Fidei contrarias in Regno Caroli Calvi, ipso non ignorante, agitatas fuisse. Posteriores errores, quos hic notat Hincmarus, in Libro Joannis Scoti de Prædestinatione legere est; sed primus non existit, nisi in opinione solius Hincmari, qui scandalum accipiens, quod in quodam Hymno Martyrum cantaretur: *Te Trina Deitas* & reliqua, asserit, his vocibus Essentiam Divinam dividi. Gotteschalcus libellum edidit, quo probabat, hunc modum loquendi esse Catholicum, & Hincmarus composuit amplum Tractatum ad Gotteschalcum refutandum, quo non obstante Ecclesia has voces usque in hanc diem cantat. (*)

to. I. p. 413.

§. LI.

---

quitur, quod sit inconveniens, nisi cum paganis sentire velimus, ipsum Incarnationis Mysterium rem esse Divina Majestate indignam.

Itaque secundum Doctrinam S. Ecclesiæ Catholicæ dicamus. *Christus potuit, decuit, dixit: Hoc est Corpus meum; ergo fecit.*

(*) Nempe sicut Deus potest dici unus & trinus, ita etiam Deitas dicitur trina cum relatione ad Personas, quamvis in recto Divinitas trina non sit. Sed Ecclesia de vocibus non tricatur, ubi de sensu Catholico constat.

§. LI.

Sæculum IX. A. C. 859.

Paschasii Ratberti Scripta.

Quantum spectat ad errorem de Evcharistia, de quo Hincmarus loquitur, eum Joannes Scotus docuisse creditur. Liquido enim constat, ipsum de hoc argumento contra Paschasium Ratbertum librum scripsisse, post annos deinde circiter ducentos in Concilio Vercellensi anno 1050. damnatum. Hic liber Joannis Scoti non amplius supereſt; aliud vero habemus Opus celebratissimum Ratrami Monachi Corbejensis, & duo alia Scripta illius ævi, non appositio Auctoris nomine. Non nesciebat Paschasius Doctrinam suam a quibusdam oppugnari; hinc in Libro suo duodecimo in S. Matthæum, annis plus quam viginti post Tractatum suum de Evchariſtia edito, occasione illorum verborum: *Hoc est Corpus meum*, dicit: *fusius de hoc argumento disserui, quia ad me perlatum est, quod a non nullis arguar, me in libro meo plus his verbis tribuere voluisse, quam ipsa Veritas promittat, timentibus forsan, quod illi timuerunt, quibus JEsus Christus loquebatur, ne ejus Corpus frustatim concidere intenderem.*(*)

Mabil. præf. to. 6. Act. n. 131. 132. Lanfr. contr. Bereng. c. 4.

Mabill. ibid. n. 19. 44. 45. p. 1094.

(*) Ex his videmus, Adversarios Paschasii de modo,

Sæculum IX. A. C. 859.

Paſchaſius, poſtquam ſeceſſiſſet, ſcripſit librum de vita Walæ, libros quatuor ultimos in S. Matthæum, tres alios in Pſalmum 44. & quinque in Lamentationes Jeremiæ, nempe dimidiam prope Operum ſuorum partem.

Elog. to. 6. Act. Ben. n. 2. &c. p. 121. Sup. §. 8.

Mabil. præf. n. 18. Paſch. p. 1619.

Sub ea quoque tempora ſcripſit epiſtolam ad Frudegardum, quem Corbejæ novæ Monachum fuiſſe credunt. Is data ad Paſchaſium epiſtola, quæ ſibi & quibusdam aliis in Libro de Evchariſtia diffici-

---

modo, quo Chriſtus in Evchariſtia exiſtit, non autem de reali præſentia controverſiam moviſſe, ut ſup. Lib. XLVII. §. 35. notavi. Ceterum de Libro ipſo Paſchaſii, quem de Corpore & Sanguine Domini ſcripſit, * Mabillonius in cap. I. Præf. ad Sæc. IV. part. II. hæc habet: *Quippe Hiobus Gaſtus Hagenoenſis Paſchaſii librum, de quo hic agimus, vulgavit anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo octavo, eumque penitus pervertere demum auſus eſt pudendo plane ac deteſtando facinore. Cum enim Paſchaſium non minus Tranſubſtantiationis & Sacrificii, quam realis Præſentiæ patronum ubique animadverteret, eo proceſſit hominis impudentiſſimi temeritas, ut non ſolum integra hujuscе libri Capita expunxerit, verum etiam alia ſubinde verba aliasque ſententias ſubornarit intruſeritque, quo Paſchaſium errori ſuo patrocinari perſuaderet.* &c.

* *Sup. lib. XLVII. §. 35.*

difficilia intellectu videbantur, exposuit, responditque Paschasius suam sententiam defendens; nimirum, idem esse JEsu Christi Corpus in Evchariſtia quod de Virgine natum est, illudque simul Rem ipsam esse & Figuram. *Relege*, inquit in fine, *librum, quem de hoc argumento edidi; licet enim pueris scripserim, audio tamen, hoc Scripto me complures viros ad comprehendendum hoc Mysterium, atque cogitationes JEsu Christo dignas concipiendas excitasse.* Huic epistolæ illum locum Commentarii sui in Matthæum, quem superius retuli, & quædam alia loca ex Patribus junxit. Sæculum IX. A.C. 859.

§. LII.

Tractatus Ratrami de Eucharistia.

Ergo Odomi Abbatis ætate Ratramus Presbyter & Monachus Corbejensis, hanc provinciam sibi demandante Carolo Calvo, Tractatum de Corpore & Sanguine Domini scripsit, quem ad præfatum Principem direxit. Hujus Libri argumentum ipse Ratramus exponit in hunc modum: *Quærit tua Majestas, an quod in Ecclesia ore Fidelium sumitur, Corpus & Sanguis Christi in Mysterio fiat, an in veritate; id est utrum aliquid secreti contineat, quod oculis Fidei solummodo pateat, an sine cujusque Mysterii velamine* *Mabil. præf. to. 6. n. 81. 83. Ratram. edit. Paris. 1686. n. 5.*

Sæculum IX. A. C. 859.

lamine hoc oculi corporis intueantur exterius, quod mentis visus inspicit interius, ita ut totum, quod agitur, in manifesta luce clarescat. Secundo quæris, Rex, utrum ipsum Corpus sit, quod de Maria Virgine natum, passum, mortuum, sepultum, post resurrectionem in Cœlum ascendens, & ad dexteram Patris sedens. (*) Ex his duabus quæstionibus duæ Partes libri ipsius constant. Posterior quæstio contra Paschasium pugnat, affirmantem, Corpus JEsu Christi in Eucharistia idem esse, quod natum de Virgine. Sed prior quæstio Paschasio non adversatur, qui in suo Tractatu de Eucharistia diserte asserit, eam simul esse Veritatem & Figuram. In epistola vero sua ad Frudegardum dicit: *Si quis affirmat hanc carnem & hanc sanguinem carere Mysterio & figura, totum Sacramentum dissipat.*

Tunc autem ex Catholicis viris non nulli omnino negabant, panem & vinum figuram esse Corporis & Sanguinis JEsu Christi, nixi hoc fundamento, quod cum signum non sit res ipsa, cujus signum est, tunc non amplius Corpus & Sanguis JEsu Christi adesset. Hæc opinio sub idem tem-

(*) Est idem omnino corpus; sed modo Sacramentali, supernaturali & nobis non perceptibili existens.

tempus ab Haimone Episcopo Halberstadiensi post S. Joannem Damascenum defendebatur, quam Ratramus oppugnat, dicens, ex illa sequi, nullum Evchariſtiæ ineſſe Mysterium, & inde rursus nullam Fidei materiam. At illi, contra quos Ratramus disputat, non admittebant istud sequi; imo Haimo diserte contrarium affirmat, gustum & figuram panis & vini permanere, ut sine horrore sumantur, quamvis utriusque Substantiæ natura in Corpus & Sanguinem JEsu Christi omnino fuerit mutata; sed aliud esse, quod sensibus objicitur, & aliud quod Fides nos docet. Sæculum IX. A. C. 859. *Haim. de Corpor. & Sang. Damasc. IV. de fid. c. 14.*

Hinc Ratramus Adversarios suos non arguit, ipsos negare, quod de fide credendum est, sed solum sibi ipsis contradicere. *Quippe, confitentur*, inquit, *secundum Fidem, Evchariſtiam esse Corpus & Sanguinem JEsu Christi, & ex consequenti non esse id, quod prius fuit.* (*) Superius autem Fidem suam de hoc Mysterio explicaverat in hunc modum: *Exterius quidem panis, quod ante fuerat, forma prætenditur, color ostenditur, sapor percipitur. Ast interiis longe aliud multoque* n. 15. n. 9.

(*) Hic ex Ratramo, quem Cave pro sua Hæresi subdole adducit, probatur Transubstantiatio Catholica.

Sæculum IX. A. C. 859.

S. Eucharistiæ Sacramentum. n. 10.

pretiosius, multo excellentius intimatur, quia cæleste, quia Divinum, id est Christi Corpus, quod non sensibus carnis, sed animi fidelis contuitu aspicitur, accipitur, & comeditur. Vinum quoque, quod Sacerdotali consecratione Christi Sanguinis efficitur Sacramentum, aliud superficie tenus ostendit, aliud interius continet. Quid enim aliud in superficie quam substantia vini conspicitur? (*) *At interius si consideres, jam non liquor vini, sed liquor Sanguinis Christi credentium mentibus & sapit dum gustatur, & agnoscitur dum conspicitur, & probatur dum odoratur.* Item, *Panis qui offertur, ex frugibus terræ cum sit assumptus, in Christi Corpus, dum sanctificatur, transponitur, sicut & vinum cum ex vite defluxerit, Divini tamen Sanctificatione Mysterii efficitur Sanguis, non quidem visibiliter, sed operante* (**) *invisibiliter Spiritu Sancto. Unde*

(*) Quot verba tot tela, quibus Novatorum doctrina confoditur!

(**) S. Spiritum per Divinam suam Omnipotentiam in Evchariſtia aliquid operari, ex Testimonio SS. Patrum, aliorumque Ecclesiæ Catholicæ Doctorum centies probatur. Edicant vero Protestantes! quid demum Dei Omnipotentia dignum in Evchariſtia fiat, si vera Christi caro non ponatur? Nec eos juvat dicere: etiam in Baptismo

de & Sanguis & Corpus Christi dicuntur, quia non quod exterius videntur, sed quod interius Divino Spiritu operante facta sunt, accipiuntur, & quod longe aliud per potentiam invisibilem existant, quam visibiliter appareant. (*) Et rursus: *Ex his omnibus, quæ sunt hactenus dicta, monstratum est, quod Corpus & Sanguis Christi, quæ Fidelium ore in Ecclesia percipiuntur, figura sunt secundum speciem visibilem; at vero secundum Substantiam invisibilem vere Corpus & Sanguis Christi extant.* Itaque prima quæstio, quam pertractat Ratramus, non in eo sita est, an Evchariſtia sit vel figura, vel Res ipsa, sed an præter Rem ipsam etiam figuram contineat. (**)

Sæculum IX. A. C. 859.

Quæ-

Baptismo Dei omnipotentis Gratia operatur. Nam in Baptismo quidem Deus omnipotens Sanctificationem in homine Baptismum recipiente operatur; at si totius Sacræ Antiquitatis testimonia pensentur, in Evchariſtia, priusquam a Christiano recipiatur, aliquid ab omnipotentia Dei efficitur, quod nihil aliud quam vera & realis JEsu Christi præsentia esse potest.

(*) Hic iterum confutatur Cave, Transubstantiationem a solo Paschasio primum vulgatam dicens.

(**) Nempe res ipsa Corpus & Sanguis JEsu Christi sunt, Figura autem species panis & vini.

Sæculum IX. A. C. 859.

Quæstio secunda in hoc vertitur; an Corpus JEsu Christi in Eucharistia simpliciter idem sit, quod natum ex Virgine est. Id affirmaverat Paschasius, nixus testimonio S. Ambrosii. Sed hæc clarissima assertio nova visa est Rabano & compluribus aliis viris doctis, qui explicantes alia Patrum loca dicebant, duo JEsu Christi Corpora esse distinguenda, Naturale, & Evcharisticum, id est, ut hodie loqui solemus, duos dari modos, quibus idem Corpus existit, unum Naturalem & sensibilem, alterum supernaturalem & Mysticum; nam Scriptores omnes de reali Præsentia consentiebant. In isto igitur sensu Ratramus dicit: *Corpus, quod sumpsit de Maria Virgine, quod passum fuit, quod sepultum, quod resuscitatum, erat verum Corpus, id est, visibile & palpabile; econtra Corpus, quod appellatur Mysterium Dei, non est corporale sed spirituale, unde etiam nec visibile nec palpabile.* Jam liquet, has duas Quæstiones circa modum explicandi existentiam Christi, non vero circa Mysterii Substantiam fuisse versatas. Ceterum fatendum in

Mabil. præf. n. 51. n. 119.

Pasch. de Corp. c. 1.

p. 61.

ni. Imo etiam modus, quo Agnus Dei in Sacrificio Missæ sine sanguinis effusione immolatur, si cum morte cruenta in Cruce tolerata comparatur, figura est.

in Tractatu Ratrami occurrere formulas loquendi duras & obscuras, quæ per loca clariora explicandæ sunt, quia Auctor in Communione Ecclesiæ nunquam non extitit. Sæculum IX. A.C. 859.

§. LIII.

Scriptum Anonymi contra Paschasium.

Scriptum Anonymi contra Paschasium, quod habemus, duas Propositiones in ipsius Opere contentas impugnat; primam, quod Corpus JEsu Christi in Evchariſtia sit idem, quod natum est e Virgine; alteram, quod JEsus Christus toties patiatur, quoties Missa celebratur. Nullibi apparet, Paschasium hanc posteriorem propositionem in medium attulisse; unde patet, istud solummodo ab Adversario ex doctrina Paschasii fuisse deductum. Anonymus vero ille Scriptum suum ita exorditur: *Cuncti Fideles credere debent, & confiteri, Corpus & Sanguinem Domini esse verum Corpus & verum Sanguinem. Quicunque hoc negat, infidelem se manifestat.* Tum post pauca interjecta; *his adjicio; cum JEsus Christus sit Veritas, & verus Agnus Dei, qui singulis diebus pro vita mundi Mystice immolatur, ita per consecrationem & omnipotentiam Spiritus Sancti panis in veram* *to. 6. Act. Ben. p. 591.*

Sæculum IX. A. C. 859.

veram ipsius carnem & vinum in verum ipsius Sanguinem convertitur. (*) *Quod usque adeo certum est, ut nulli Christianorum de hac re dubitare liceat, & etiam aliqui saniores Gentiles id sciant. Quippe me olim in Regione Bulgarorum versantem quidam ex primoribus paganorum rogavit per amorem illius Dei, qui ex vino Sanguinem suum fecisset, ne oblatum mihi a se potum respuerem.* Hinc conjicitur hunc Auctorem scripsisse ante Bulgarorum conversionem, quæ, ut videbimus, sub Nicolao I. Papa secuta est. Ergo Anonymus in suo Scripto asserit, Corpus JEsu Christi in Evchariſtia esse quidem idem, quod natum ex Virgine, natura, sed non quoad speciem, id est, secundum nostrum loquendi modum, esse re ipsa idem, sed non quoad formam externam seu species sensibiles. A vero abludere non videtur, hoc Anonymi Scriptum esse epistolam Rabani ad *Egil* Abbatem Prumiensem datam; quippe aliunde exploratum

Mabill. in præf. n. 59.

(*) Quid ad hæc Protestans noster Fleurii Interpres? hinc forsan tamdiu tergiversatur novam laboris sui partem edere. Nam hac Fleurii versione (etsi textum hinc & inde depravet) Protestantium Doctrinam egregie confutat, & veram Catholicam Fidem nolens volens insigniter confirmat.

ratum est, Rabanum de hoc argumento ad eum scripsisse. Sæculum IX. A. C. 859.

§. LIV.

Rapinæ Normannorum.

Interea Normanni egregie latrocinabantur. Anno octingentesimo quinquagesimo nono loca ultra Scaldim populantur. Eodem anno Bataviam per Rheni ostia intrant. Alii per Samarum ingressi Monasterium S. Walarici, Ambianensem civitatem aliaque circumquaque loca rapinis & incendiis vastant. Hi vero, qui ad Sequanam morabantur, Noviodunum civitatem noctu aggressi Immonem Episcopum cum aliis Nobilibus tam Clericis quam Laicis capiunt, vastata civitate secum abducunt, & in itinere interficiunt. Qui etiam ante duos menses Ermenfridum Episcopum Bellovacensem, & anno præterito Blatfridum Episcopum Bajocensem necaverant. Monachi S. Dionysii in Francia metu eorumdem Danorum Reliquias SS. Martyrum in Villam sui juris Novientum in agro Mauripensi positam devexerunt. Alii Danorum piratæ longo maris circuitu, inter Hispanias videlicet & Africam navigantes, Rhodanum ingrediuntur, depopulatisque quibusdam civitatibus & Monasteriis, in Insulâ, quæ *Camarias* dicitur, sedes ponunt.

Ann. Bert. 859.

Ann. Bert. 850.

Sæculum IX. A. C. 859.

ponunt. Inde adverso Rhodano usque Valentiam invecti vastata tota circumjacente regione in sua tabernacula revertuntur. Ex Provincia in Italiam usque in Hetruriam progressi Pisas, aliasque urbes capiunt, diripiunt, evertunt.

Id. 851. *Aimon. Paris. l.* 5. 6.

Mense Januario anno octingentesimo sexagesimo primo Normanni, qui Sequanam tenebant, Parisios usque penetrant & quædam prœdia ad Monasterium S. Germani de pratis pertinentia incendunt. Monachi assumpto corpore S. sui Patroni in suas ditiones, quas in terra Briensi possidebant, fugerant, viginti tamen ad celebrandum in die Paschatis Officium remanentibus, quos in Ecclesia Matutinos cantantes invadunt Barbari. Sed fuga hostium manibus præter spem erepti sunt, quod prodigio factum crediderunt.

FINIS TOMI XI.

INDEX

INDEX
RERUM ET NOMINUM
TOMI XI.

A.

Abbates. Presbyteri sint. p. 208.
Abyssini. Religione Jacobitæ. p. 369.
Adalhardus. Ejus & Walæ fatum. p. 35.
Agobardus Lugdunensis. Ejus Tractatus de Imaginibus. p. 191. epistolæ adversus Judæos. p. 253. Tractatus contra duellum & alias superstitiones. p. 265. epistolæ ad Ludovicum Imp. p. 293. & seqq. Apologia Lotharii. p. 301. ejus obitus & Libri. p. 359.
Alcoranus. An creatus in subjecto. p. 311.
S. *Aldricus* Cenomanensis. p. 342. pulsus & restitutus. p. 383. obit. p. 569.
Alexandria. Christophorus Melchita. p. 105. ei succedit Sophronius. p. 312. Marco

Patriarchæ Jacobitæ ſuccedit Jacobus. p. 313. Jacobo Simeon. p. 368. Simeoni Joſeph. ibid.

Amalarius. Auctor Regulæ Canonicorum. p. 72. ejus Tractatus de Officiis Eccleſiaſticis. p. 288.

Amolo. Ejus reſponſum de miraculis. pag. 409. epiſtola ad Gotteſchalcum. pag. 532.

Amorienſes Martyres. p. 421.

Anaſtaſius Bibliothecarius. p. 218.

Anaſtaſius Cardinalis. Deponitur. p. 586. Antipapa. p. 625.

Anglia. Quenulfus Rex Merciorum. p. 80. obit. p. 172. Quenulfo ſuccedunt Celulfus, Bernulfus. p. 173. Rex Eccleſiaſticæ. ibid. Concilia. ib. & ſeq. Ethelulfus Rex Saxoniæ Occidentalis. p. 633. Borredus Rex Merciorum. ibid. Edmundus Rex Angliæ Orientalis. p. 634.

S. *Anſcharius*. p. 195. in Dania. p. 196. in Suecia. p. 265. conſecratur Archiepiſcopus Hamburgenſis. p. 269. ejus prædicatio. p. 324. Hamburgo diſcedit. p. 440. Epiſcopus Bremenſis. p. 591. in Dania. p. 598.

S. *Anſegiſus*. p. 213. Collectio Capitularium. p. 216.

Antiochia. Patriarcha Melchita Job. p. 105. Jacobita Dionyſius. p. 369.

Antonius Metropolita Silæus. p. 40. Patriarcha Constantinopolitanus. p. 133.
Apollinaris Abbas Cassinensis. p. 88.
Athingani hæretici. p. 137.
Augiense Monasterium. Hetto Abbas & Episcopus Basileensis. p. 168.
Aurelius & *Felix* Martyres Cordubenses. p. 537. & seqq.

B.

Bardas Michaelis Imper. Avunculus. pag. 588.
Bavaria. Ludovicus Rex. p. 86. Monasteria. p. 94. Geroldus Comes sub Carolo M. p. 166.
Benedictoburanum Monasterium. p. 95.
S. *Benedictus.* Ejus Regula in Conciliis lecta. p. 462.
S. *Benedictus Anianensis.* Reformationis Auctor. p. 86. obit. p. 129. Codex Regularum. p. 130.
Benedictus Diaconus. Ejus Capitulare. pag. 442.
Benedictus Papa III. Schisma. p. 624. obit. p. 650.
Bernardus Pipini Italiæ Regis Filius ex Concubina. p. 24. Rex Italiæ. p. 65. occiditur. p. 108.
Bernardus Præfectus Cubiculariorum. pag. 278.

Britania. Nomenoyus Rex. p. 482. Episcopatus novi. p. 483. Salomon Dux. p. 681.

Bulgari. Bogoris Rex. p. 417. Religionis Christianæ semina. p. 418.

C.

S. *Cæcilia.* Ejus Reliquiarum inventio. p. 128.

Canonici. Monasteria eorum qualia. p. 6. eorum Regula Aquisgranensis. p. 71. Canonici & Monachi mixti. p. 430.

Canonissæ. Reformantur. p. 19. earum Regula. p. 78.

Capellani. A Cappa S. Martini sic dicti. p. 476.

Capitula Aquisgranensia pro Monachis. p. 88. & seqq.

Capitulare. Caroli M. p. 23. Aquisgranense anni 819. p. 111. Lotharii in Italia anni 824. p. 161. Hettonis Basileensis. p. 168. Aquisgranense Ludovici. Imper. p. 183. Tolosanum. p. 402. Capitularia Carisiacensia. p. 635.

Cardinalis. Quanta dignitas. p. 586.

Carolus Calvus. Rex. p. 277. Tolosam obsidet. p. 400. ejus nulla pæne authoritas. p. 635. Libellus contra Venilonem. p. 677.

Carolus Magnus. Ejus pietas. p. 26. obitus. p. 29. an Sanctus. p. 32. & seqq.
Carolus Rex Provinciæ. p. 630.
Cassinense Monasterium. Apollinaris Abbas. p. 88. Bassatius Abbas. p. 391. diripitur thesaurus a Siconulfo. ibid. Bassatius Ludovicum Imper. implorat. pag. 512.
Christiani. Eorum persecutio in Hispania. p. 489.
Claudius Taurinensis. Ipsius Opera. p. 225. epistola ad Theodemirum contra imagines. p. 226.
Clerici. In criminalibus per se respondeant. p. 208.
Colonia. Guntherius Archiepiscopus. pag. 652.
Comitia. Aquisgranensia. p. 232. epistolæ Imperatoris. p. 234. Theodonis villæ. p. 326.
S. *Communio.* Fideles per annum ter communicent. p. 21. a quibusdam sæpius in die accipitur. p. 474.
Concilia. In iis pœna corporalis infligitur. p. 465. Provincialium quanta auctoritas. p. 587.
Concilium Aquisgranense secundum. pag. 344.
Concilium Arelatense. p. 4.
Concilium Bellovacense. p. 432.

Concilium Cabilonenſe. p. 13.
Concilium Celichytenſe. p. 80.
Concilium Conſtantinopolitanum. p. 373. reſtituuntur Imagines. ibid.
Concilium Cordubenſe. p. 547.
Concilium Iconoclaſtarum ſub Leone Armeno. p. 55.
Concilium Lingonenſe. p. 683.
Concilium Meldenſe. p. 433.
Concilium Metenſe. p. 672.
Concilium Moguntinum. p. 9. Aliud ſub Rabano Mauro. p. 461. Aliud, in quo damnatur Gotteſchalcus. p. 466.
Concilium Pariſienſe. Sextum. p. 236. Canones. p. 238. & ſeqq. Septimum. p. 501. epiſtola ad Nomenoyum. p. 502.
Concilium Rhemenſe. p. 7.
Concilium Romanum. Sub Eugenio II. p. 206. Aliud ſub Leone IV. p. 584.
Concilium Saponarienſe. p. 676.
Concilium Sueſſionenſe. p. 557. cauſa Ebbonis & Hincmari. ibid. & ſeqq.
Concilium Theodonis villæ. p. 148. Aliud. p. 403.
Concilium Ticinenſe. p. 616.
Concilium Turonenſe. p. 20.
Concilium Valentinum III. p. 610. Canones de Prædeſtinatione. p. 611. & ſeq.

Concilium Wintonienſe. p. 633.
Concilium Wormatienſe. pag. 262. ritus probationis per aquam frigidam. p. 265.
Confeſſio. Peccatorum internorum. p. 15. facienda non ſoli Deo, ſed Sacerdoti. ibid. an liceat revelare furem. p. 23. auricularis confeſſio. p. 79. pœnitentiæ quales injungendæ. p. 240. Monachi non excipiant confeſſiones Sæcularium. p. 241. Confeſſio Sacramentalis gravium peccatorum. p. 248. ſecreta ſuadetur. p. 383.
Conſtantinopolis. Theodotus pulſo S. Nicephoro Epiſcopus. p. 54. Theodoto ſuccedit Antonius Silæus. p. 133. & huic Joannes Leconomanta. p. 319. S. Methodius. p. 373. Methodio ſuccedit S. Ignatius. p. 455.
Conventus Attiniacenſis. p. 142.
Conventus Cariſiacenſis. p. 655. ejus epiſtola ad Ludovicum Regem. ibid. & ſeqq.
Conventus Compendienſis. p. 302.
Conventus Pariſienſis. Contra Imagines. p. 186. epiſtolæ memorabiles. p. 187.
S. *Convoyo.* p. 477.
Corbeja Nova. Fundator. p. 152.
Cordubenſes Martyres. p. 537. & ſeqq. 642. 648. & 661.

D.

Dæmones. Sunt Dei cogitationes. pag. 261.

Dæmoniaci. Fustibus curati. p. 412.

Dania. Ibidem multi ad fidem convertuntur. p. 156. Herioldus Rex convertitur. p. 193. fundos a Lothario Imp. obtinet. p. 385. Godefridus Rex. p. 607. Ericus ejus Filius. ibid. initia Ecclesiæ. ib. Status Ecclesiæ. ibid. Ericus II. ibid.

Defuncti. Pro ipsis jejunatur, eleemosyna datur &c. p. 81. adjuvantur a vivis. p. 374.

Deitas. An bene dicatur trina. p. 692.

S. *Dionysius Areopagita.* Ejus Libri in Occidentem afferuntur. p. 182. ipsius acta. p. 333.

Drogo Metensis Lotharii Imp. Patruus. Vicarius Apostolicus in omnibus provinciis trans Alpes. p. 399.

Dungalus Monachus. Ejus Liber contra Claudium Taurinensem. p. 228.

E.

Ebbo Rhemensis. p. 70. Danos convertit. pag. 156. adversatur Imperatori. p. 302. comprehenditur. p. 325. dedonitur. p. 328. restituitur. pag. 379.

a Papa tantum Communionem inter Laicos impetrat. pag. 399. a Concilio Parisiensi citatus non comparet. pag. 444.

Ecclesia. Concordia Ecclesiarum Orientalium cum Romana. p.44. Bona Ecclesiæ non licet in alios usus expendere. p. 347. ejus potestas clavium non extenditur ad mortuos. p. 374. mortuus absolvitur, & quomodo. p. 375.

Eginhardus. Reliquias transfert. p.209.

Episcopus. Lex Constantini a Carolo M. renovata. p. 28. Lapsus in Hæresin non ab uno Episcopo, sed in Concilio absolvatur. p.118. Episcoporum electio sit liberrima. p. 144. noctu continentiæ suæ testem habeat. p.242. deponitur in Concilio, & petitur consensus Papæ. p. 328. & seqq. non implicetur negotiis Reipublicæ, nec Principes se ingerant in Ecclesiastica. p.345. habet officium a JEsu Christo sibi commissum. p. 346. Episcopi & Abbates in bello. p. 400.

Evcharistia. Asservatur, quia est Corpus Christi. p.80. Paschasii Tractatus. p.283. non remanent substantia panis & vini. p. 284. Viaticum sub specie vini. p. 597. non memoria, sed verum corpus. p. 690. res ipsa & figura. p. 695. idem corpus, quod natum ex Virgine. ibid.

Eugenius II. Papa. p. 159. Concilium Romæ celebrat. p. 206. obit. p. 209.

S. Eulogius. Auctor Historiæ persecutionis in Hispania. p. 513. ejus Martyrium. p. 664.

Euphemius Imp. in Sicilia. p. 221.

Excommunicatio. Distincta ab Anathemate. p. 437. excommunicatus in una Diœcesi est excommunicatus in tota Ecclesia. p. 669.

F.

Feuda Ecclesiastica. Eorum origo. p. 657.

S. Flora Martyr Cordubensis. p. 519.

Florus Diaconus. Ejus Tractatus de Electione Episcoporum. p. 145. Tractatus contra Joannem Scotum. p. 531.

Freculfus Lexoviensis. Ejus Chronicum Historiæ Universalis. p. 238.

Fuldense Monasterium. Ratgarus Abbas deponitur. p. 109. Eigil Abbas. pag. 110.

G.

Gausbertus Episcopus in Suecia. p. 271.

Georgius Monachus & Martyr. pag. 541.

Gotteschalcus. Ejus initia. p. 466. fustibus cædi-

cæditur. p. 495. confessio Fidei. p. 497. errores. p. 533. & seq.

S. Gregorius Papa. Ejus corpus clam sublatum. p. 210.

Gregorius Papa IV. p. 217. In Francia. p. 296. Festum Omnium Sanctorum instituit. p. 331. obit. p. 393.

H.

Halberstadiensis Episcopatus. p. 217.

Halitgarus Attrebatensis. Ejus Tractatus de Pœnitentia. p. 249.

Hamburgensis Archiepiscopatus. pag. 269. & 652.

Hilduinus Abbas. Ejus Areopageticum. p. 333.

Hincmarus Rhemensis. p. 429. Ejus Capitula. p. 555. Ejus causa in Concilio Suessionensi II. p. 557. alia. p. 566. quatuor Articuli contra Gottescalcum. pag. 572. Tractatus de Prædestinatione. p. 638. documenta ad Presbyteros. p. 640. Litteræ contra rapinas. p. 668. Tractatus secundus de Prædestinatione. p. 686.

Hispania. Alphonso Casto succedit Ramirus, & huic Ordogno. p. 487. Abderamo succedit Mahomet Filius. p. 550.

Horæ Canonicæ. Nunquam omittantur. p. 172.

Hypo-

Hypognosticon. An sit S. Augustini. pag. 553.

I.

S. Jacobus Apostolus. Ejus Corpus in Hispania. p. 487.

Iconoclastæ. Eorum molitiones. p. 41. Abbatum lapsus. p. 95.

Jejunium. Collatiunculæ origo. p. 90.

Ignatius prius Nicetas Michaelis Imp. Filius. p. 38. Patriarcha. p. 455.

Imagines. Earum cultus restituitur. pag. 371.

Infernus. Est propria conscientia. pag. 691.

Joannes Erigena. Ejus Liber de Prædestinatione. p. 530.

Joannes Jerosolymitanus Melchita. pag. 369.

Joannes Leconomanta Patriarcha Constantinopolitanus. Superstitiosus. p. 39. Patriarcha. p. 319. deponitur. p. 373.

Joannes Presbyter Iconoclasta. p. 39.

S. Joannicius. p. 416.

Jonas Aurelianensis. Ejus Institutio Laicorum. p. 247. alia Scripta & obitus. p. 377.

S. Isaac Martyr Cordubensis. p. 513.
Judæi. Eorum de Deo deliria. p. 261.
Juditha Imperatrix. p. 277. pulsa & revocata. p. 278. & seqq.

L.

Lazarus Monachus Pictor. p. 276.
Legalia. Suffocatis non vescuntur Christiani. p. 632.
Leo Armenus. Iconomachus. p. 37. Collatio cum Episcopis Catholicis. p. 44. persecutio. p. 56. & seq. trucidatur in Ecclesia. p. 126.
S. Leo III. Papa. Authores conjurationis interfici jubet. p. 64. obit. p. 66. septies in die Missam celebravit. p. 67.
Leo IV. Papa. p. 452. Concilium in causa Episcoporum minoris Britanniæ. p. 480. Papæ Epistola ad eosdem. p. 481. Urbs Leonina. p. 484. & 534. Concilium Romanum. p. 584. Leopolis. p. 587. obit. p. 618.
S. Liborius. Ejus Translatio. p. 340.
Lotharius Imp. Ad Imperii consortium assumitur. p. 85. coronatur a Paschali Papa. p. 156. Romæ jus dicit. p. 160. Patrem prosequitur. p. 299. Ebbonem restituit. p. 379. prœlio vincitur a Fratribus

bus. p. 382. in Abbatia Prumiensi obit. p. 629.

Lotharius Rex Lotharingiæ. p. 630.

Ludovicus Imp. p. 24. Donationes confirmat. p. 83. Addit donationibus Patris & Avi Urbem & Ducatum Romanum. ibid. reservat sibi Supremum Dominium. p. 84. Imperatoris tres Filii. p. 85. ejus pœnitentia publica. p. 141. Carolo Filio dat Regnum. p. 277. Seditio. ibid. & seqq. Imperio detruditur. p. 300. pœnitentia publica. p. 302. restituitur. pag. 325. obit. p. 353.

Ludovicus II. Imp. Rex Italiæ. p. 396. coronatur Rex Longobardiæ. p. 398. Imperator. p. 512. In Concilio Ticinensi. p. 616. Romanæ Civitatis Dominus. p. 618. Imperator post mortem Patris. pag. 630.

Ludovicus Rex Bavariæ. p. 86. Divisio Imperii. p. 385.

Lupus Ferrariensis. p. 400. Monita ad Carolum Regem. pag. 505. Epistolæ. pag. 637.

M.

Mahometani. In Creta. p. 219. in Sicilia. p. 220. Almanon Literarum cultor. p. 309. ei succedit frater Mahomet Almuta-

mutazem. p. 312. Mahometanorum fides. p. 365. ſuccedit Aaron Aluatec Abujafar. p. 368. & huic Jafar Abufadel. p. 426. in Hiſpania Abderamus III. pag. 488. ſuccedit Mahomet Filius. pag. 550.

Manichæi ſeu Pauliciani. p. 418.

S. Maria. Creditur corpore aſſumpta. pag. 159. prodigioſe peperit. p. 447. Aſſumptionis Octava inſtituitur. p. 620.

Martyres. An liceat ſeipſum offerre Martyrio. p. 645.

S. Methodius Confeſſor. p. 139. perſecutionem patitur. p. 321. Patriarcha. p. 373. ejus zelus. p. 415. obit. p. 455.

Michael Curopalata. Imperator & poſtea Monachus. p. 37.

Michael Imp. In Leonem Armenum rebellis. p. 123. Imperator. p. 127. ejus mores & religio. p. 137. Catholicos perſequitur. p. 139. obſidetur a Thoma Conſtantinopolitano. p. 176. Thomas vincitur. p. 178. Epiſtola ad Ludovicum Imp. de Imaginibus. p. 179. obit. pag. 272.

Michael Theophili Filius Imp. p. 370. impius. p. 588.

Miracula falſa. p. 407.

Miſſa. Septies in die. p. 67. diverſi ritus. p. 289.

p. 289. & seqq. plures una die. p. 473. quot personæ adsint. p. 474.

Moguntia. Heistulfus succedit Riculfo. pag. 110. Autgarius. p. 235. Rabano succedit Carolus. p. 632.

Monachi. Reformantur. pag. 86. Volatilia quandoque comedunt. p. 90. non certo tempore sanguinem mittant. p. 91. nullum votum nisi obedientiæ habent. p. 92. Abbas non extra Refectorium manducet cum hospitibus. ibid. Monachus e suo Monasterio non dimittatur sine notitia Episcopi. p. 437.

Monasteria. In iis quasi Canonici. pag. 23. quænam tempore Ludovici Pii. pag. 93. & seq.

Mundus. Plures mundi dantur. p. 261.

N.

Navarra. Eneco seu Ignigo Rex. p. 487. succedit Chimenus Filius. p. 488. huic Ignigo Filius. ibid.

S. Nicephorus Constantinopolitanus. Ejus Epistola ad Imperatorem. p. 52. resignat. p. 53. obit. p. 224. Scripta illius. ibid. Translatio. p. 414.

S. Nicetas Abbas. p. 61. ejus lapsus & pœnitentia. p. 97. obit. p. 132.

Nicetas Confessor. p. 63.

Nicolaus I. Papa. p. 651.

Nithardus Historicus. p. 387.

Normanni. In Francia. p. 388. Parisiis. p. 426. Hamburgi. p. 439. iterum in Francia. p. 498. & 570. eorum latrocinia. p. 634. rapinæ. p. 703.

O.

Ordines. A deposito collati an nulli. pag. 653.

P.

Papa. Electio Papæ indicetur Imperatoribus. p. 84. & seq. Papa est Petra. p. 101. Portus contra hæreticos. pag. 106. unio cum Ecclesia Romana necessaria. p. 132. Ecclesia Romana Ecclesiarum suprema ab initio. p. 135. Qualem habeat jurisdictionem in temporalia. p. 162. in Papam refertur Authoritas Concilii Oecumenici. p. 177. ejus Electio ab Imperatore confirmatur. p. 217. Vicarium nominat in tota Francia, & quo eventu. p. 406. & seq. ejus equum Imperator ducit. p. 652.

Paschalis I. Papa. p. 82. mittit Legatos

Constantinopolim. p.107. Monasterium pro Græcis condit. ibid. Missio ad Danos. p.156. accusatur. pag. 157. obit. pag. 158.

Paschasius Corbejensis. p. 281. ejus Tractatus de Evchariſtia. p. 283. alia Scripta. p. 446. Epistola Anonymi contra eum. p. 701.

Pauliciani seu *Manichæi.* p. 418.

Peregrini. Confiteantur Sacerdoti proprio, non extraneo. p. 171.

S. Perfectus. p. 490.

Pipinus Rex Aquitaniæ. p. 86. & 635.

Pœnitentia. Secreta. p. 8. pœnitentiæ injunctæ. p. 15. & seqq. Item p. 240. & seqq. Pœnitentia Ecclesiastica relaxatur. p. 248. Halitgari Tractatus de Pœnitentia. pag. 249. Diaconus pœnitentem ad Communionem recipere potest. pag. 251.

Prædestinatio. Reprobi non prædestinantur ad pœnam. pag. 469. & 530.

Prudentius Trecensis. Epistola de duplici prædestinatione. p. 500. Tractatus contra Erigenam. p. 531 quatuor Articuli contra Pelagianos. p. 575.

Raba-

R.

Rabanus Maurus. p. 150. Archiepiscopus. p. 457. ipsius Libri. ibid. & seqq. obit. pag. 630.

Ratramus. Ejus Tractatus de Partu Virginis. pag. 446. de duplici prædestinatione. pag. 504. Tractatus de Evchariſtia. pag. 695.

Regula Aquisgranensis pro Canonicis & Canonissis. p. 71. & seqq.

Remigius Lugdunensis. Ejus Epistola ad Hincmarum. pag. 551.

S.

Saraceni. In Francia & Italia. p. 391. Romæ. p. 449.

Sclavi. Eorum Duces quatuordecim baptizantur. pag. 442.

S. Sebastianus. Reliquiæ ipsius in Franciam transferuntur. p. 210.

Sergius Papa. p. 393. Joannis Diaconi seditio. p. 394. moritur. p. 450.

Stephanus V. Papa. p. 67. jubet populum Ludovico fidelitatem jurare. p. 68. ejus

iter in Franciam ad Imperatorem. ibid. obit. p. 82.

Suecia. Convertitur. p.265. Biornus Rex. p.267. Gausbertus Episcopus. pag.271. Ausbertus Episcopus expellitur. pag.441. Status Ecclesiæ. p. 593. & 601. Olaus Rex. ibid.

T.

Theodora & Theoctista. Imagines colunt. pag. 273. Theodora cultum Imaginum restituit. p. 371.

Theodorus & Theophanes. Persecutionem patiuntur. pag. 314.

Theodorus Monachus S. Sabæ. p. 105.

Theodorus Studita. Ejus Epistola de Imaginibus ad Monachos. pag. 47. ad Concilium Iconoclastarum. pag. 55. ejus constantia. pag. 99. ad Papam scribit. pag. 101. ad Patriarcham Alexandrinum. pag. 102. ad Antiochenum & Jerosolymitanum. pag. 104. ejus ærumnæ. pag. 112. Regulæ de Pœnitentia. pag. 115. & seqq. liberatur. pag. 132. ejus Epistolæ. pag. 140. & seq. Epistola ad Leonem Sacellarium. pag. 176. obit. pag. 199. ejus Testamentum & Opera.

Opera. pag. 201. & seqq. Translatio. pag. 414.

Theodulfus Aurelianensis. Ejus Libri. pag. 142. Hymnus: *Gloria Laus & Honor.* ibid.

Theologia Scholastica. Nulla nisi Sacra Scriptura, & studium SS. Patrum. pag. 554.

S. Theophanes Singrianensis. pag. 123.

Theophilus Imperator Orientis. pag. 277. Catholicos persequitur. pag. 273. Bellum cum Musulmannis. pag. 361. moritur. pag. 370.

Thiota Pseudoprophetissa. pag. 465.

Thomas Jerosolymitanus. Constantinopolim mittit in causa Imaginum. pag. 105.

V.

Vala seu *Wala Corbejensis.* Ejus dicta in Conventu Aquisgranensi. pag. 232.

Valentinus Papa. p. 209.

Venetiæ. Translatio S. Marci. p. 127.

Viaticum. In articulo mortis devote petentibus nunquam denegandum. pag. 641.

S. Vitus. Translatio in Saxoniam. p. 337.

Usuardus Monachus. Reliquias quærit. pag. 663. Martyrologii Auctor. pag. 664.

W.

Walafridus Strabo. Gloſſæ ordinariæ Auctor. p. 470. alia ejus Scripta. ibid. & ſeqq.

Weſſofontanum Monaſterium. p. 95.

Wetinus Monachus Augienſis. Ejus viſio. pag. 163.

Wulfredus Cantuarienſis. pag. 80.

ERRA-

ERRATA.

Liber XLVI.

		corrige:
P.	39. prædicanda	prædicenda.
	51. in Not. Hi iterum	Hic iterum.
	101. non ceſſavit	ceſſavit.
	113. quo elapſo	quod elapſo.
	119. adſcivere	adſciſcere.
	131. Imp. or.	Imp. occ.
	156. §. L.	Ll.
	164. ad ſalutem	at ſalutem.

Lib. XLVII.

	187. in Not. Iconomachiæ	Iconolatriæ.
	244. exigent	exigant.
	258. exiſtimari	æſtimari.
	ibid. venumdaret	venumdarent.
	265. Legati ad	Legati ab.
	285. in Not. fateri quod Paſchaſium	fateri, Paſchaſium.
	291. & Catechumenorum	& nares Catechumenorum.
	292. Communionem præferri	Communionem præberi.
	307. dilaudant	dilaudat.
	339. abſcœnæ	obſcœnæ.
	344. interſuit	interfuit.
	357. lævavit	levavit.

ERRA-

ERRATA.


Liber XLVIII.

		corrige:
375.	cum Imperatrici	Imperatrice.
408.	quadragintasve	quadringentasve.
420.	quam Pontum	qua Pontum.
441.	Archiepiſcopum	Archiepiſcopo.
456.	virtutem	virtutum.
466.	ſe ſine	ſi ſine.
477.	S. Damaſco	S. Damaſſo.
488.	Ruſcinorenſis	Ruſcinonenſis.
493.	Crucifixi	Crucifixi Religioni.
499.	in Not. ipſa ſolus	ipſe ſolus.
505.	§. II.	§. LII.
519.	exempla	exemplo.
535.	infirmisque	infimisque.

Lib. XLIX.

547.	§. IX.	§. IV.
552.	Doctrinam in hic. &c.	Doctrinam in his. Usque ad verba: Illud maxime non Remigius Archiepiſcopus, ſed Fleurius loquitur.
558.	legitur etiam	legitur etiam:
562.	a Clerico	a Clero.
567.	ojecto	objecto.
611.	Jeronymum	Hieronymum.
659.	aperiamus	aperiemus.
679.	Venelomi	Veniloni.
682	reſtitutum	reſtitutam.
697.	interiis	interius.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th 11
5178